

Dupl<sup>o</sup>

bs mo  
ane scia


N<sup>o</sup> 3  
27-231

in rem  
laxam  
pa in de

ingua  
tpe e h  
i capta

natam p  
m h

A  
36  
3H3



Dupl<sup>o</sup>

bs mo  
anc scin

N<sup>o</sup> 3  
27-231

7

8 9

si retin  
laxam  
ca n de

lingua  
tpe e h  
capit

Estim  
in  
A  
36  
343

capit  
mathm

del Colegio de la Compañía de Jesús de Granada R-12692

DE FIDE


# ET SYMBOLO

LIBRI QVATVOR.

Quibus Catholica fides sacris scripturis & antiquissimorum Ecclesiae patrum obseruationibus illustratur.

*F. Thoma Beaux-amis Doctore Theologo Parisiensi,  
Carmelita auctore.*

Ad amplissimum & illustrissimum Cardinalem  
Comensem.




PARISIIS,

Apud Guilielmum Chaudiere, via Iacobæ,  
sub Temporis insigni, & Hominis Siluestris.

1573.


CVM PRIVILEGIO REGIS.




EXTRAICT DV PRIVILEGE  
DV ROY.

PAR grace & priuilege du Roy, il est permis à Guillaume Chaudiere Marchand Libraire en l'Vniuersité de Paris, imprimer ou faire imprimer, vne ou plusieurs fois, vn liure intitulé, *De Fide & Symbolo libri quatuor: quibus Catholica fides sacris scripturis & antiquissimorum Ecclesie patrum observationibus illustratur, F. Thoma Beauxamis Doctore Theologo Parisiensi, Carmelita auctore.* Et fait ledict Seigneur defence à tous autres de nostre Royaume, de quelque qualité qu'ils soient d'imprimer ou faire imprimer, vendre ny distribuer en ses pays, terres & seigneuries ledict liure, sans congé & consentement dudit Chaudiere, iusques au temps & terme de neuf ans entiers & consecutifs apres la premiere impression qui sera faicte dudit liure, sur les peines contenues es lettres patentes dudit Seigneur. Et voulons qu'au vidimus d'icelles fait sous seel Royal foy soit adioustée comme à l'original. Cy donné à Paris le trentiesme de Octobre mil cinq cens soixante & treize, & de nostre regne le treiziesme. Par le Conseil.

Signé P O M B L I E S.



AMPLISSIMO ET  
ILLVSTRISSIMO DO-  
MINO P. CARDINALI  
COMENSI.



*PHRASEM unum ex Therapentis, cum Arianorum tempestas Ecclesia Catholica incumberet, amplissime Cardinalis, à Valente interrogatum, cur è solitudine sese Antiochiam contulisset, respondisse ferunt, nemini è domesticis aut vicinis pigritandum esse, si quod fulgur paternam domum inuasisset: sed summa omnes diligentia aquam haurire, & proserpentem ignem suffocare debere. Iam cum tot sathanicorum ministrorum mendaciis nostre fidei soliditas impetatur, tot imposturis catholica & Apostolica doctrina proscindatur, ut propria etiam resiliente conscientia purissimo lumini tenebras offundere, & mendacium in veritatem transformare nitantur: nemo mihi, arbitror, indignabitur, quòd post tot celeberrimos patres, de fide & Symbolo scripserim. Nam cum impuri mendaciorum spiritus modis omnibus suas imposturas*

EPISTOLA.

eructent: quis non viua voce & scripto, velut utraque manu, contra eos dimicandum censebit? Itaque cum hoc anno in magna Tholosa Ecclesia Evangelici concionatoris munus obirem, & undique pseudoeuangelicorum furiosis conatibus vallatum me esse prospicerem, cum per omnem Occitanam regionem & Aquitaniam Armorum impietas, & Gnosticus omnia prædo Diriperet, fidei, patriæ quoque proditor hostis Ipse suos ciues furibus, propriosque nepotes Traderet, immitique arderent omnia flamma: Non secus ac crebris purus micat ignibus Æther Cum styga, tanariosque lacus, alto horrida celo Fulmina concutiunt.

Tum quidem qui Christianiss. Rege militabant, se suaque omnia deuocuerunt. Ego vero cui spirituale bellum cum his monstris concreditum erat, ab ipsis Apostolica fidei inuitis ordiendum existimaui. Quod ubi, Deo dante, satis feliciter successisset, quorundam hortatu id quod viua voce enunciaueram, scriptis etiam aliquando committendum decreueram: ut & his, quibus vni interesse datum minime fuerat, saltem ipsa lectio viua vocis officium suppeditaret. Occurrebat enim illud Theognidis.

Theog. in  
sententiis.

Ἄγγελος ἀφ' ὀρθῶς πόλεμον πολὺ δακρυῶ ἐγείρει.

Ceterum quoniam semper alienum duxi, his maxime temporibus, quibus heretici sua semina pro meris oraculis ingerunt, fidem Ecclesia sine testibus proferre: quod in reliquis omnibus, hoc etiam in istis commentariis cauendum existimaui. Magno enim multorum damno experimur, quam vera sit hæc He-

Hesiod. lib.  
de opere &  
die.

siodi sententia:

EPISTOLA.

πίσει δ' ἄρα ὁμῶς, καὶ ἀπιστοῖσι ὠλεσάντων ἄνδρα.

sunt enim, qui nimium creduli, omni vento doctrinae circumferuntur, cum nec interim

Horat. lib.

Quid fas atque nefas seposito sine libidinum discernant auidi. I. Od.

Nec attendant quid ab Apostolicis viris prædicatum, quid à primis Ecclesiae patribus acceptum sit. sunt & qui præ diffidentia, in omnibus, etiam aperissimis hærent, qui semper quarunt, & nunquam in veritate conquiescunt. Omnes autem nemo melius ad mentem reduxerit, aut confuderit, quam se sacris scripturis, & antiquissimorum Catholicae Ecclesiae Doctorum receptissimis interpretationibus, nostræ fidei partes expresserit. Quod nos etiam sibyllarum oraculis, & Gentilium Philosophia à nostris deprompta fecimus, secuti Iustinum martyrem, Clementem Alexandrinum, Arnobium Afium, Theophilum, Lactantium, Augustinum, & complures alios patres pietate, doctrina, & antiquitate conspicuos: ut nemo tam immansuetus esset, & tam barbarus, qui catholicae fidei verum sensum reiiceret. Ita nec leuiter nos in certum fidei dogma abduci, clarissimum autem illius lumen esse ostendimus: ut horum leuitas soliditate, illorum autem diffidentia, manifestissimis nostræ doctrinae argumentis conuincatur. Hoc vero Reuerendus in Christo pater Episcopus Parisiensis mecenas meus, ante aliquot annos in vniuersum catechismum facere monuerat: verum cum me tanto cneri imparem esse censerem, quod facile nostri seculi viri doctissimi subire possent, ad

## EPISTOLA.

alia animum appulerem. Vbi tamen & ipsa concionum, quas habuimus, dispositio, & doctiores auditores nobis spem aliquam incunda editionis ingesserunt: paschalibus elapsis diebus à Tholosa Lutetiam regressus, eorum quæ dixeram meminisse, quæ verò excerpseram, noua patrum lectione adauge-re, nouumque velut opus moliri cœpi. Et si verò corpus concionum habitatum & itineris difficultate fractum huic labori reluctaretur: Reuerendus tamen Episcopus Parisiensis ita animum meum erexit, vt omnem excusationem superaret. Tuis enim auspiciis id prodire voluit, ea potissimum ratione, quod Reuerendiss. tuae amplitudini se suaque deuouerit.

Erit igitur istud opusculum in Symbolum meæ fidei apud te, Cardinalis illustrissime, qui supremum Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ, & Romanæ senatum tuis illustras consiliis: erit & in rationem meorum studiorum, quæ magna Reuerendi Episcopi Parisiensis liberalitate suos progressus consecuta sunt, apud eum cui ille me, meaque dedicauit. Hoc verò si & meipsum in tuum obsequium lato vultu acceperis, ita mihi profecisse videbor, vt & maiora aggredi liceat. Tuam interim amplitudinem Deus optimus Maximus nobis conseruet incolu-men. Lutetiæ, pridie Cal. Nouembr. anno 1563.

Eidem reuerendiss. vestrae amplit.

Obsequentiſſimus in omnibus.


F. T. H. Beaux-amis Carmelit. minimus.

F. ANTH. CORROZET CARM.  
PARISIENS. BAC. THEOL.  
ad librum Protopopœia.


Exi docte liber, vasti lature per oras  
Orbis, ad extremos scripta verenda sinus.  
Eoi Gentes lustra, Titanis ad ortum,  
Ac Libiæ terras, Aethiopesque vagos:  
Percurre populos, in quorum margine ponti,  
Ardentem Phœbi frigerat vnda comam:  
Illis, vt sacre pandas arcana sophiæ,  
Ac doceas, quæ sit tuta legenda salus.  
Credere nam quæcunque docent lex atque Propheta,  
Et sunt antiquis obtenebrata typis,  
Et quæ Sanctorum fidei, rapuerè Poète,  
Quæue Sibylla canit, tu referare potes.  
Ergo dum è sacro suggestu predicat Author,  
Nec valet ille absens Gentibus ore loqui,  
Per mundum disperge suæ dictata loquellæ,  
Et supple viuos magne libelle sonos.

QVIS STATVS, QVÆ METHO-  
DVS, ET QVIS FRVCTVS  
*huiusce tractatus.*

A D L E C T O R E M.

VSCVLVM istud de fide & sym-  
bolo in quatuor libros digessimus,  
vt ordinis simul & methodi ratio-  
nem haberemus. Nam cum fidem  
nostram ita in omnibus rerum credendarum  
articulis profiteamur, vt semper quisque no-  
strum dicat, CREDO: ex eo factum est, vt pri-  
mo libro de fide, quid ipsa sit, quibus innita-  
tur, quid verbum Dei, quomodo scriptum,  
quomodo traditum sit differamus. Quodque  
primum & summum nostræ fidei obiectum  
est Deus trinus. Secundo libro ea discutiuntur  
quæ de Deo creatore, de patre, filio, & spiritu  
sancto dicuntur. Tertius demum liber Eccle-  
siæ notas explicat, vt illa vna sit, sancta, & Apo-  
stolica. Quartus vero de communionem sancto-  
rum, peccatorum remissione, carnis resurre-  
ctione & vita æterna agit. Et primum sanè he-  
rebamus in ipsa methodo: quod nonnulli in  
conciones, alij verò in capita digerenda hæc  
esse monerent. Ego verò his & illis me satisfac-  
cisse arbitror, cum & ipsa capita in homilias  
aptari cōmodè possint. Nam & introductio-  
nes, & ipsi progressus, quibus in publicis de-

clamationibus vtimur, ferè semper seruati  
sunt. Sed & vt quisque in his habet, quo sese in  
catholica fide confirmet, ita & fidelis Eccle-  
siastes præcipua nanciscetur argumenta, quæ  
in solennioribus diebus ad populum proferre  
possit. Habet enim quod dicat de Deo, de Tri-  
nitate, de Spiritu sancto, de mysterio Eucharis-  
tiæ, de sacratissima virginè matre, Christi v-  
troque aduentu, natiuitate, nomine imposito  
in ipsa circumcissione, de passione, morte, re-  
surrectione, ascensione. Habet denique quod  
in solenni omnium sanctorum, & fidelium a-  
nimarum commemoratione differat. Quæ vt  
facilius pateant, quatuor librorum summa  
capita hîc describere non superfluum erit.



S V M M A C A P I T V M.  
LIBER PRIMVS COMPLE-  
CTITVR TREDECIM CAPITA.

1. Quàm necessaria est omnibus fides, quantæ virtu-  
tis, ut que sine illa impossibile est placere Deo. fol. I.
2. Quid fides, & ut illa cognitionis fundamentum  
est, nec rebus sensilibus, aut questionibus innititur.  
fol. 4.
3. Quòd fides non innititur humana sapientia, sed  
diuina virtuti: quòdque ad fidem plus prodest  
simplicitas, quàm scientia. f. 11.
4. Quòd fides etsi Dei donum sit, nostrum tamen as-  
sensum requirit, & quomodo illa ex auditu, audi-  
tus autem per Verbum Dei: Vbi de auditu spiritua-  
li & verbo increato differitur. f. 17.
5. Quibus modis Verbum increatū homines primum  
docuerit, Vbi de libro creaturæ, traditionibus Pa-  
triarcharum, visionibus, & apparitionibus illis fa-  
ctis, & de antiquitate & authoritate scripturæ  
veteris Testamenti. f. 23.
6. Quomodo Verbum factum est ad Prophetas, item  
de visionibus & reuelationibus: etiam de oraculis  
Sibyllarum, & Demonum, quæ nostræ fidei atte-  
stantur. f. 29.
7. Differentia veteris & noui Testamenti, & qui  
in nouo Verbum Dei scripto commendarint. f. 35.
8. Quòd sacra scripturæ etiam à Philosophis, Poëtis,  
oraculis, & Gentilium antiquissimis testimonium  
habeant: cum illi multa ex iis decerpserint.
9. Quòd non omnibus in scripturæ interpretatione  
credendum sit, & quàm impie hæretici illas cor-

- S V M M A C A P I T V M.  
rumpant, minuant, & alij sententias, alij libros  
prophanos supponant. f. 44.
10. De scripturæ difficultate, quòdque eius interpre-  
tatio non omnibus est peruia. f. 50.
  11. Quòd in sinistrum sensum scripturæ ab infideli-  
bus detorquentur: Vnde nec Iudæis, nec hæreticis,  
sed soli Catholice Ecclesiæ, id est, traditioni, &  
sanctissimorum Patrum interpretationi, hac in par-  
te credendum est. f. 57.
  12. De verbo tradito, quòdque non soli scripto adha-  
rendum est, ne fidei fiat iniuria. f. 62.
  13. Quòd hi qui traditionis authoritatem negant, tol-  
lunt etiam scripturas: Quòdque verbo scripto a-  
blato non statim tollitur fides, cum tamen verbo  
tradito sublato, illa decidat, cum etiam præcipue  
mysteria traditioni commendentur. Vbi de Sym-  
bolo Apostolorum. f. 66.

LIBER SECVNDVS AGIT  
DE DEO PATRE, FILIO, ET  
Spiritu sancto, & complectitur  
21. capita.

1. Quid Symbolum, & Vnde ad nos prodiit: quid Cre-  
dere in Deum, & quòd Gentiles Deum credide-  
runt, item de Dei nominibus. fol. 75.
2. Quòd Deus nisi fide incomprehensibilis est, incor-  
poratus, & incircumscriptus. f. 84.
3. Quòd Deus vnus est, Pater, idemque omnipotens.
4. Quòd Deus omnia de nihilo creauit, & de creatio-  
ne Angelorum & lapsu. f. 89.



S Y M M A

5. De hominis creatione, & ut ille ad imaginem Dei formatus est. f.102.
6. Quod Deus non est creator peccati: quod peccatum nihil est, & de lapsu primi hominis. f.106.
7. De nominibus Christi, & maxime de nomine Iesu quod vni Christo debebatur. f.112.
8. Quid significat nomen Christi, quodque ut reparatori nostro debebatur, ita ille & Rex, & Sacerdos, & Propheta futurus erat. f.115.
9. Quod Christus est Filius, Deus de Deo. f.122.
10. Quomodo Dei filius de caelis descendisse dicitur, & de virgine nasci debuit. f.128.
11. Quod Christus vere passus sit in corpore & anima, cum interim diuina eius natura esset impassibilis. f.138.
12. Cur Christus elegit mortem crucis: utque constantissimus fuerit inter tormenta, & diabolum morte sua vicerit. f.143.
13. Respondetur obiectionibus quorundam contra descensum Christi ad inferos: qui & multis argumentis confirmatur. f.149.
14. Rursus probatur descensus Christi ad inferos duabus Petri sententiis, quae à corrupto haeticorum sensu vindicantur: agitur & de praedicatione Christi in inferis. f.157.
15. De Christi resurrectione: vbi de consummata hominis iustificatione, figura Iona, Adami, Noë: de praedictis locis, è quo resurrexit, temporis & ceteris circumstantiis. f.162.
16. De Christi in caelos gloriosa ascensione: vbi de loco, vnde, & modo, & virtute qua ascenderit, &

C A P I T V M.

- caelis pluribus: & ut ipsos penetrauerit, & cur naturam humanam in clauum euenit. f.169.
17. De Christi sessione ad dexteram patris: quid dextera, quid sedere, & secundum quid Christus exaltatus sit, neque tamen natura carnis eius vbique sit. f.175.
  18. De secundo Christi aduentu, utque in humana forma conspicietur ab omnibus: de iudiciaria potestate illi data, terrore diei illius, & quomodo iudicabunt Apostoli. f.180.
  19. De iudicio particulari hoc in mundo, & statim atque anima excesserit: qui viu & mortui iudicabuntur: de generali conflagratione & aeterno Christi regno. f.187.
  20. De spiritu sancto, quam varia significet spiritus: confirmatur diuinitas spiritus sancti multis argumentis: quodque viuificet omnia, procedat à Patre & filio, & cum vtroque adorari debeat. f.196.
  21. Quo spiritu sanctus locutus est per Prophetas: quodque Pseudopropheta, licet à spiritu maligno decerentur, sibi nomen spiritus sancti vendicarunt: & contra particularem inspirationem. f.205.

LIBER TERTIVS AGIT DE  
ECCLESIA ET EIVS NOTIS,  
& complectitur 8. capita.

1. De vera Ecclesia, vnde dicatur, quid sit, quid credere Ecclesiam, quodque ij qui decreta Ecclesiae contemnunt, non verè credunt Ecclesiam: vbi de auctoritate Ecclesiae, quodque illa & Scripturas &

- traditiones sanctas probauerit: ex quo fit, ut heretici Ecclesiam auerferentur. f. 215.
2. De notis vera Ecclesia, quarum prima est, quod sit una, unde impossibile est aliquem hereticum simul & catholicum esse: quodque eius unitas in continuatione ab Adamo usque ad consumationem mundi confirmatur. f. 222.
3. Unitas Ecclesiae confirmatur unitate Pastoris: quodque Petrus supremus Ecclesiae pastor constitutus sit, nec interim Christi maiestas minuitur, immo potius augetur: quodque Christus & Petrus fundamentum Ecclesiae esse dicuntur. f. 228.
4. Secunda nota Ecclesiae, quod sancta est, & tamen mali bonis hic permixti sunt: quod in futuro implebitur, ut sine ruga sit: quo demum peccato non peccant fideles, quodque per malos ministros etiam Dei verbum & sacramenta administrantur. f. 235.
5. Quomodo Ecclesia sancta sit, vocatione intima sui ratione, effectu: quodque extra illam nihil sanctum sit & à meliori sui parte sancta esse dicatur. f. 244.
6. Tertia nota Ecclesiae quod sit Catholica: vbi de his qui Ecclesiam angulis circumscripserunt, cum tamen Euangelium per totum orbem primum diulgatum sit: quodque Ecclesia sit visibilis. f. 249.
7. Quod Praelati, & maxime summus Pontifex Ecclesiam representat: quodque dicere Ecclesiae, est ad illos qui praesunt id de quo quaeritur, referre. De autoritate summi Pontificis, & Episcoporum in Ecclesia: quodque eorum est, non Regum, cogere Concilia: quod etiam quatuor generalibus Con-

- ciliis probatur. f. 254.
8. Quarta nota Ecclesiae, quod sit Apostolica: vbi de successione Episcoporum agitur: quodque illa doctrinam Apostolicam confirmet, & summus Pontifex in Ecclesia Romana Petro successerit, & quomodo discernatur doctrina Apostolica. f. 263.

LIBER QVARTVS COM-  
PLECTITVR CAPITA. 7.

1. De Communionem Sanctorum, quid sit, quodque à Christo capite abundet: quomodo Christo uniamur, quodque unio illa etiam corporalis est, & maxime per manducationem Christi carnis confertur: vbi de corporali eiusdem manducatione. f. 220.
2. Quod communio sit inter viuos, & beatos, & eos qui in purgatorio sunt: vbi primum de communiōe viuorum, & tandem de illa qua inter nos est, & eos qui sunt in purgatorio: quidque illis pro fit oblatio corporis Christi, orationes & eleemosynae, quae à viuis fiunt. f. 274.
3. Quae sit nostra cum beatis communio, quod norunt necessitates nostras, & nobis compatiuntur, neque tamen eorum felicitas minuitur, quodque suis meritis & orationibus nos iuuent. f. 283.
4. De remissione peccatorum: vbi de Peccato originali, à quo purgamur per baptismum, & de actuali contracto à baptisatis, à quo eluimur per poenitentiam: quod remittere peccatum non tantum est non imputare. De sacramento baptismi & poenitentiae. f. 289.

SVMMA CAPITVM.

5. De resurrectione carnis: Vt ex illa magna nobis consolatio obuenit: Vt prophetis, sibyllis, ipso etiam Platone prædicta sit. Confirmatur quoque rationibus: & scripturis, & opposita argumenta eluduntur. f.295.
6. Vt ex mortuorum resurrectione pendent funera solennia corporum, & virtus reliquiarum sanctorum: Vbi de vi insita, cineribus defunctorum, etiamsi in quidlibet resoluantur. f.304.
7. De vita æterna: quæ necessaria sit & utilis illius consideratio: Vt e scripturis elicitur, corpora etiam, & animas electorum illustrabit. Vbi de visione Dei, & an corporalibus oculis electi Deum visuri sint. f.310.

FINIS.

F. THO. BEAUXAMIS

CARMELITAE

DE FIDE ET SYMBOLO,

LIBER PRIMVS.

*Quam necessaria est omnibus fides, quanta virtutis, ut que sine illa impossibile est placere Deo.*



VI MAGNUM aliquod ædificiū exstructuri sunt, primam fundamētorum rationem habent, vt ea potissimum tuta & firma sint: ne quod magnis laboribus erigitur, subito ventorum impetu dis-


soluatur & ruat. Ita qui certam sibi salutis expectationem statuunt, primum omnium quid credendum sit, requirunt: ne fortè si arenæ domum suam superstruxerint, veniant flumina, flent venti, & procellæ irruāt, quæ domum euellant, rapiant & dispergāt. Sapientem enim virum Christus ei comparat, qui ædificauit domum suam supra petram, vt quæ cōtra omnes impetus firma & solida permanfura sit.

Et quidem petra nostra Christus est, & idem nostræ confessionis fundamentum est, vt monet Paulus: ad quod omnia recurrunt, quæ de Deo, quæ de Ecclesia, cæterisque omnibus, cer-

Math. 7.

1. Cor. 10.

A



I. Cor. 3. ra & indubia fide tenemus. Quid verò magis  
 homini propriū est, quàm vt ea quæ in Chri-  
 sto sunt, attendat, quæ sursum sunt quærat, quæ  
 Col. 3. sursum sunt sapiat, vbi Christus ad dextrā est  
 dei sedēs? Nec enim vt caducā domū, & paucis  
 temporibus duraturā ædificemus, fundamenta  
 deorsum statuimus: quod ij faciunt, quorum  
*sunt curua in terras animæ, & cœlestium inanes:*  
 Gal. 4. Verūm nostræ mētis oculos in cœlestem illam  
 I. Cor. 3. Hierusalem, quæ mater nostra est, erigentes: vt  
 Esai. 28. d. sapientes Architecti, Christū nostræ structuræ  
 Rom. 9. fundamentum agnoscimus, illum in Syon po-  
 I. Pet. 2. sitū lapidem pretiosum & angularem, per quē  
 Psal. 117. d. nostrę expectationis inuincibilis soliditas red-  
 Math. 21. ditur. Ad hanc fidē, ad hanc religionem & pie-  
 tatē ab ipsa natura erigimur, ne vt cætera ra-  
 tionis expertia, caducis elementis hæreamus.  
 I. Cor. 15. Ad hanc homini à natura insita ratio, ad hanc  
 omnis sapientia reuocatur. Quid enim si reli-  
 gionem abieceris, non ipsum hominē destru-  
 xisse, & brutis animantibus miserabilibus mi-  
 serabiliorem reddidisse videre? si quidem  
*Ille opifex rerum, mundi melioris origo,*  
 non alia ratione cūm brutas animātes abiecif-  
 set ad partem, solum hominem erexit, quàm vt  
 ad cœli, quasi cognationis domiciliūq; pristini  
 Cic. libr. 1. conspectum excitaret. Itaq; (vt doctē Cicero)  
 de legibus ex tot generibus nullum est animal præter ho-  
 Quintilia- minem, quod habeat notitiam aliquam Dei:  
 nus lib. 2. de ipsisque hominibus nulla gens est, neq; tam  
 instit. ora- immanfueta, neq; tam fera, quæ non, etsi igno-  
 riarum. ret qualem habere deum deceat, tamen ha-

bēdum sciat. Ex quo efficitur illud, vt is agno-  
 scat deum, qui vnde ortus sit, quasi recordetur  
 ac noscat. Quo factum est, vt ad vnum supre- *Plato de im-*  
 mum & æternum, omnes Philosophiæ riuuli *sto.*  
 recurrerent, eūmque faterētur, qui rerum na-  
 turas indagarunt, & apud priscos Sapientum  
 nomen assecuti sunt: quin & inter eos iidē ef-  
 sent Philosophi & Sacerdotes. Sic apud He-  
 bræos Prophetæ & Essai sapientiæ simul re-  
 būsque diuinis incubuerūt. Sic apud Persas Ma-  
 gi, apud Indos Brachmanes, Ægyptios Mathe-  
 matici & Metaphysici, sacerdotio simul fun-  
 gebantur & regno. Eapropter Æthiopes suos  
 Gymnosophistas, Babylonij Chaldeos, Galli  
 Druidas, Græci suos Sapientes: quin & Poëta-  
 rū antiquissimos mirati sunt Ethnicę religionis  
 antistites Orpheū, Linū, Musæum, Eumolpū,  
 Melampū & Aglaū. Atqui, vt Athenis assiden- *Rom. 1.*  
 te magna Ethnicorum frequētia Paulus con-  
 stanter asseruit, deum illi colebāt, quē ignora-  
 bant: nos autem in homine Christo illum & a-  
 gnoscimus, & profitemur. Quanta igitur cura,  
 quanta nos attentione, à primis nostræ fidei e-  
 lementis, ad summū doctrinę Catholicę apicē  
 cōuolare oportet: donec summū illud bonum  
 facie ad faciem contemplemur, & beata pace  
 perfruamur? Ad hoc te fides instruit, & dirigit.  
 Ad hoc te fides erigit, te docet, & liberū à te-  
 nebris ad immortalē illā lucē com meatū præ-  
 bet. Neq; verò apud nos tantū, qui Christiani  
 dicimur, magnū quid fides est (inquit Cyrillus *Catech. 5.*  
 Hierosolymitanus;) verum etiā omnia quęcūq;

in mundo geruntur fide consistunt. Fide leges nuptiales, quæ diuersos in idem copulant: fide consistit agricultura, vt quis cum vsu fructu se percepturum crediderit, magnos labores sustineat: fidei ars nautica innititur, vt exiguo se ligno committat, & instabilem fluctuum agitationem pro terra commutat. Fide stant & humana omnia negotia. Quamuis enim non sacris scripturis, receptis tamen ordinationibus, per fidem innituntur. Si verò è terrenis ad diuina & æterna mentis aciem erigas, quis illius oculus erit, nisi fides? Dicit enim Prophetata, Nisi credideritis, non intelligeris. Vt enim tribus virtutibus, fide, spe & charitate, cætera perficiuntur (ait Chryso stomus:) ita inter eas talis ordo tenendus est, vt perfectio quidem in charitate sit, fundamētum verò in fide. Hæc nobis ad summi numinis inuocationem est ianua. Quomodo enim inuocabūtur, in quem non crediderunt? Quam Apostoli sententiam Augustinus enarrans, In his duobus tria illa inuenire (inquit). fides credit, spes & charitas orant. Quid autē sperari potest, quod non creditur? Credidi propter quod locutus sum, (ait Psaltes:) & Paulus, Credimus propter quod loquimur. Fide intelligimus aptata esse secula verbo Dei: fide omnes Sophistarum nugas eludimus, & ad incommutabilia diuinæ veritatis arcana deuenimus. Aliter enim qui Christianus est, aliter Ethnicus deum vnum fatetur & agnoscit. Et si neuter de illius maiestate dubitet, vnus tamen opinioni, alter fidei innititur.

Catech. 5.  
Cyprian. et  
Ruffinus in  
Symbolum.

Esai. 7.

Hom. de fi-  
de, spe &  
charitate.

Rom. 10.  
Aug. in  
Enchiridio  
ad Lauren-  
tium cap. 3.  
Psal. 115.  
1. Cor. 4.

Propria Christiano vox est, *Credo*, eademque omnium prima. Ideò quemque vere fidei professore sic Ioannes Chryso stomus alloquitur: Videte qui, cui, & quid loquamini. Dixistis *Credo*. Quàm breue est, quàm modicū est? Si ad litterarum latitudinē redigatis, quinque literæ sunt: si ad syllabarū numerū, duæ sunt syllabæ. Credulitas tamē hæc in toto mūdo sparsa est. Credit Christianus in Ecclesia dimitti sibi peccata, credit vitæ æternæ promissionē iustis factā, credit pœnā peccatoribus addictā. Neq; enim in dictione versandum est, si intemeratæ fidei symbola spectes: sed in his quæ significantur. Nec leuis est momenti vox illa *Credo*: sed si modò è corde fideli & optimo depromatur, magnū mundo, magnū Sathanicis spiritibus terrorem incutit, magnā homini cum Angelis societate conciliat. Corde enim creditur ad iusticiam, ore autē confessio fit ad salutem. Huius energiam multis exemplis Paulus amplificat: quòd fide Abel plurimā deo hostiā obtulerit, fide Enoch translatus sit ne videret mortē, fide Noë arcam aptauerit in salutē domus suæ: fide Abraham dei præcepto morem gerēs, è patrio solo in aliena terra peregrinatus sit: fide filium è sterili coniuge assecutus sit, quæ & eundē vni-genitū obtulerit, cum nihil interim de re promissionibus hæsitaret: fide Iacob filiis benedixerit, Moyses saluus ex aquis eductus sit, qui & eiusdem fidei virtute populū per rubrum mare constanter eduxerit: fide muri Hiericho corruerint: Raab etiam intrepida nuntios Israelis

Hom. 1. in  
Symbolum.

Math. 13.

Rom. 10.

Heb. 11.

Genes. 4.

Genes. 5.

Genes. 17.

Genes. 22.

exceperit. Et ut singula, quæ facile explicari nō possent, ad exaggerandā fidei virtutē completeretur: Sancti (inquit) per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiā, adepti sunt repromissiones, obturauerunt ora leonum, extinxerunt impetū ignis, effugauerunt aciē gladij, conuauerūt de infirmitate, fortes facti sunt in bello. *Catech. 5. Eph. 6.* Quid verò fide (ut Cyrilli hierosolymitaniverbis utar) diabolo horribilius est? Aduersus hūc arma alia habemus nulla, nisi fidē, scutū incorporeū aduersus hostem inuisibilē. Emitterit quidē ille, & varia in nos iacula cōtorquet: sed (ut *act. 15. Math. 8. Math. 15. Luc. 5. Io. 11. Math. 8. Luc. 5. Math. 26. Rom. 8. Cypria. epi. stola ad plebem Thibarensem. Iosue 10. Iud. 6. 4. Reg. 6. Esai. 37. 4. Reg. 19. 3. Reg. 17.* Apostolus monet) assumendū est in omnibus scutū fidei, in quo possimus omnia tela nequissimi ignea extinguere. Fide amici dei efficimur, fide filij Abrahæ, fide in nostris mentibus Christus operatur, quod olim in egris corporibus: curat & purificat corda hominū. Fide Cēturiōnis seruus, Chananæ filia dēmonica, & oblatu in grabato pensili paralyticus sanitati restituitur. Fide Mariæ & Marthæ quatruiduanus mortuus ē monumento excitatur. Fides Petro aqueum elementū præter naturam solidū reddit: Fides breui tēporis momento credentē latronē ex hac peccati & miserię sentina in Paradisum introduxit. Quis autē stabit contra electos dei, si fidē inuictā habuerint, cū persecutio fideiū coronatio sit, ut doctē ipse idem martyr Cyprianus disseruit? Quid cōtraria agmina, cū nec illa Iosue, aut Gedeoni, nec Heliæo in dothaim, nec Ezechię in hierusalē nocuerint? Quid fames, cū nec Heliā in torrēte

Carith, aut apud Sareptanam infestari? Quid pestis, cū suis precib. Dauid Angelū infestantem auerterit? Hæc est etiā victoria quæ vincit mundū, fides nostra. Ab ea nomen fideiū sortimur, in ea gloriamur, & per eā ad immarcescibiliū bonorum indubiā expectationē prouehimur. Et quidē tanto illa maior est, quāto sine fide impossibile est placere deo. Nā ut per eam datum est filios dei fieri, his qui credūt in nomine Christi, qui nō ex sanguinibus, sed ex carne nati sunt: ita qui illā à se exclusit, quomodo non à se omnē salutis expectationē abdicauit? *5. fames. 6. pestis. 2. Reg. 24. 1. Io. 5. Heb. 11. Io. 1. Io. 3.* Qui non credit, iā iudicatus est. Et vnde quæso sperari aliquid sine fide poterit, cū eorū quæ sperantur, fides fundamentum sit? Si autē omnē spem & expectationē excluseris, quid homini reliquū erit? Petrus quidē quandiu fidem habuit, super mare ambulauit: vbi autē dubitare cœpit, cœpit & mergi. Hinc & ei dictū est, modicę fidei, quare dubitasti? Et quidē prioris *Numer. 20.* tabernaculi legislator Moyse, hac maximè ratione terrā repromissionis ingredi non potuit, quod cum rupem percuteret, & ex ea copiosissimas aquas educeret, primū in his quæ credenda fuerāt, quodammodo hæsitauit. Sine illa, quisquis est, in tenebris ambulat, & à recto scælicitatis tramite recedit. Cū ergo illā primū omnes nos & semper protestemur, cū nos verbum fidei semper in ore habeamus, cūque in omnibus Catholicę doctrinæ symbolis nos credere protestemur, quid fides sit, & quibus illa inuitatur, audiamus.

*Quid fides, & ut illa cognitionis fundamentum est, nec rebus sensibilibus, aut quaestio- nibus innititur.*



**V**i fidei, tandemque visionis ratio- nes expendunt, tres hominum æta- tes assignant, secundum quas aliter sapere dicuntur. Paruuli enim quod  
 1. per ætatem non possunt, aliorum manibus, o- culis, pedibus, aliorum denique consiliis asse- quuntur. Vbi verò iam grandiores euaserint,  
 2. sapere incipiunt, & ratiocinari: sed non nisi præuia & comite disciplina, quæ illis vices spe- culi suppleat, cum ad instar eius mentem for- ment, & omnia sua dirigant & concludant.  
 3. Maturiores demùm facti, cum iam prudentio- res euaserint, non modò prima illa elementa superarunt, sed quasi qui ipsa sapientia po- riantur, alios dirigunt & docent. Et quidem cum primùm rationis incapaces essemus, pa- rentum & susceptorum fide nobis spiritualia bona communicata sunt: tandem verò radian- te in nobis naturali simul & diuino lumine, per fidem discimus, & intelligimus, quod cla- ra demum visione contemplantur. Nam ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus, (inquit Paulus.) Cum autem euenerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est. Cum essem paruulus, loquebar vt paruulus, sapiebam vt paruulus, cogitabam vt paruulus: quando autem factus sum vir, euacuaui quæ erant paruuli. Videmus nunc per speculum in

1. Cor. 13.

ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Visio- nem illam claram, quæ in patria est, præcedit hîc in nobis fides, per quam quæ diuina sunt, non sine velamine contueri valeamus. Cæte-  
 1. rum fides vno modo pro Constantia sumitur: vt cum Paulus scribit, iuniores viduas damna-  
 2. tionem habere, quod primam fidem irritam fecerint. Quandoque etiam pro Conscientia: quo sensu Apostolus loquitur, cum id omne  
 Rom. 14. quod non est ex fide, peccatū esse censet. Non- nunquam etiam fidei nomine non ipsa mentis  
 3. apprehensio & obsequium, sed eius obiecta, quæ per fidem apprehenduntur, intelligi de- bent: quibus maximè nostra iustitia defertur, cum sint illa æterna, & omnium in nobis bo-  
 4. norum causæ. Est & fides eorum quæ credun- tur assensus. Porro ex parte obiectorum fides quodammodò differre dicitur, vt modò dica- tur historica, modò catholica. Sed & quan- dam, ex parte eius qui credit, diuersitatem ha- bere videtur, vt modò parua, infirma, sana, modica, magna, viua, mortua, occulta, otio- sa, studiosa, modò etiam formata, informis, ficta, infusa, & acquisita vocetur. Nonnun- quam etiam pro habitu, aliquando pro actu sumitur, modo implicita, modò explicita nuncupatur, ex ratione & eorum quæ obiiciun- tur, & nostri assensus. Interim tamen vt vnus  
 Eph. 4. Deus est, & vnum baptisma, ita & vnica est fi- des. Clemens Alexandrinus hanc principium  
 Lib. 2. actionis, & fundamentum electionis esse cen- Stromat. set. Nos illam quam Apostolus tradidit, def-

nitioem sequemur. Est ergo fides (ait Paulus) sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. Nam quoniam (vt doctè  
*Homil. 21.* Chrysoſtomus) ea quæ sunt in spe, sine sub-  
*Epistol. ad* stantia esse putantur, fides eis tribuit substan-  
*Hebr.* tiam, cum in animis nostris ea subsistere faciat  
 quæ apprehendit. Sperandis enim substat (in-  
*Gloſ. ordi-* quit Gloſa) facitque ea demum sic credenti-  
*maria et in-* bus herere, vt certò succedente alia vita in illis  
*terlinearis.* colluceant. Quod enim *ὑπόστασις* vocat A-  
 postolus, hoc etiam *ἰεμελίον* nuncupavit, cum  
 fides sit & subsistentia, & fundamentum eorum  
 omnium quæ à nobis sperantur. Sed & argu-  
 mentum dicitur *ἐκ βλεπομένων*, eorum quæ  
 corporalibus oculis minimè videantur. Quod  
 enim videt quis, quid sperat? Nec enim hinc non  
 apparentia Philosophico more sumimus, pro  
 eo quod nec probabilè speciè habeat, quòdque  
 còtra certum & necessarium statuitur. Quid enim  
 eorum quæ creduntur certius esse poterit? Verum  
 ea non carnali, sed intellectuall lumine discer-  
 ni oportere didicimus. Nam (vt Iulianus Po-  
 merius contra Iudæos doctè disseruit) præsen-  
 tibus quæ videntur, quæque per sensus corpo-  
 ris adprobantur, indubia fides minimè neces-  
 saria est: siue enim præsentia etiam credideris,  
 ita tamen vt eorum maiestas velo infirmitatis  
 obducatur. Credimus enim præterita, mundi  
 opificium, hominis structuram, Christi incarna-  
 tionem, natiuitatem, passionem, resurrectionem, &  
 in cælos gloriosam ascensionem: credimus futu-  
 ram rediuiuæ carnis vitam, omnium etiam gene-

*Toletanus*  
*Episcopus,*  
*lib. 2.*

ræ iudiciū. Ea verò quæ præsentia sunt profi-  
 temur, vt carnis Christi in Eucharistia præsen-  
 tiam, peccatorum remissionem, baptismatis vir-  
 tutem: quæ quidem aliena specie operta sunt, vt fi-  
 des locum habeat. Itaque eorum omnium quæ di-  
 uina sunt, & hominem Angelicæ naturæ con-  
 ciliant, potior cognitio per fidem est. Hæc enim  
 gradus est intelligendi: intellectus autem meritum  
 fidei, inquit Augustinus. Hæc mentis nostræ lu-  
 men est in scripturis, in Prophetiâ, in Euangelio;  
 in Apostolicis lectionibus, quæ nos ex obscu-  
 ro educet ad diem. Habemus enim firmiorem  
 Propheticum sermonem (ait Petrus) cui bene-  
 facimus attendentes, tanquam lucernæ luceti  
 in loco caliginoso, donec dies luceſcat, & luci-  
 fer oriatur in cordibus nostris. Quam peruersi  
 sunt igitur & temerarij, qui tanquam immaturi  
 conceptus ante ortum quærunt abortum, quique  
 nobis dicunt. Quid me iubes credere quod non  
 video? Videam aliquid vt credam. Aptè verò tam  
 præcipitibus & temerariis animis occurrit Au-  
 gustinus: Ascendere vis (inquit) & gradus obli-  
 uisceris. Vtiq; iam peruersè homo, si ostendere  
 tibi possem quod videres, non hortarer vt cre-  
 deres. Arguis autem: Si non videntur, quomodo  
 confinguntur, quia sunt? At verò vnde sunt ista  
 quæ vides, nisi ex eo quod non vides? Sed & qui  
 dedit oculos in corpore, dedit rationem in cor-  
 de. Excita rationem cordis, erige interiorem  
 hominem, qui per fenestras suas (per quin-  
 que sensus) inspiciat creaturam dei. Quid si  
 nullus sit, qui per fenestras domus videat?

*2. Pet. I.*

*August.*

*lib. 50. Ho-*

*mil. serm.*

*32. & ser.*

*27. De*

*verb. A-*

*postoli.*



Non enim oculi vident, nec fenestræ vident, sed interior habitator. Illum ergo tuum internum habitatorem erige, illum excita: non enim denegatum est tibi erigi in sublimiora. Rationale animal te Deus fecit, præposuit te pecoribus, ad imaginem suam te formavit: sic cine oculis uti debes, ut pecus tantum, ut addas ventri, non menti? Erige ergo rationalem aspectum, utere oculis ut homo, intende cælum & terram, ornamenta cæli, fecunditatem terræ, volatus avium, natatus piscium, vim femininum, ordinem temporum. Intende facta, & quære factorem: aspice quæ vides, & quære quæ non vides. Audi Apostolum. Inuisibilia enim Dei per ea quæ facta sunt, visibilia conspiciuntur: sempiterna quoque eius virtus & diuinitas. Et hæc sanè tãto certiora sunt, quanto ab omni corruptione & materia semotiora sunt. Nec interim omnia negari poterunt, quæ apertam communibus sensibus demonstrationem non efficiunt. Nam (ut scribit Basilus) fieri non potest, ut qui circa principia disciplinarum velitantur contentiosius, ad finem aliquando via & ordine pertingant. Hoc ab externis licet mutuari disciplinis. Hoc in Geometria, hoc in Arithmetis primis & elementaribus, hoc in Medicina, in qua principia sunt nullam desiderantia probationem. hoc & in quocunque humanarum artium exercitio, in quo impossibile est primarum propositionum inquirere demonstrationes, ex quibus etiam cætera consequuntur. Nihilominus & Theo-

Ag. 1.

Basilus in  
Ps. 15.

logiæ mysterium requirit assensum nulla præuia inquisitione nitentem. Sanè ait Apostolus, credendum quòd Deus est, non item in quæstionem vocandum quid ipse sit. Si enim fides est sperandarum rerum substantia, & argumentum non apparentium: ne mihi anxius videre contendas, quæ longiore seposita sunt interuallo. *Heb. 11.*

Longè enim ab inuicem distant scientia, opinio & fides. Nam scientia etiam de his est, quæ sub communem sensum cadunt, cui maxime cohæret opinio. Vbi autem quid videtur, iam non est fides, cum nec illa beatis superesse dicatur: ea potissimum ratione, quod illum in quem crediderant, vident sicuti est. Nihilominus tamen scientiæ proprium est, non ea modo quæ videntur, apprehendere, sed & intellectuales notiones, & summa genera, & principia, & formas, & ideas. Quæ statim videre si voluerit Philosophus, hæc alioquin pro certis non habiturus: an non explodetur: Quanto magis ridendus est, qui se minimè crediturum dicit, quod non viderit, & manu contrectarit? Si enim quæ in sapientiæ disciplina latiora sunt, sub aspectum minimè cadunt, quanto minus obiectum fidei? quanto minus Deus ipse, qui non terrena modo, sed & omnem supergreditur creaturam? Deum enim nemo vidit vnquam: sed nec videre potest. Quo ergo nisi spirituali lumine ipsum contemplantur? *1. Cor. 13.* Nam si Democritus, ut facilius arcana naturæ rimaretur, sibi oculos eruit, quibus ergo nos *Diog. Laert. de vitis Philosophorum.*

*Lib. cap. 7. hist. Ecclesiast.* ad fidem concipiendam hærere debemus? Olim sanè Didymus Alexandrinus ( vt narrat Eusebius Cæsariensis ) à teneris corporali lumine orbatus fuerat , qui tamen assidua meditatione tantum in Philosophicis profecit, vt in dialectica, Geometria, Astronomia & Arithmetica edocenda primatum tenere posset, sed & in diuinis literis. Nam Athanasio, cæterisque in Ecclesia viris admodum probatus, Ecclesiasticæ scholæ doctor præfectus est. Hunc etiam beatus Antonius, cum fidei Athanasij testimonium laturus aduersus Arianos, de Thebaide Alexandriam descendisset, magnificis consolatus est verbis. Nihil te (inquit) offendat Didyme, quòd carnalibus oculis videris orbatus: Desunt enim tibi illi, quos mures & muscæ & lacertæ habent: sed lætare quia oculos habes quos habent Angeli, è quibus Deus videtur, per quos tibi magnum scientiæ lumen accenditur. Nimirum fides est ex auditu: & beati qui non viderunt, & crediderunt. Vidit quidem Christum Abraham oculis fidei, num carnalibus? hunc ad antiquum dierum progredientem vidit Daniel, hunc Esaias, verum spiritali lumine: cum interim multi reges & Prophetæ videndi Christi desiderio tenerentur, nec viderint. Quin potius Esaias monet excæcatos fuisse Iudæos, qui videntes non viderunt, vt qui è sensu communi Christum metirentur, dicentes, Num hic est filius Fabri? Num fratres eius apud nos sunt? Et, ENaza-

*Rom. 10.**Ioan. 10.**Ioan. 8.**Daniel. 9.**Esai. 6.**Luc. 10.**Ioan. 12.**act. 28.**Io. 7.*

reth potest aliquid boni esse? Quos ad spirituale lumen Christus prouocabat, ne secundum faciem, sed rectum iudicium iudicarent. His oculis, cum Christum attendunt duo illi discipuli, quos Christi resurrectionis desperatio in Emmaum rapiebat, excæcantur, & ignorant colloquentem, simulque cum illis ambulantem. Sed & his confisa Magdalena, cum Dominum rediuuium requireret, ipsum licet sermonibus adoriretur, hortulanum tamen esse putabat: statim verò vbi interiora eleuauit, vox Christi mentem eius pulsauit, Christum confessa est, seque ad illius pedes prouoluit.

Est ergo fides eorum & quæ sub aspectum non cadunt, quæque frequenter longè à communi ordine distita sunt argumentum, hocque facillè emergit ex diuinis promissionibus, quibus constanter acquiescimus, etsi caro aliud nobis dictare videatur, hoc tu his exemplis intellige. Vide quomodo crediderit Abraham Deo, & reputatum sit illi ad iustitiam. Doceat te Apostolus. Non considerauit emortuam vuluam Saræ, nec emortuum corpus suum, cum iam ferè centum esset annorum: in re promissione etiam Dei non hæsitauit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo, sciens plenissimè quia quæcunque promisit Deus, potens est & facere. Ideò & reputatum est illi ad iustitiam. Nam contra spem in spem credidit, vt fieret pater multarum gentium,

*Guimundus lib. 1. in Berengarium.**Luc. 24.**Ioan. 20.**Rom. 4.**Genes. 15.*

*Genes. 17.* secundum quod dictum est: Sic erit semen tuū sicut stellæ, & arena maris. vides vt mentem submiserit? Non sic Sara, quæ risit occultè, dicens, Putásne centenariorum nascetur filius? Audi aliud, Venerat Israel in desertum Sin, cum que indigeret aqua, seditionem in Mosem excitauit. Tunc dominus ad Mosem. Tolle virgam, & loquimini ad petram coram populo, & illa dabit aquas. Hoc facit Moses, dicens, Audite rebelles & increduli, num de petra hac vobis aquam poterimus eiicere? Iam vt id crederetur, non natura petræ, sed quid aliud persuadebat quàm fides. fides enim nullū habet meritum, vbi humana ratio præbet experimentum (inquit Gregorius:) quin & illa rebus fidei aduersatur. Hac primum Naaman ab Heliseo recedens, dicebat: Putabam quòd egrederetur ad me, & stans inuocaret nomen Dei sui, & tangeret manu sua locum lepræ, & curaret me. Numquid non meliores sunt Abana & Pharphar fluuij Damasci omnibus aquis Israël, vt lauer in eis, & munder? Hac infidelitate tenebatur Martha, quando de Lazaro fratre sic cū Christo differebat. Domine iam fœtet: quatruiduanus enim est. Ad quam ex aduerso Christus, Nónne dixi tibi (inquit) quoniam si credideris, videbis gloriam dei? Sapienter quidem ad eam rem Epiphanius contra Anomæos: Numquam (inquit) fides, quæ omnem fidelem seruat, ex syllogistica hominum opinione consistit. fallaces enim sunt hominum cogitationes, & ad immensitatem essentia dei

se

se extendere non possunt. Qui enim his innitur, sese facilè in infidelitatis laqueum deiicit, & Dei in se vindicem manum concitat. Sic locutus est Loth ad generos suos, qui accepturi erant filias suas, & dixit: Surgite, egredimini de loco isto, quia delebit Dominus ciuitatem hanc. Et visus est eis quasi ludens loqui, cum interim sese magnæ illi ruinæ inuoluerent. Sic laborantibus magna fame Samaritanis, cum Helisæus frumenti simul & hordei abundantiam repromitteret, respondens vnus de ducibus, super cuius manu Rex incumberebat, homini dei ait: Si Dominus Deus etiam fecerit cataractas in cœlo, numquid poterit esse quod loqueris? Qui ait, Videbis oculis tuis, & inde non comedes. Nam crastino, cum portæ ciuitatis præfectus fuisset, populi pedibus conculcatus est. Perniciosum valde nobis est in iis hæsitare, quæ promptum per fidem nostræ mentis obsequium requirūt: ne, vt monet Psaltes, efficiamur sicut patres eorum, generatio praua & exasperans. Generatio quæ non direxit cor suum, & non credidit Deo spiritus eius. Quia non crediderunt Deo, nec sperauerunt in salutare eius. Et mandauit nubibus desuper, & ianuas cœli aperuit. In omnibus his peccauerunt adhuc, & non crediderunt in mirabilibus eius. Idcirco reuelata est ira dei super filios diffidentia. Est ergo fides (inquit Basilius) eorum quæ dicta sunt, assentiens approbatio, sine vlla hæsitacione, cum summa animi persuasione, de eorū veritate, quæ dei munere sunt præ-

B

*Psal. 144.*  
*Psal. 110.*  
*1o. 10o.*  
*Tertull. lib. de prescrip.*  
*In hares. 76. Anomacorum,*  
*Rom. 11.*  
*Homil. 1.*  
*Hexam. m*

dicatæ: quam fidem Abraham perhibetur habuisse. Nam si dominus fidelis in omnibus verbis suis, fidelia etiam omnia madata eius confirmata in seculum seculi: haud dubiè manifestū hoc fuerit infidelis argumētum, & signum superbix certissimum, si quis eorum quæ scripta sunt, aliquid velit reiicere, aut in quæstionē reuocare, cum Dominus dixerit, Oves meæ vocem meam audiunt. Aliud enim est credere, aliud opinari. Inconstās est & fluxa hominum opinio, & iis tantū innititur quæ apparent, aut probationis speciem gerunt. Fides autem certa omnia & indubia complectitur, quæ superent omnem exceptionem. Inde fit, ut qui opinioni suæ id tribuit quod debet fidei, facile in hæreses ruat: cum ipsa demum hæresis ab electione dicatur, ut per quam quisque eligat, quod melius esse opinatur, utique præferens opinionem suam & iudiciū vniuersali Ecclesiæ. Nam ratiocinationes hominū miseræ sunt, & corruptibiles ipsorum cogitationes, in quæstiones varias seipsas inuoluentes, ait Epiphanius. Alij enim sophisticè percunctantur de malo, vnde incepit: alij vnde diabolus, aut cur factus est: alij cur peccaturū hominem sic ipsum creauit: alij cur postea ipsi culpā adscribit. Sed quàm melius diuinam audimus scripturā, quæ iubet ne vltra sapiamus quàm oportet sapere, sed sapiamus ad sobrietatem? Probat Basilius in infinitū quæstiones diducendas, si tu semper & curiosè velis quærere, etiā in ipsa terra, quæ ut & omnes tenent Philosophi, in centro est.

Iam si quis quærat in quonā sit subiecto, quod eam suffulciat, an proximus ær, an aqua, & non cum grauior sit, his immergatur, quid illi sit deorsum: ad fidē erit deueniendū, ait. Ut quod Psaltes cecinit, Ego cōfirmaui columnas eius: super maria fundauit eam. & apud Iob, *Quis Lib. 12. de appēdit tribus digitis terram? Aptè utique Eu- prepar. E- sebius Cæsariensis ex Platone colligit, siue vlla uang. cap. 1. dubitatione leges sequendas esse: cum hoc ille modo scribat in libro de legibus. Si quis ritè Laconum aut Cretensum leges reprehendere possit, aliqua quæstio est. Ego autem iudico optimam esse legem, quæ iubet ne quis iuuenum interroget: senex autem, si quis dubitauerit, principibus aut æqualibus referat, nemine iuuenum audiente. Quod etiam dicit apud Iudæos olim & nostros obseruatum. Hoc quoque Pythagoræis erat familiarissimum, *ὄψος ἐφα*, ipse dixit. Quanto ergo maiorem habet auctoritatem verbum Dei? Quis contrā stare ausit, nisi & cum Deo pugnare, & naturæ repugnare dicatur?*

Hanc hæreticorum speciem assignat Apostolus, ut qui semper discant, & numquam ad scientiam veritatis perueniant. Si quis autem videtur contentiosus, Nos (inquit) talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei. Idcirco Cyrillus Hierosolymitanus sui temporis fideles admonuit, ut si quis catechumenorum interrogauerit, quid intus Patres dicerent, minimè ei respondeatur: nimirum ut docerentur in silentio vereri sacra mysteria.

Verum forsitan obieceris, Num mihi licebit ea quæ salutis sunt, scrutari? Licet quidem: ita tamen, ut cum illa in vna & Catholica Ecclesia inueneris, iam non liberè in quæstiones effluas, & menti tuæ innitare: verum acquiescas, morem geras, & credas. Augustinus in Enchiridio suo ad Laurentium: Satis tibi est symbolum (inquit). Licet tu etiam semper quærere velles, nec adhuc te credidisse putares, donec nihil discendum superesset. Et quæso te, quis fidelis esset. Quis cognouit sensum domini? Quin potius id exclamare licebit, quod apud Paulum est: O altitudo sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia Dei! Nec enim ipsi Angeli plenè & perfectè Deum intelligunt, sed ab eo illuminantur secundum mensuram donationis. Dicis itaque Credo, eandemque fidei confessionem habes, quam & Thomas, qui tum incredulitate laborabat, cum videre & tangere Christum vellet ut crederet: tandem verò in seipsum rediens, Dominus meus (ait) & Deus meus. An Christum è cælo in terras deducere, rursus è Virgine nascentem, rursus patientem, morientem, resurgentem, & in cælos ascendentem videre velles, alioquin minimè crediturus? Quid hæres? Tum enim maximè credideris, cum iis constanter adhæseris, quæ nec videre, nec tangere, nec animo assequi dabitur, & tamen Dei verbo annuntiantur.

Rom. 9.

Dionys. in Hierar. cælest.

Io. 20.

Quòd fides non innititur humana sapientia, sed diuina virtuti: quòdque ad fidem plus prodest simplicitas, quàm scientia.

**F**ORVM, omniū quæ cognoscimus, alia communi sensu, alia ratiocinatione, alia fide intelligimus. Comuni quidem sensu, quid aurum, quid argentum sit, quid æs, ferrum, lignum, cæteraque huiusmodi discernimus: Ratione verò, rerum naturas, formas, summa genera, ex quibus physicorum dogmatum principia consurgunt: Fide denique intelligimus aptata esse secula verbo Dei. Sed & in eternorum cognitionem, modò ratiocinando, modò credendo progredimur (inquit Richardus) cum quædam ex his, quæ credere iubemur, nò modò supra omnem rationem, verum etiam contra humanam rationem esse videantur, nisi profunda & subtilissima indagine discutiatur, vel potius diuina reuelatione manifestentur. Hoc primum Thomas Aquinas contra Gentilium errores statuit, ne velut turbulentis fluctibus humana mens impelleretur, si iudicio suo tota incuberet. Duplici namque via ad summam illam rerum diuinarum veritatem conscendimus, cum earum quædam omnem humanæ rationis facultatem excedant, quædam verò naturali lumine innotescant. Si enim eorum etiam quæ sub sensum cadunt, omnes facultates ignoramus, quis excellentissimæ, & omnia transcendentis substantiæ obstrusa & abdita quæq; sese assecuturum

Richardus de S. Victore lib. I. de Trinitate, cap. I.

Heb. II.

Lib. I. cap. 3.

Lib. 2. Metaphysic. iactabit? Aptè quidem Peripateticus. Aristoteles mentem nostram ad primum omnium entium, quæ tamen in natura manifestissima sunt, sic contulit, ut si oculus vespertilionis ad solem cõparetur. Hoc apud Iob audimus Deum ipsum monentem. Forsitan (inquit) Dei vestigia comprehendes, & omnipotentem usque ad perfectum reperies. Et rursus: Ecce Deus magnus, vinces scientiam nostram. Et Apostolus: Ex parte (inquit) cognoscimus, & ex parte prophetamus. Si enim summa illa veritas solum ratione & mentis acumine inclaresceret, detrimenta illa facile consequerentur, quæ Thomas Aquinas fusius exprimit. Paucis enim Deus innotesceret, quibus ex primis Philosophiæ fontibus id haurire liceat, non autem his quibus mens ipsa natura obtusior, & remissior est,

*Cum nihil invita faciant, dicant ve minerva.*

Sed etsi paucis, non nisi tamen post magnos diuturnosque labores exantlatos, ut ei qui

*Multi tulit fecitque puer, sudavit & alit.*

Nec quidem pueris, aut iuuenibus diuinum illud cognitionis tamè indulgeretur, nisi prius sedatis passionum fluctibus, ad maturiorè ætatè velut ad portum pervenirèt: cum iis solis philosophari liceat, qui ab illis perturbationibus longè semoti sunt. Postremò, si ex hominum sententia veritas illa proficiscitur, nutabit sanè: nam & facile in iudicando labimur, & variis demum fantasmatibus illudimur. Sapièter itaque diuina instituit clementia, ut ea etiam quæ ratio inuestigare potest, fide percipiamus & teneamus, ne

cui diuinæ illius cognitionis comunicatio negetur, stent autem omnia rata & indubia: nec, ut monet Apostolus, iam ambulemus sicut gætes ambulantes in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum. Sic enim Esaias: Ponam (inquit) uniuersos filios tuos doctos à Domino, doctrina nimirum fidei, qua homo ea intelligit, quibus inniti & confidere debeat. Sic ergo quisque nostrum se credere profiteretur, hoc primum habet in corde, hoc in ore prædicat, hoc protestatur: non quasi hæc omnia, quæ magna tandem constantia asserit, aut sensu suo, aut alterius opinione, sed è Dei verbo didicerit, & teneat. Credo, inquit, non opinor, ne incõstans illa videatur assertio, & probabilibus, & iis quæ fucum tantum veritatis habeant, inniti videatur. Non, scio, aut assero, ex rerum ordine, ex Philosophiæ & naturæ principis, ne doctis hæc vox peculiaris sit: sed quod omnes & Philosophi & idiotæ palam annuntiant, credo: ac si dicant, per fidem se nosse Deum esse, illum trinum, & in eum omnem suam confidentiam, spem certam & indubiam collocare. Hoc omnis ætas, si modò rationis capax est, hoc omnis sexus, omnes denique omnis conditionis homines audacter annuntiant. Nam (ut scribit Epiphanius) cum una & eadem fides sit, neque is qui parum, ipsam imminuit. Nec enim fides tam scientiam quam securam & tutissimam in ea quæ nobis prædicata sunt, confidentiam astruit: siue illa mentis acumine assequamur, ceu illis minus intellectis obsequamur. Eam ob rem an-

*Catech.* 6. riquissimi Ecclesiæ Patres fidem simul cum ignorantia stare asserunt: quin & Cyrillus ille Hierosolymitanus credere nihil potius esse ceteris, quam ignorantiam suam profiteri. Idem olim scripserat Dionysius Areopagita, libro suo de diuinis nominibus. Est enim (inquit) augustissima Dei scientia, quæ per ignoracionem scitur, in cõiunctione illa quæ sensum superat, quãdo

*Proverb.* 8. mēs omnia alia transiliens, & seipsam demum linquens, coniuncta fuerit lucidissimis radiis, inde atq; illuc inscrutabili sapientiæ profundo illustrata. Et hæc quidē iuxta scripturæ fidē, effectrix omniū & semper cuncta coaptas, ipsiusq; omniū indissolubilis conueniētiæ atq; ordinis causa, semper priorū fines sequentiū initiis iungens, vnāq; mundi conpirationē & congruentiam decentissimè moliens. Vnionem ergo illa discimus & intelligimus, quæ nobis ad salutem profutura sunt: cūque didicerimus, in iis speramus. Hoc est autem discere, parere & obsequi. Nā licet multa nobis ipsa natura duce manifesta fiant, cū inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt visibilia cognoscantur, sempiterna quoq; eius virtus & diuinitas: quàm varia tamen & perplexa in his Philosophorū sententiis est? Nam qui deos esse dixerūt, tanta sunt in varietate & dissensione cõstituti, ipso Cicerone teste, vt eorum molestum sit enumerare sententias. Nam & de figuris deorum, & de locis, & de sedibus, & actione vitæ multa dicuntur, de quæ his summa omniū dissensione certatur. Quod verò maximè rem causamque continet, est, utrū nihil agāt, nihil moliātur: an ab omni

*Cic. lib. I. de nat. Deor.*

curatione & administratione rerū vacēt, an cõtrā ab his & à principio omnia facta & cõstituta sint, & ad finitum tempus regantur atque moueātur. Ergo quid sit diuina substantia (inquit Ioannes Damascenus) vel quo pacto vbi que sit, & in omnibus: quomodo Deus ex Deo genitus est aut processit, aut quemadmodum seipsum exinaniuit vnigenitus filius, & Deus homo factus ex virginis sanguinibus alia quàm naturæ lege plasmatus est, aut quomodo siccis pedibus super aquas ambulauit, & ignoramus, & eloqui non valemus. Quid ergo nostræ opinioni, & non Dei verbo, potius innitamur? Quid hinc non potius cæcos nos agnoscamus, nisi diuino lumine dirigamur? Diuus Hilarius stultitiam, & animi nostri imbecillitatem his in mysteriis agnoscit: vt cū de rebus diuinis sermo fuerit, cõcedamus cognitionē sui Deo, dictisq; eius pia veneratione famulemur. Idoneus enim (inquit) sibi testis est, qui nisi per se cognitus nō est. Sed & libro tertio de Trinitate monet, vt cū recognita stultitiæ nostræ intelligētiā, imperitiā naturalis in nobis imprudentiæ senserimus, tum diuina illa sapientia imbuamur. Nec enim cognouit mundus per sapientiam deum, inquit Aposto-

*Lib. I. De fide de orthod.*

*Cap. 2.*

*Lib. I. De Trinitate.*

*I. Cor. I*

fit in sapientia hominum, sed in virtute Dei. Sapientiam quidem loquimur inter perfectos sapientiam verò non huius seculi, neque Principum huius seculi, qui destruuntur: sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quam nemo Principum huius seculi cognouit. Quae enim frôte piscatores illos Apostolos, qua mechanicum Paulum Dei verba intonantem huius seculi sapientes audierunt? Athenis Paulus cum Epicureis & Stoicis differabat: illi vero, Quid, inquit, sibi vult iste *περμολογός*? Alij verò, Nouorum Dæmoniorū videtur annunciator esse: quòd palàm Iesum & resurrectionē profiteretur. Ipse etiã se *ἰδιώτῃ τῷ λόγῳ*, imperitum sermone dixit, sed non diuinitus infusã scientiã, quæ vinceret arcana quadam vi, non è Rhetorum officinis, aut Oratorū floribus, sed energia Spiritus sancti, *ἐν ἁποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως*. Nec alia sanè ratione Tertullianus Philosophos, patres hæreticorū vocauit, quàm quod illorū placitis omninò incumbere, & non potius per fidem ea, quibus acquiescendum est, tenere, nihil secus est, quàm se è veritatis luce in profundissimas mēdacionum tenebras deiicere. Non quod insita hæc diuina lux à naturà, quæ Deum esse cognoscimus, omninò aspernanda sit: sed quòd ei fides, verbum etiam Dei præferendum est. Hoc D. Augustinus in eo libello quem de vtilitate credendi edidit, primum ratum esse voluit. Ego (ait) credere ante rationem, cum percipiendæ rationis non sis idoneus, & ipsa fide animum excolere excipiendis seminibus veri-

*Act. 16.**1. Cor. 3.**Lib. De præscript.**Cap. 14.*

tatis, non solùm saluberrimum iudico, sed tale omninò, sine quo ægris animis salus redire non possit. Ita promptè credidit cæcus natus in filium Dei, cum Christum in templo docentem audiisset: Ita paralyticus curatus, ita *Ioan. 9.* Eunuchus Candacis reginæ: ita denique *Ioan. 4.* quotquot Spiritus sanctus vt crederent de- *act. 8.* mulsit, quiq̃ue in cordis simplicitate sese Deo deuouerunt. Narrat Eusebius Cæsariensis Constantini temporibus Philosophum quen- *Lib. 19.* dam cum catholicis Episcopis multis diebus *cap. 3. hi-* de fide differuisse, sed sine fructu: quoties ni- *storia Ec-* mirum argumentis & vi sophisticis & elo- *cles.* quentiæ actum est. toties enim ille, licet constrictus putaretur, velut anguis lubricus euadebat. Tùm verò, vt ostenderet Deus quòd non in sermone, sed in virtute est regnum Dei, vnus ex confessoribus, simplicissimæ naturæ vir, qui nihil aliud sciebat nisi Iesum Christum, & eum crucifixum: cum videret Philosophum insultantem, velut alter David in Goliath, non hasta aut clypeo, sed fide munitus, *1. Cor. 3.* poposcit ab omnibus locum, velle se paucis *1. reg. 17.* cum Philosopho sermocinari. Tùm nostri, qui simplicitatem hominis nossent, erubuere: coacti tamen locum dedere, timentes interim ne risui efficeretur simplicitas. Tùm ergo ille cum Philosopho sic orsus est: In nomine Iesu Christi, Philosophè, audi quæ vera sunt. Deus vnus est, qui fecit cælum & terram: quiq̃ue homini, quem de limo terræ formauit, spiritum dedit, qui creauit omnia



verbi virtute, & spiritu sanctificationis formavit. Hoc verbum à sapientia, quam nos filium dicimus, nostros miseratus errores, ex virgine natū est, & per passionem mortis peccata lauit, & per resurrectionē vitā nobis contulit. Hic cælo exceptus est, quem credimus esse venturum. Ad hæc Philosophus obstupuit, & cessit, verbum suscipiens, & Christianus effectus: hoc palam asserens, plus illi simplicitatem illam sermonis profuisse, quàm ratiocinationes omnes. tantum momenti habet simplicitas fidei, vt argutias omnes doctissimorum superet. Hoc agnouit magnus Constantinus, & ipse è Gentilitio cultu ad Christianismum conuersus, cum in ea oratione, quā ad sanctorum cætum habuit, hæc inferat. Probabilitas enim, quæ in disceptationibus versari solet, magnam partem nostri à veritate abducit: quod non paucis Philosophis, qui tū in differendi subtilitate, tū in rerum natura indaganda magnas nugas confectentur, profectò contingit. Quoties enim, si fortè rerum cōquisitarum magnitudo eorum captum superet, variis quibusdam & argutis dicendi rationibus ipsum verum obscurant? Itaque illis accidit, vt sibi pugnancia opinentur, & decretis digladiantur inter se, idque cum se sapientes haberi volunt. Hunc eorum sensum reprobum vocat Apostolus: sed & eos euauisse dicit in cogitationibus suis, vt qui palma cælum, & mente sua Deum maximum & potentissimum metirentur. Nec alia profectò via

Cap. 9.

Rom. 1.

quidam ab Ecclesia Catholica desciscunt, quàm quod sacra mysteria suo pte ingenio metiuntur. Nec aliundè enatæ sunt hæreses quam quod scripturæ bonè intelliguntur non bene, & quod male intelligitur, audacter & temerè defenditur, vt doctè scripsit Augustinus. *Aug. tract. 18. in Ioannem.*

Elati nimirum, & superba vanitatis loquentes, dum dicunt se sapientes esse, stulti facti sunt. In tenebris ambulant, mouentur omnia fundamenta terræ, & soliditatis eorum: vt nesciant neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant, & omni vento doctrinæ impellantur, non minus quàm nubes turbinibus exagitata, quibus caligo tenebrarum reseruatur. *Ea. 2. Pet. 2.* propter Christus, Gratias (inquit) ago tibi, pater, quia abscondisti hæc à sapiētibus, & reuelasti paruulis: quòd nihil tam fidei obsit quàm arrogantia, nihil tam profit vt humilitas & simplicitas. Doctrina enim inflat (ait Paulus) charitas autem ædificat. Quid enim aliud quàm arrogantia, doctos alioquin viros è culmine fidei in absurdissimas hæreses præcipitavit? quid aliud fefellit, quàm sua ipsorum opinio? Aptè sane Vincentius Lirinensis *Lib. contra* sen hîc audiendum exhortatur, cur docti viri, *novation.* & qui propter scientiæ gratiam ab Apostolo *heretic.* etiam Prophetæ nuncupantur, proferant interdum noua dogmata, quæ vetus Testamentum allegorico sermone Deos alienos appellare consuevit: eò quòd scilicet ita ab hæreticis ipsorum opiniones, sicut à Gentilibus dii sui obseruatur. Scribit ergo in Deuteronomio

beatus moyses: Si surrexerit in medio tui Propheta, aut qui somnium se vidisse dicat: id est, magister in Ecclesia cōstitutus, quem discipuli vel auditores sui ex aliqua reuelatione docere arbitrentur. Quid deinde? Et dixerit tibi, Eamus, & sequamur Deos alienos, quos ignoras, & seruiamus eis. Qui sunt dij alieni, nisi errores extranei, quos ignorabas, id est, noui & inauditi? Seruiamus eis, dicet, credamus eis, sequamur eos. Quid ad extremum? Non audies (inquit) verba Prophetę illius & somniatoris. Ita sunt aurei Gētium dij, vt qui fucum externum verborū præ se ferant, cū interim idola sint, nihil quidem in hoc mundo, vt qui præter fumum, illumque superbix apparatus nihil prorsus habeāt. Et quidē eos hōc maximē gloriari intelligas, quōd & eloquentes sint & apud doctos benē audiant: ipsi interim simplices condemnare non vereantur, non secus ac Pharisæi plebem illā, quæ Christum sequebatur & audiebat. Sic enim illi vociferabantur: Turba hæc, quæ non nouit legem, maledicta est: cū tamen humiles exaltaret Deus, & superbos deprimeret. Verū arrogantes illi obiectant, plebeculam nescire, nec mente assequi illa quæ ore profitetur. Sit ita. num idē fidem exclusit? Nunquid & tanto magis eius fides prædicatur, quanto ea quæ credit, mente minus assequitur? Augustinus contra tam temerariam censuram, Petri confessionem statuit. Cū enim Christus, de carnis suę maleducatione loqueretur, quidam verò scandali-

Ioan. 7.

Tom. 8. in  
Psal. 54.

zati recessissent, suis ille hæc suggessit. Nunquid & vos vultis abire? Tūm vesō Petrus, Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. Intelligite, obsecramus vos, & paruuli discite pietatem. Nunquid Petrus intelligebat seretum sermonis illius Christi? Nondum intelligebat: sed bona esse verba, quæ non intelligebat, piē credebat. Quinetiam, vt Clemens Alexandrinis in suis Commentariis obseruat, magnam laudem pueri & Psaltis oraculo, & Christi verbis assecuti sunt, ex illa confessione quam Christo reddiderunt, Scribis interim & Pharisæis obmurmurantibus. Sic enim Deus ex ore infantium & lactantium perfecit laudem, vt confundat inimicum & vltorem. Alioquin si tacuerint hi, lapides clamabunt, & quantumuis barbaræ, & ab hominum commune secreta turba Christum proclamabit, & admirabitur. Etsi verò obtusioris fuerit ingenij, si tamen tota mente & totis viribus Deum amplectatur, num fructum fidei assequetur? Hieronymus in Luciferiani hæresin hoc confirmat, cū fidem distinguit: vnā quæ latior sit in mysteriis, qualis in doctioribus est: alteram, quæ compendiosior, magnæ tamē sit energiæ, vt quæ certissimā & inuincibilem in Deum cōfidentia annexā habeat. Fides enim illa (inquit) de qua in Euāgelio scriptum est. Putasne cū venerit filius hominis, inueniet fidem in terra: hæc ipsa est, quam Dominus extulit, dicēs, Fides tua te saluam fecit: & alibi de Centurione, Non inueni tantam si-

Lib. 6.

Psal. 8.

Luc. 18.

*Marc. 5.* dē in Israēl, & rursus ad Apostolos, Quid timidi estis modicæ fidei? Nec non & in alio loco,  
*Math. 8.* Si habueritis fidem sicut granum sinapi, dicitis huic monti, Transmigra, & transmigrabit. Neque enim Centurio, aut illa muliercula quæ per duodecim annos fluxu sanguinis tabescebat, in Trinitatis sacramenta crediderat, quæ post resurrectionē Christi Apostolis manifesta sunt, ut meritò fides horum, quæ in mysterio est, laudaretur: sed simplicitas mentis, & deuota Deo suo anima approbata est. Dicebat enim in corde suo, Si tetigero vestimentum eius tātum, salua fiam. Hęc est fides, quam rarò inuentā Deus pronunciauit: hęc est fides, quæ etiam apud eos qui benè credunt, difficile perfecta inuenitur. Fiat tibi secundum fidem tuam, inquit Deus. Hanc ego fidem audire uolo. Si enim secundum fidem meam fiat mihi, peribo. Et certè credo in Deum patrem, credo in Deum filium, & credo in Deū spiritum sanctum. Credo in vnum Deum, & tamen secundum fidem meam nolo mihi fieri. sæpe quippe venit inimicus homo, & inter dominicam messem Zizania interserit. Neque hoc dico, quòd maius quicquam sit quàm sacramenti fides, quàm puritas animæ: sed quòd indubitata ad Deum fides ardua reperitur. Verbi gratia dictum sit, ut quod volumus, perspicuum fiat: Ad orationem assisto. Non orarem, si non crederem. Sed si verè crederem, illud cor quo Deus videtur, mundarem, manibus, tunderem pectus, genas lachrymis rigarem, corde mollescerem

lescerem, corpore inhorrescerem, ore pallerem, iacerem ad domini mei pedes, eosque fletu perfunderem crine tergerem, hæterem certè trunco crucis, nec prius omitterem, quàm misericordiam impetrarem. Nunc verò creberrimè in oratione mea aut per porticus deambulo, aut de fœnore cõputo, aut adductus turpi cogitatione, etiam quæ dictu erubescenda sunt gero. Vbi illic est fides? Siccine putamus orasse Ionam, sic tres pueros, sic Danielem inter Leones, sic certè Latronem in cruce? Et hęc ego exempli causa ad intelligentiã sensus protuli. Ceterum conueniat vnusquisque cor suum, & in omni vita inueniet, quàm rarum sit fidelem animam inuenire, ut nihil ob gloriæ cupiditatem, nihil ob rumusculos hominũ faciant. hęc Hieronymus. Ad quem accedit & Cypriani sentētia. Dominus enim (inquit) tempora nostra respiciens, in Euangelio suo dicit: filius hominis cum venerit, putas inueniet fidem in terra? Videmus fieri quod ille prædixit. In Dei timore, in lege iustitiæ, in dilectione, in opere fides nulla est. Nemo futurorũ metum cogitat, diem Domini, & irã Dei, & incredulis ventura supplicia, & statuta perfidis æterna supplicia nemo considerat. Quod metueret cõscientia nostra, si crederet: si autè crederet, & caueret: si caueret, euaderet. Iam ut ad propositũ redeat oratio, quis melius nouissima illa attendit, quis feruētore animi attentione in Deū fertur, quis maiore fiducia ei innititur? Num hïc doctus ab indocto, num

*Lib. De simplicitate Prælatoris.*

*Math. 24.*

antistes ab idiota distingui debet, ac si non etiam & indoctus Deo inhæreat, illiusque misericordiã amplectatur? Talis enim erat Centurio, talis Hemorroïssa & Chananæa, quorum fides est in Euangelio commendatissima. Nihil hîc sophistarum elenchi, nihil oratorum nerui proficiunt, sed mens humilis, simplex, eademque Dei verbo in omnibus obsequês. Sic enim sanctissima & integerrima virgo Dei nostri mater, cum admiradẽ illius conceptionis mysterium requisisset, dicens, Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Angelo docenti cessit, & intulit, Ecce ancilla Domini: fiat mihi secundum verbũ tuum. Proinde Elizabeth, Beata (inquit) quæ credidisti, quoniam perficientur in te quæ dicta sunt tibi à Domino. Si acquiescere oportet iis quæ credi debent, vt nihil in temerariam quæstionem adducas, cum credendo maximè diuina mysteria innotescant.

Luc. 1.

*Quòd fides, etsi Dei donum sit nostrum tamen assensum requirit, & quomodo illa ex auditu, auditus autem per verbum Dei: ubi de auditu spiritali, & verbo increato differitur.*



**V** I Philosophicis disciplinis imbuendus est, hoc potissimùm cauere debet, ne pro Philosophis sophistas audiat. Habent enim illi fucum quendam verborum, & plausum, & ostenta-

tionem, quã facilè simplices & incautos alligant, etsi ipsam interim Philosophiam impugnet. Hoc, velut si quis ad fucum, non autem ad innatam pulchritudinem recurrat. Atqui.

*Decipimur specie reãti, cum habeat vitium speciem virtutis & umbram.* Quot verò nunc in diuinis rebus sophistas reperias? Fuerunt olim Pseudoprophetæ in populo, sicut & in vobis magistri mendaces, inquit Petrus: quos omnes si interrogaueris an veritatem habeant, ipsam etiam in triuuiis, vt olim sophistæ, profitebuntur. Ergo cauendũ, ne pro veritate mendacium haurias, & qui te credere asseris, pro fide perfidiam amplectaris. Videtis etiam in plantis, venenatas quasdam ad similitudinem bonarum accedere. Hîc igitur iudicio opus est. Nam & Coloquintidas agrestes pro caulibus vnus ex Prophetarum filiis collegerat, ex quo ad Helisæum inelamatum est, Mors in olla vir Dei. Hoc si in medicis rebus, & iis quæ in cibũ instituta sunt, quãto magis in fide, quæ cibus est & medicina anime? Hic est enim cibus (ait Christus) vt credatis eũ quẽ misit ille.

2. Pet. 2.

4. Reg. 4.

Ioan. 6.

Itaque cum iam fidei definitionem audierimus, ad radicem illius deueniendum est, vt fructum ex arbore dignoscamus. Num scilicet omnibus est fides, & non de his tantum quæ ex Dei verbo audierimus? Iam si primam fidei originem quærimus, respondet Paulus illam Dei donum esse, vt ne quis gloriatur: requirit tamen assensum nostrum, vt tandem diuino beneficio augeatur. Sic

Ephes. 2.

*Lib. 4. in  
cap. 4. epist.  
ad Rom.*

*Enarrat. in  
Psal. 87.*

*Ioan. 6.*

enim orarunt Apostoli, Domine, adauge nobis fidem. Sic, ut scribit Origenes, ubi Paulus dona spiritus enumerat, quæ dicit secundum fidem credentibus dari, etiam ibi inter cætera ait, donum fidei per spiritum sanctum tribui. Ait enim: Alij fides in eodem spiritu, ut ostendat quod etiam fides per gratiam datur. Sed & alibi ait, quia à Deo vobis datum est, non solum ut credatis in Christum, sed & ut patiamini pro illo. Nunquid enim mortuis facies, ô Deus, mirabilia, aut enarrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuam? Quæ Psaltis verba Augustinus expendens, Nimis (inquit) occulta est Dei gratia, qua homines reuiuiscunt, ut possint à quibuslibet eius ministris præcepta veritatis audire. Quam gratiam commendat in Euangelio, dicens, Nemo potest venire ad me, nisi pater, qui misit me, traxerit eum. Et paulò post apertius hoc repetens, ait. Verba quæ loquor vobis, spiritus & vita sunt: sed sunt quidam ex vobis qui non credunt. Deinde interponit Euangelista: Sciebat enim ab initio Iesus, qui essent credituri, & quis traditurus eum esset. Et addit rationem huius: Sunt quidam qui non credunt. Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi datum ei fuerit à patre meo: ut ostendat eam ipsam fidem, qua creditur, dari nobis à Deo. Quantumlibet ergo verbi Dei & veritatis excellentes prædicatores, etiam per miracula sua fortes, tanquam magni medici, agant cum hominibus: si mortui sunt, & tua, ô Deus, gratia non reuixerint, nunquid mor-

tuis facies mirabilia, aut medici exuscitabunt eos, qui tandem confiteantur tibi? hæc enim confessio viuos indicat. Huc spectat hæc Pauli verba, Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, de quo non audierunt? fides enim ex auditu. Ergo verbum ad nos fieri, auditumque nostrum erigi, prius necessarium est, quam fides formetur in nobis. Itaque vocantem nos, & allicientem agnoscere debemus, qui non modò per eos qui mittuntur, nos alloquitur: sed & mentes nostras erigit, & dociliores reddit. Nec enim ad audiendum sonus aut verbum solum requiritur, sed & facilis auditus. Quid enim surdi audire, quid demum cæci videre poterunt? At verò & surdi & cæci sumus, nisi id diuina gratia restituatur in nobis, quod peccatis exigentibus amisimus. Auditus scilicet non is modò est, qui homini cum brutis communis est, sed & qui piis mentibus peculiaris est. Audiebant enim Scribæ & Pharisei quotidie Christum loquentem: videbant & miracula facientem: & tamè non modò propheticis, sed & ipsius domini verbis cæci & surdi vocantur. De iis enim dictum erat, *Esai. 6.* Aure audietis, & non audietis. Sopitus & mortuus erat in eis auditus hic, quo diuinum verbum haurire, & velut in terram bonam recondere debuerant: sed incrassatum est cor eorum, ut aure audiant, & non intelligant. De cordis igitur auditu hæc maximè dicuntur. Huc verò quis restituere poterit, nisi Deus

Si enim iis, qui vi morbi alicuius surdi aut cœci facti sunt, ne quidem omni medicâ industria communes illi sensus reparantur, quid si langueat anima? Quid si nec audiat, nec videat, sed in modum mortuæ se habeat? Difficilius enim abdita hæc & abstrusa curantur. Quinetiam obiectum requiritur, ut Basilius explicat. Quemadmodum enim (inquit) oculus cum luminata loca exierit, ac in obscura incidere, propter priuationem luminis videre desinit: sic intellectus si extra id quod est, imaginationibus compellatur, cum veritas quasi lux eum derelinquat, confusus & insipiens ab intelligendo desinit. Nec igitur oculus, si lux non est, visu uti poterit: nec intellectus ab vnigeniti sensu diductus, officio intelligendi utetur. Quare vana omnino est illa mens, & inflata, nihil intelligit, quæ vnigenito antiquiora se concepisse opinatur, sicut acumen visus ei oculo attestetur qui ad tenebras inspicit. In lumine enim tuo (inquit) videbimus lumen. Alioquin qui intellexisse se dicit, quando non erat lumen, similis iis est, qui in sensu frenetico, quæ non adsunt, videre se imaginantur. Nam, ut monet Augustinus, si non sumus idonei cogitare aliquid quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est, profectò non sumus idonei credere aliquid quasi ex nobismetipsis, quòd sine cogitatione non possumus. Nec quidem resisti potest diuinis testimoniis, quibus & fides, vnde pietas exordium sumit, donum Dei

Lib. 2. cõtra  
Eunomii.

psal. 35.

Lib. De præ-  
destinatio-  
ne sancto-  
rum. Cap. 7.

2. Cor. 3.

esse monstratur, quale est illud, quòd vnique Deus partitus est mensuram Fidei, & illud, Pax fratribus, & charitas cum fide, à Deo patre & Domino Iesu Christo. & illud, Cuius vult, miseretur: licet illa misericordia præcedenti merito fidei tribuatur, & ista obduratio præcedenti iniquitati. Adhuc nimirum querendum est, vtrum meritum fidei misericordiam Dei præueniat: id est, vtrum ista misericordia tantummodò fiat in homine, quia fidelis est, an etiam facta fuerit, ut fidelis esset. Legimus enim dicentem Apostolum, Misericordiam consecutus sum, ut fidelis essem: non ait, quia fidelis eram. Fideli ergo datur quidem, sed data est etiam ut esset fidelis. Hæc sapienter Augustinus: cum omne bonum perfectum deorsum sit, & omnis sapientia & scientia, quæ nos in salutem erigit, à patre luminum emanet. Quid enim habes, ô homo, quod non accepisti? Et prima sanè & consequens gratia à Deo est: ita tamen, ut non nisi assentientibus nobis, & docilem mentis aurem præbentibus, fides illa formetur in nobis, quæ reddit creditum perfectum, & Deo totum connectit. Primam enim fidem, assensum illum dixerim, sed qui duplici ratione, Dei gratia, acceptum habeat id quod intelligit & assentitur. Nam cum non prius quis audire dicatur, quàm audiendi capax fuerit, & sensus illius obiectum appareat, Deus non modò internum mentis nostræ auditum excitat, & à veteri morbo expurgat, sed & ei verbum suum ultro porrigit, quod attendamus & vereamur.

Rom. 12.

August.  
Cap. 3. ibi-  
dem, &  
Cap. 7.

1. Timot. 1.

1. ac. 1.

2. Cor. 4.

Itaque; aliquid à nobis requiritur ut credamus, licet præcurrat illa gratia, qua & interior mentis auditus reparatur, & Dei verbum cõmunicatur. Inscrit enim Deus semẽ hoc verbi sui in terram cordis nostri: verum quia non eadem omnibus intentio, sed alius spinis huius seculi suffocatur, alius ad instar lapidis idurescit, alius omni tentationi sese obicit: idẽ ij tantum qui in corde bono & optimo semen verbi susceperunt, fructum afferunt in patientia. Hæc multis in locis illustrat Augustinus, ut cum hæc Christi verba interpretatur: Nemo potest venire ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum. Quid hinc, (ait) dicimus fratres? Si trahimur ad Christum, ergo inuiti credimus, ergo violentia adhibetur, non voluntas excitatur? Intrare quisquam Ecclesiam potest nolens, accedere ad altare potest nolens, accipere potest sacramentum nolens, credere non potest nisi volens. Si corpore crederetur, fieret in nolentibus: sed non corpore creditur. Et alibi, Quid est (inquit) credere, nisi consentire verum esse quod dicitur? Consensio autem utique volentis est: sic denique fides est in nostra potestate. Huc recurrunt hæc Christi verba ad Thomam Apostolum: Noli esse incredulus, sed fidelis. & hæc, Audite & intelligite. & rursus, Qui habet aures audiendi, audiat. Nec enim temerè aut superflue aures audiendi dicuntur, sed ad maioreẽ emphasim, ut assensus noster & docilitas significetur. Hic est ille auditus fidei, ad quem nos in-

*Math. 13.*

*Tract. 26.  
in Ioan.*

*De Spiritu  
& Litera.  
Cap. 31.*

*Ioan. 20.*

*Math. 15.*

*Math. 24.*

uitat Psaltes, dicens: Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra. ad quem ipse sese excitat, cum ait, Audiam quid loquatur Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam. Sicut enim ij, qui cum acie oculorum valeant, licet illis aliquid porrigatur in quod intueantur, attamen penitus nihil vident, si pertinaciter oculos clauerint: si qua verò hinc culpa est, non in naturam, quæ sana est & integra, non in obiectum, quasi illud aspicere volenti defuerit, rectorquenda est, sed in ipsam hominis pertinaciam, ut qui oculos aperire noluerit: Non secus quoque perfidis hominibus contingit, ut spiritualibus oculis nihil intueantur, si sese à fidei lumine auerterint. Ergo ut quis videat, tria hæc concurrere oportet, oculorum vim, obiectum visus, & ipsam nostræ aciei intentionem: idque etiam in anima fidei: ne qui docetur, fiat ad instar aspidis surdæ & obturantis aures suas, quæ non audiuit vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter: ne sicut Iudæi contineant aures suas. Nempè hoc eis grauissimum peccatum exprobrat Christus, *Io. 10.* dicēs, Loquor vobis, & non creditis: &, *Quo-* *Math. 23.* *ties,* ò Hierusalẽ, volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina cõgregat pullos suos sub alas, & noluisti?

Verumtamen (vtar enim verbis Basilij) cuiusmodi debet esse auditus ad percipiendam eorum quæ dicuntur magnitudinem? quoniam apparatu adornatam oportet esse animam?

*Psal. 57.*

*Hom. I. He-*  
*xam.*

Nempè liberrimam, perpurgatam ab omni  
carnis affectione, minimè caligantem tempo-  
rariæ istius vitæ curis: sed quæ vndiquaque  
circumspiciat, contempletur cuncta, & ex-  
ploret, sicunde notio aliqua aut conceptio  
nihil Deo indigna effulgeat menti. Oves nos  
esse oportet, non lupos, non denique eius  
speciei homines, quæ ferum quid, & à man-  
suetudine & simplicitate alienum significet.  
Ait enim Christus, Oves meæ vocem meam  
audiunt: propterea vos non auditis, quia non  
estis ex ouibus meis. Et rursus, Qui ex Deo est,  
verba Dei audit. Hoc autem est esse ex Deo, ni-  
hil aliud spirare quàm Deum, eumq; tota men-  
te, & omnibus obsequiis amplecti.

Iam cum fides Dei donum sit, nos autem il-  
lam per auditum assequamur, superest vt de  
obiecto ipso aliquid dicamus. Auditus (inquit  
Paulus) per verbum Dei. Idcirco Sapiens, vbi  
non est auditus (ait) ibi ne effundas verbum.  
Verùm hâc potior ratio verbi habenda est,  
cum omnes & pseudoprophetæ & hæretici  
sibi Dei verbum arrogant.

Verbum aliud increatum & æternum, aliud  
creatum quod ab æterno, vt à causa prima e-  
manat. sic enim Augustinus expendit, cum de  
eo verbo differit, cuius vocem audimus, statim  
atque spiritum Domini senserimus. Audio (in-  
quit) dicentem scripturam, quia filius hoc lo-  
quitur quod audiuit à patre, & rursus, quod  
ipse verbum patris est. In principio enim erat  
verbum. Quid dicimus fratres? Deus cum lo-

queretur adhibuit vocem, sonos, syllabas? Si  
ista: qua lingua locutus est? Hebræa, Græca, an  
Latina? Hoc dicere non potes: sed cor tuū at-  
tende, quando concipis verbum quod dicas,  
rem vis dicere, & ipsa cordis conceptio iam  
verbum est. Attende autem ad quem proce-  
das, & cum quo loquaris. Si Latinus est, vo-  
cem Latinam quæris: si Græcus, Græcam, &c.  
Pro diuersitate auditorum diuersas linguas ad-  
hibes, vt proferas verbum conceptum: illud  
autem nulla lingua tenebatur. Sic verbum  
quod concepisti, spiritus est: ita filius. Vestit  
autem se ille carne, vestit & reuelatione ve-  
ritatis suæ, verbo, & visione. Et idem alibi,  
Quandiu sumus, peregrinamur à Domino.  
Quà imus? Per fidem, & per Christum. Quò  
imus? Ad veritatem, & ad Christum. Ipse e-  
nim dixit, Ego sum via, veritas, & vita, & rur-  
sus, Si manseritis in sermone meo, verè liberi  
eritis. In quo sermone? In quo verbo? sicut di-  
cit Apostolus, Hoc est verbum Dei quod præ-  
dicamus. Veritas immortalis & incommuta-  
bilis est. Veritas illud verbum est, de quo, In  
principio erat verbum. Et quis hoc videt, ni-  
si corde mundato? Et verbum caro factum  
est, & habitauit in nobis. Ergo hoc verbum  
quod prædicamus, caro factum est. Acce-  
dit & Dionysius, qui λόγον verbum ceu ra-  
tionem filium nuncupat, nostræ fidei fun-  
damentum & obiectum, cui nimirum super-  
strui oportet quicquid ad salutem erigimus,  
cum aliud fundamentum nemo ponere possit.

Io. 10.

Rom. 10.

Ecclesiast.

32.

Tract. 14.

in Ioan. ca.

13.

Ioan. 3.

Ioan. 8.

Ioan. 1.

Præfat. in

psal. 123.

2. Cor. 5.

Ioan. 14.

Ioan. 8.

Ioan. 1.

Lib. de di-  
uinis nomi-  
nibus.

1. Cor. 3.



Hæc ratio est simplex, verèque subsistens veritas, inquit: circa quam vt liquidam & nusquam oberrantem scientiam omnium diuina fides est stabilis credentium sedes. Nam, vt Basiliius, quæ filium excedunt, non intelliguntur: quoniam quod est oculo sensibile lumen, hoc est animæ Deus verbum. Erat enim, inquit, lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Hoc verbum, pædagogum nostrum vocat Clemens Alexandrinus, quem etiã tribus libris describit. quin & in Exhortatione quam ad Gentes habuit, quomodo ab hominibus auditus sit, explicat. Multiplices quidem (inquit) habet Seruator voces & modos ad salutem hominum: minans admonet, maledicens conuertit, deflens miseretur, psallens per rubum loquitur, quoniam illi signis egebant & prodigiis: & igne terret homines, ex columna flammam accendens, quod simul gratiæ & timoris indicium: vt si obedieris, lucem, si non obedieris, ignem habeas. Ipse est Dominus loquens in Esaia, ipse in Helia, ipse in ore Prophetarum. Huc recurrit quod Augustinus lucernam aliam luminis, aliam lucernam lumen esse dicit, cum & verbum Dei lucerna sit, & Baptista lucerna nuncupetur. Duplex enim (ait) est Dei verbum: vnum increatum, quod lumen est, non lucerna. Sed & lucerna verbum est, quod factum est ad Prophetas, cum Petrus Prophetiam vocet lucernam, in loco caliginoso lucetem. Hoc verbum prædicatum est per Apo-

Lib. 2. contra  
Eunomium.

Lib. 1. Pæ-  
dagog. cap.  
3.

Ps. 118.

2. Pet. 1.

stolos, & est lucerna luminis Christi, non lucerna lumen. De hoc λόγῳ seu verbo multa diuinè Plato, vt obseruat Eusebius Cæsariensis, cum ad illud reuocet omnem sapiētiam & rationem. Lactantius libro quarto de vera sapientia, Λόγος (inquit) sermo, ratio, & sapientia est. Hunc ne Philosophi quidem ignorarunt: siquidem Zenon, rerum naturæ expositorem atque opificem λόγον vocat, quem & necessitatem, & animum Iouis, & Deum nuncupat. Et Trismegistus, qui veritatem vniuersam nescio quo modo inuestigauit, virtutem, maiestatemque verbi sæpè descripsit, cum fateretur esse ineffabilem quædam, sanctumque sermonem, cuius enarratio modum hominis excedit. Iustinus etiam Martyr hæc ex Orpheo ad Musæum filium confirmat, vt qui diuinum sermonem attendendum, & ducem in omnibus præfigendum monet, vocem λόγον admit-

tens. Ait enim,  
Εἰς δὲ λόγον θεῖον βλέψαι, τὸ τῷ πνεύματι  
ἰθυῶν καρδίας νοερὸν λόπος, εὐτ' ἐπίσταται  
Ἄτραπιτθ, μῦθον δ' ἐσὸρα κόσμοιο ἀνάκτα. i.

Tu verò diuinum sermonem intuens, ei diligenter animum aduerte, intendens cordis rationis capax receptaculum: directè autem ascende viam, solum aspice mundi regem.

Verbum ergo illud, licet æternum & spirituale, sese tamen nobis communicat, nūc quidem per speculum in ænigmate, tandem verò facie ad faciem. Ab eo omnis veritas proficiscitur, siue illa visione, reuelatione, scripto, aut

Lib. 11. de  
demonstr.  
Euangel.  
cap. 10.  
Cap. 9.

In sermone  
exhortato-  
rio ad Gen-  
tes.

Orpheus ad  
Musæum.

I. Cor. 13.

Math. 24.

In Ps. 118.

alio quouis modo hominibus innotescat. Ab eo quicquid corporali auditu excipitur, ut fidem cordibus nostris inserat, verbū Dei nuncupatur. Hoc illud est verbum, quod cæteris, ceu scripturis, ceu visionibus, imò & ipsa fide transeuntibus, manet in æternum: cum speculo sublato, clara illa verbi species superfit. Hinc verba Dei sunt, quæcunque Prophetæ locuti sunt, ait Hilarius. Cum enim Moses verbis suis Hebræo populo legis obseruantiam nuntiauerit, tamen ita scribit, Et dixit Dominus ad Moſen, Dic filiis Israel. Vſus igitur est his legiſſator verbis, quibus ut vteretur, ei præceptum est. Ergo verba Dei ſunt, quæ per officium, licet humani oris, audita ſunt. Ex iis efformamur in fidem, ut nos ea omnia credere proteſtemur, quæ Apoſtolorum ſymbolo, quæ ſcripto & traditione commendatur: cum Spiritu ſancto inſpirati locuti ſint ſancti Dei homines, è quibus ad nos ſimpliciſſima illa & diuina veritas deriuatur.

*Quibus modis Verbum increatum homines primum docuerit, ubi de libro creatura, traditionibus Patriarcharum, visionibus & apparitionibus illis factis, & de antiquitate & auctoritate ſcripturæ veteris Teſtamenti.*

**E**T ſi in multis dignus ſit Plato, qui legatur & audiatur, in hoc tamen maximè, quòd omnia ad Idæam vnicam reducit, quæ ante multa, & in

multis, & poſt multa ſit. Sic enim & vnicum λόγος, verbum, ceu rationem, vnam denique omnium veritatē ſtatuit: quæ cum æterna ſit, in iis omnibus elucet, quæ à mendacio diſſident. Verbum enim vnum, ſimpliciſſimum & æternum, idemque prima omniū veritas, multis tandem modis humanæ creaturæ innotuit, cui ſcilicet ex naturæ conditione, rationis illius participem eſſe datum eſt. Pædet enim innata illa ratio à λόγῳ ceu verbo, ad cuius imaginem homo effictus & creatus eſt. Ideò Pſalmes, Signatum eſt (inquit) in nobis lumen vultus tui, Domine: cum, ut interpretatur Auguſtinus, lumen hoc rotum ſit hominis, & verum bonū, quòd non oculis, ſed mente conſpicitur ſignatū quidem in nobis, non ſecus atque denarius ſignatur imagine regis. Quid eſt enim, non dicā in homine, ſed in omni cælo, atque terra ratione diuinius? quæ cum adoleuit, atque perfectæ eſt, nominatur ritè ſapientia & fides. Ex prima igitur illa & æterna ratione, nobis initia fidei communicata ſunt, ut Deum vnum eſſe ſciamus, & vereamur. Itaque ut ad maiora progredieremur, tantam rerum vbertatem natura largita eſt, ut ea quæ gignuntur, donata conſultò nobis, non fortuito nata videantur: nec ſolū ea quæ frugibus atque baccis terræ fœtu profundūtur, ſed etiam pecudes, imò cæli ipſum, & omnia quæ oculis obiciuntur, quòd perſpicuū ſit partim ea ad uſum hominū, partim ad certā Dei vnius cognitionē eſſe procreata. Ex quo efficitur, ut agnoſcamus verbum il-

*Aug. in  
eundem  
Pſalmum,  
Pſal. 4.*

lud à prima illa constitutione loqui in nobis, etiam ante omnem scripturam, & traditionem: vnde necesse fuerit corruptam peccato naturam per ipsum restitui. Sic enim primo homini, quem fidelem, Deique verbo audientem fuisse minimè dubitamus, & ipse creator, & liber creaturæ sufficiebat. Adami demum filiis addita est traditio. Adiecta est autem à Mose scriptura, cuius veritas ab vnico verbo deflueret. Nam, vt à libro creaturæ ordiar, vniuersa hæc mundi moles (teste Basilio) perinde est ac liber exaratus, palàm prædicans gloriam Dei: cùm & cœli enarrent gloriam Dei, & opera manuum eius annunciet firmamentum. Ad hunc librum Iob conuocabatur, cùm de turbine Dominus hæc verba faceret: Interrogabo te, & responde mihi. Vbi eras quando ponebam fundamenta terræ? Numquid considerasti latitudinem terræ? Indica mihi, si nosti omnia, in qua via lux habitet, & tenebrarum quis locus sit. Quis est pluuiæ pater, vel quis genuit stillas maris? quis dedit gallo intelligentiam? quis enarrabit cœlorum rationē. Ad hunc librum pia mater filios suos Machabæos erigebat, cùm sextum paterna voce sic alloqueretur: Peto, nate, vt aspicias ad cœlum & terram, & ad omnia quæ in eis sunt, & intelligas quia ex nihilo fecit illa Deus, & hominum genus. Illum considerandum monebat Esaias, idololatriæ deditos his verbis conuincens: Qui sedet super gyrum terræ, & habitatores eius sunt quasi locustæ: qui extēdit velut

Homil. 11.

Hexam.

Esai. 18.

Iob. 38.

Machab. 7.

Esai. 40.

nihilum cœlos, & expandit eos sicut tabernaculum ad inhabitandū. Et cui assimilastis me, & adæquastis me, dicit Sanctus? Leuate in excelsum oculos vestros, & videte quis creauit hæc. Hoc in libro iridem Deus inscripsit, quæ signum esset sui cum homine fœderis. Quid denique (vt sapienter Cicero) potest esse tam apertum, tamque perspicuum, cùm cœlum suspeximus, cœlestiæque contemplati sumus, quàm esse aliquod numen præstātissimæ mentis, quo hæc regantur? Quod ni ita esset, qui potuisset assensu omnium dicere Ennius,

*Aspice hoc sublime cædens, quæ inuocat omnes Iouē?*  
Ex eorum ordine facilè Athei & gentiles conuincuntur. Considerandū enim est apud quos agatur, an fideles se dicant, & scripturas & traditiones nostras admittant. Apud eos enim scripturis & traditionibus receptis agendum est, nec omninò reiicienda sunt argumenta, quæ ex libro naturæ depromūtur. Si verò cum iis differamus, qui scripta omnia & tradita reiiciant: saltem rebus ipsis constringēdi sunt, vt vnum, idēque omnipotens & increatum numen fateantur. Hunc naturæ librum habuit Adamus, quem cōtemplaretur, & ex quo Deū plenius agnosceret: nec illi verbum etiam defuit, vt & seipsum in cultu & pietate confirmaret. Multifariè enim multisque modis diuina illi communicabantur oracula, ex quibus non cuiusque rei modò naturas, sed quo ordine æternum illud numen coleretur, agnosceret. Ipse illum Deus leges matrimonij do-

Genes. 9.  
Lib. 2. de  
nat. Deor.Damasc. li.  
1. de fide or-  
thod. cap. 1.

Genes. 3.

cuit, ipse ad eum omnium animantium genera adduxit, ipse arborum species, è quibus vesceretur: ipse denique quomodo se in pietate & innocentiae statu contineret, præscripsit. Ex quo effectum est, ut cultum illum primus parens filiis traderet, & viua voce Dei verbum posteris annunciarer. Traditio ergo ab Adamo ad Moysen vsque simul cum creaturæ ordine fideles continebat: quin etiam visiones, apparitiones, & pacta summis fidelium patribus facta, quæ vniuersam familiam in certam futurorum expectationem erigerent. Sic enim odoratus Dominus sacrificium Noah, fœdus cum eo pepigit: sic Abrahæ è patria terra egrosso apparuit, eique multa de semine successuro, & in Ægypto passuro, eiusdem demum liberatione prædixit. Rursus etiam cum nomen Patriarchæ ad augeret, & circumcisione institueret: sed & in conualle Mambre sedenti, in ipso diei feruore, cum tribus conspectis vnum adoraret. Quid quod Abraham in typo diem Christi vidit, & exultauit? quodque ipsum moriturum, tandem verò resurrecturum credidit, eaque fide filium suum obtulerit: simulque montem illum à vidente Deo nuncupauit? Fuit & Isaac paternæ fidei tenacissimus, cui nocte Dominum apparuisse legimus: vnde ille magis magisque in pietate confirmatus, altare erexit, & inuocato summo numine, tabernaculum tetenderit. Quoties verò ipsi Iacobo Deus per visiones & externas apparitiones innotuit? quoties eum monuit? quoties ad eum

Genes. 8. et

9.

Gen. 12. &

15.

Cap. 17.

Cap. 18.

Genes. 22.

Genes. 26.

Fulgētius.

locutus est? Hic enim est, qui in somnis vidit *Genes. 28.* scalam super terram, cuius fastigium cœlos tangebatur: Angelos quoque ascendentes & descendentes, & Dominum innixum scalæ dicentem sibi. Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui, & Deus Isaac. Erit semē tuum quasi puluis terræ. Dilataberis ad Orientem & Occidentem, Septentrionem & Meridiem: & benedicentur in te & in semine tuo cunctę tribus terræ. Hic est qui cum Angelo luctabatur vsque manē, cum nomen eius mutatum est, ut Israel, id est, vir preualens, cum Deo vocaretur. Idcirco *Genes. 32.* scilicet & exclamauit, Vidi Dominum facie ad faciē, & salua facta est anima mea. His quidem temporibus satis hæc erant ad pietatem & fidem humanis cordibus inserendam, cum filij paternas exhortationes & traditiones pro oraculis haberent: in quæ errare nemini liceret impunē. At verò vbi simplicitas illa emarcuit, & succrescentibus vitiis

*Ultima cœlicolũm terras Astræa reliquit:*

tunc quidem, sed post multos annos ab homine condito, diuinum illud numen scripto sua verba mandauit: duas tabulas lapideas Mosi seruo suo commisit, quas populo euulgaret: simul omnem ordinem iudiciorum, cultus, ceremoniarũ, tabernaculi, pontificij, scripto explicari voluit: ne quo pacto prima illa pietas, & veritatis verbum ab humanis mētibus collaberetur. Scripturæ itaque necessitatem hominum infidelitas aduexit, cum prius traditiones piis sanctisq; patribus sufficerent. sic enim

olim ad pacta satis erat promissio, & cōtactus manuū. sunt enim pacta, commercia, locationes & conductiones ex iure Gentium: ita tamen vt crescente hominum perfidia, introductæ sunt tot obligationes, depositiones testium, tot expressæ clausulæ.

*ff. tit. i. de contrahē. empt. et tit. de iust. in.*

*Lib. i. An- sig. Iudaic. cap. 4.*

*Berosus bre- uarij li. 2.*

Verūm de antiquitate & autoritate scripturæ pauca dicenda sunt, vt non abs re nos in ea Dei verbum agnoscere comprobemus. Meminit quidem Iosephus lateritiæ & fusilis columnæ, quibus certis characteribus expressa fuerit generalis illa terræ inundatio & cōflagratio: multa denique de astrorum cursu, quæ filiis Seth ab Adamo commendata fuerint. Nondum tamen literarum elementa, nondum illa scribendi methodus explicita inoleuerat, sed cœlestium forsan characterū forma inuolutum aspicientibus sensum prætexebat. Scribit verò Berosus, Noah multa mandasse literis, quæ sacerdotes Armeni posteris commendant. Verūm illa quā vim habere possunt, quæ apud fideles autoritatē non habuerunt? quin potius sacerdotū illorum astu emissa sunt nomine Patriarchæ, cū tamen omnia ab illius religione dissona complectantur: cū vestam Arctiam & ignem, & lunam, & terram, Noah verò Ianum à vino, Ogygem, cœlum & solem nūcuparint, è quibus multa in hellenismi propagationē. Quòd autem Iudas meminit Prophetiæ Enoch, qui fuerit septimus ab Adam, qui prædixerit Dominū venturum in sanctis millibus suis facere iudiciū contra omnes:

non explicat tamē an traditione, an scripto illa primū constaret, quæ tandem scribēdi vsu accepto, scripto etiam mandata fuerit ab iis, qui traditionis memores essent. Nec quidē dubitauerim quosdā ab antiquis expressos fuisse characteres, quibus nonnulla commendarent mysteria: sed hæc aut in animalium, aut planetarū, aut astrorum, aliorūque, non tamē literarū, typis exarabantur. Fuerunt & postmodū Hieroglyphica nota Ægyptiis, vt quæ in Serapidis templo solo æquata lapidibus impressa inuenta sunt, ex quibus ipsi etiam sacerdotes Gentiles Christū, & vitam per eum factam agnouerūt. Potuerunt enim & ipsi multa doceri à demonibus, sed quæ non vni Deo, verūm idolis vendicarent: sicut & apud Tertullianum legimus, crucis formam eos gestasse, & in sacris mithræ frontes signasse. Interim verò nemini dubium erit, primā omnium scripturam in Mose cōmendari, Deo nimirum ipso primario authore, qui Tabulas ex vtraque parte scriptas opere suo Mose tradiderit. Iustinus Martyr, Tatianus, Clemens Alexandrinus, & Eusebius Cæsariensis, Mosē omnibus Philosophis & Poëtis priorē fuisse, manifesta temporum obseruatione demonstrat: cū, ipso etiā Apione Grammatico teste, qui tamē Hebræis fuit infensissimus, Moses temporibus Amosis regis Ægyptij, & Inachi Argiui floruerit. Atqui Græcis rebus antiquiores sunt Argolicæ, eæ quæ ab Inacho originem ducūt, vt docet Dionysius Halicarnassæus, in temporibus. His autem, quatuor quidem genera-

*Euseb. lib. 11. Histor. Eccles. cap. 29.*

*Tertull. de præscrip. in hæretic.*

*Iust. Mart. tyr. serm. exhortat. ad Gentes.*

*Tatianus orat. aduers. Græc.*

*Clemens li. 1. Stromat.*

*Euseb. lib. 10. demonstr.*

*Enag. c. 32.*

*Apion. li. 4. histor.*

tionibus sunt res Atticæ recēiores, quæ à Cecrope deducuntur. Ab Inacho verò ad tempus rerum Troianarum generationes viginti, vel plures numerantur. Quin & omniū apud Græcos Poëtarum antiquissimi Orpheus, Linus, & Musæus Cyri temporibus vixerūt. Deniq; Eusebius obseruat, Hebræos characteres omniū antiquissimos esse, cum Græci cuique literæ nomen Hebræū indidisse videantur, quod quidem nullam Græcis, magnam verò Hebræis significationem habeat. Nam Alpha ab Aleph, Beta à Beth, Gamma à Gimel, Delta à Daleth denominarunt: quæ quidem apud Hebræos sic explicatur, Aleph disciplina, Beth domus, Gimel, vocis plenitudo, Daleth paupertas. Afferit & Lactantius Mosen bellum Troianum non-gentis ferè annis antecessisse, quo recentiores multo Hesiodus & Homerus extiterunt. Nec quemquā mouere debent illa, quæ Mercurius Trismegistus edidit, nomine Pimandri & Asclepij, cum nec ille Mose scriptor antiquior fuerit: imò in Mosis tempora inciderit, vt scribit Augustinus: quem etiā Mosis socerū illum fuisse, qui Ietro vocatur, quidam colligūt, quo factum sit, vt multa de Deo, hominis creatione, cæterisque mysteriis ab eo audire potuerit. Cæterum quinq; libros promulgauit Moses, quorum tituli apud Hebræos ex prima omnium dictione sumitur. Primus enim liber Beseith, sonat in principio: secundus Veelle-se-moth, & hæc sunt nonina: tertius Vaiicra, & vocauit: quartus Vaiedaber, & locus est:

quintus verò Helle Hadebarim dicitur, ex libri initio, cui hæc præfiguntur, hæc sunt verba. Tantæ maiestatis erant hæc apud Hebræos, vt ex contextus initio libros discerneret, quòd nemini aliquid liceret addere aut minuere. Nos autem, simul & Græci, ex argumento libros illos nuncupamus, Genesin, eum qui rerum creationem, hominum diuisionem, & feminis iusti propagationem, ad exitum vsque Hebræorum explicat: Exodum, ceu profectio-nem, ab egressu populi ex Ægypto, eiúsq; per desertum peregrinatione, & decalogo mysticisq; præceptis in ipso itinere promulgatis: Leuiticū verò à tribu Leuitica, cui sacra & ceremoniæ maximè commissæ sunt: Numerorum verò illum, qui seriem familiarum, quæ Ægyptum egressæ sunt, quadraginta quoque stationes cõplectitur, insertâ Balaam, Prophe-tiâ: Deuteronomiū verò, quoniã iã secunda lex promulgari videbatur, vt noua esset omnia de veteribus. Fuit autē Moses magnæ opinionis apud omnes, cui maximè adhæserunt Hebræi. Libroū autē eius tãta fuit maiestas, vt Samaritæ illos susceperint, statimque à leonū incur-sionibus, quibus vexabantur, liberati fuerint. Huius authoritatē probarūt miracula, ostēta corā Pharaone, & ipsum mare diuisum: Legē cõfirmarūt tonitrua, buccinæ, vocésq; de cœlo audite: fauorē diuinū bella prosperè gesta cõ-firmarūt. Quid his desideramus amplius? Lo-quebatur ei Dominus, sicut loqui solet amicus ad amicū suum: idq; sēpè vniuersis audiētibus,

Exod. 23.

*Exod. 34.* cum tabernaculū ingrederetur descēderet autem columna nubis. Sed & ex vbertate diuini luminis tāto splēdore Mosis vultus apud omnes radiabat, vt velo faciem obduxerit, ne omnino ab eius aspectu Israēlitæ auocarentur. Et ne quid in quæstionem vocaretur de eius gradu & potestate, rebelles simul cum tentoriis viuos terra absorbit, murmurantes pestis & serpentes absumpserunt, hæsitantes mors præuenit, ne terram Promissionis ingredi possent. Postremò magna diligentia eius libri posteris commendati sunt, quorū tandem plura exemplaria in synagogis habebantur. Nam descripta lege, præcepit Moses Leuitis, qui portabāt arcam fœderis, Tollite librum istum, & ponite in latere arcæ Domini Dei vestri. Sic demū Iosue post Mosen, omnia illa quæ Dominus ad populum locutus est, scripsit in volumine legis: & ita tandem sacri illi libri, succedentibus piis viris, ad quos loquebatur Dominus, iisque scribentibus, adacti sunt: ita deniq; diuina Prophetarum oracula asseruata sunt.

Eorum verò voluminū, quæ veteri testamēto cōmendātur, alia sunt historica, non Mosis tantū & Iosue, sed & Iudicum, Ruth, Regū, Paralipomenon, Esdræ, Tobia, Iudich, Esther, Iob, & Machabæorū: alia ad mores & veram prudentiam faciunt, Prouerbia, Ecclesiastes, Sapientia, Ecclesiasticus: alia Prophetiam contexunt, Cantica canticorum, Psalterium, & ea quæ nomina suorum præferunt, Esaia, Hieremie, Baruch, Ezechielis, Amos, Danielis,

Osee, Ioëlis, Abdia, Ionæ, Micheæ, Naum, Abaculk, Sophonia, Aggei, Zacharia, & Malachia. Hi sunt veteris Testamenti libri, qui Christum venturum exprimebant figuris, promissionibus, & prophetiis: cum omnia in figuris contingerent illis, nec fecerit Deus verbum, quod non reuclauerit seruis suis Prophetis. Eapropter Dominus incredulos Iudæos ad scripturas remittebat, vt eas perscrutarentur, in quibus se vitam habituros confidebant. Et *Ioan. 5.* hoc Mose attestatus est: Si crederetis Mose, crederetis vtique & mihi: vt quisquis si Christo credere profiteretur, etiam & Mosaicæ doctrinæ fidem adhibeat, quæ certissimè à Deo profecta sit. Quin & summā nostræ fidei lege, *Ioan. 20.* Psalmis, & Prophetis oraculis cōcludebat, cum post resurrectionē discipulis suis sensum aperuit, vt intelligerēt scripturas, & dixit illis: Hæc sunt verba quæ locutus sum vobis, à principio cum essem vobiscum, quia oportet impleri omnia quæ scripta sunt in lege, Prophetis, & Psalmis de me.

*Quomodo verbum factum est ad Prophetas: item de visionibus & reuelationibus: etiam de oraculis sibyllarum, & Demonum, quæ nostræ fidei attestantur.*

**S**OL quidem iste, licet à terra longè disiungitur, in nos tamen inluit, sui que luminis radios emittit: Verbū quoque, quamuis æternum & incomprehensibile, sese tamen quodāmodo humanæ menti communi-

cat, cum & Patriarchas & Prophetas, eosque omnes qui fidei nostrae testimonium reddiderunt, fecunditate sermonis ditauerit. Nec enim illi sua inuenta praedicabant, sed quae Deo inspirante didicerant, ut ad vnum omnis sapientiae fontem nostra doctrina recurreret. Hoc confirmant visiones, ecstases & apparitiones, quae piis viris contigerunt: ex quibus manifestum est, proprio quodam ductu spiritus eos scripsisse. Nam ut vigilantibus, aut quiescentibus Prophetis, quasdam externas species, vel carnis, vel saltem animi ac spiritus oculis spectandas exhibebat, iisque adiecta est doctrina, quam tandem scriptis mandarent.

*Lib. contra Adimant. Cap. 28. Genes. 18. Exod. 3. Act. 10.* Multa enim sunt visionum genera (inquit Augustinus) aut enim corporalibus oculis obuerfantur, sicut & Abraham tres viros, Moses ardentem rubum, Apostoli transfiguratum Dominum conspexerunt: aut imaginatiua pars haec concipit, ut Petrus velum corpori quidem simile, neque tamen corpus: aut intellectus haec apprehendit, ut somnium Nabuchodonozor, quod & Daniel interpretatus est. Quaedam etiam sunt, quae nescitur, an in corpore, an extra corpus: ut Paulo contigit Paradisum videre, Ioanni in Pathmos magna & stupenda intueri, Ezechieli verò campum ossibus plenum contemplari, & Esaiam sedentem in throno Deum suspicere. Hinc etiam Prophetarum videntes dicti sunt: & qui eorum aliquem consulebat, dicere consueverat, Eamus ad videntem. Audiebant illi voces, praecpta,

*Lib. 12. de gen. ad lit. Cap. 2. Act. 9.*

*Eccles. 37. Esai. 6.*

*1. Reg. 9.*

oracula: quae tandem altae eorum memoria Spiritus sanctus recondebat, ut quae viderant & audierant, describerent. Sic enim Ioannes, Fui (inquit) in spiritu in dominica die, & audiui post me vocem magnam tubae dicentis, Quod vides, scribe in libro, & mitte septem Ecclesiis. Et ab Abacuk, Scribe visionem, & explaneam in tabulis, ut percurrat qui legerit eam, quia adhuc visio ad certum tempus. Inde factum est, ut nonnulli eorum sua scripta, Visionum nomine inscriberent. Sic enim Esaias liber incipit: Visio Esaias, quam vidit super Iudam & Hierusalem. sic, liber visionis Nahum, & Visio Abdias. Hinc Zacharias intelligens visiones Dei dicitur: & Dominus apud Oseam Locutus sum (inquit) per Prophetas, & multiplicavi visiones, & per manus Prophetarum proposui similitudines: quibus cedentibus, negari quoque Prophetiae donum censebatur: vnde in Threnis Hieremiae Prophetarum dicuntur non inuenisse visionem à Domino. Paulus etiam, Veniam (inquit) ad visiones & reuelationes, quod iis diuinum verbum hominibus innotesceret. Hoc autem est inter utrumque discriminis, quod reuelatio, seu per somnium, seu per oraculum fiat, nihil ingerat oculis: quod tamen visioni contingit, licet ipsa reuelationi per quam explicetur, annexa sit. Quod autem ipsum illud diuinum verbum adesset, apud Esaiam testatur, dicens: Ego ipse qui loquebar, ecce adsum. Quibusdam autem per ecstases contingebat, ut prophetarent, ut & Sauli, qui

*Apoc. 1.*

*Abac. 2.*

*Esai. 1.*

*2. Paral. 26*

*Osee. 12.*

*Thren. 2.*

*2. Cor. 12.*



1. Reg. 19. cum in Naioth Ramatha venisset, & Prophetarum cuneum ingressus esset, oriente super eum spiritu Domini, ambulans prophetabat coram Samuele: expoliavit etiam ipse se vestimentis suis cum cæteris, & cecinit nudus tota die illa & nocte. Unde & exiit proverbum, Num & Saul inter Prophetas? Os autem, & manum Prophetarum suorum sic Dominus dirigebat, ut nihil hæsitantes diuina oracula & annuntiarent, & scriberent. Sic enim David, *Psal. 44.* Lingua mea, calamus scribæ velociter scribentis. Hoc autem maxime in facto Hieremiæ notatur. Dictabat enim quasi legeret: omnia verò Baruch in scripta redigebat, quæ tandem populo promulgaret. Sic enim legimus apud *Hier. 36.* ipsum Prophetam: Præcepit Hieremias ut Baruch ingrederetur domum Domini, & legeret coram populo. Obstupuit populus, cum audiisset verba Prophetiæ. Tunc Michæas filius Gamariæ audiens retulit ad Principes in domo regis, & vocato Baruch audierunt, & mirati sunt, & interrogauerunt Baruch quomodo hæc scripsisset. At ille, Ex ore suo loquebatur (inquit) quasi legens ad me. Consilio autem habito Principes Regi nuntiant, ita tamen ut prius moneant Baruch ipsum cum Hieremia abscondi, ne quis sciret ubi esset. Iubet itaque Rex ab Elisama scriba librum sumi, & legi ab Indi. Sedebat autem in domo hyemali, & posita erat arcula plena prunis. Cumque legisset ille tres aut quatuor pagellas, scidit eas cultello, & proiecit in ignem. Et non ri-

muerunt, nec sciderunt vestimenta sua: quin potius misit Rex ut apprehenderent Hieremiam & Baruch. verum absconderat eos Dominus. Et factum est verbum Domini ad Hieremiam, postquam combusserat rex volumen, & sermones quos scripserat Baruch ex ore Hieremiæ, dicens. Rursum tolle volumen aliud, & scribe in eo sermones priores, qui erant in primo volumine, quod combussit Ioachim rex Iuda. quod & factum est.

Profundebat ergo spiritus Domini, & eter- *De Esdras*  
num illud verbum sermonis ubertatem in os *qui reparavit libros*  
Prophetarum, ita ut nulla meditatione præ- *uit libros*  
uia, statim atque diuino numine afflatus sunt, ea *Mosis.*  
prædixerint quæ nos intelligere volebat. Ideo  
scilicet ariolus Balaam, et si ea vocatus esset intentione, ut populo Dei malediceret, respondit Balac Regi Moab: Nunquid potero loqui *Num. 22o*  
aliud, nisi quod Deus posuerit in ore meo? Sed *23o*  
& conquerenti Regi, quod Israël benediceret, & dicenti, Quid est hoc quod agis? Ut malediceres inimicis meis, vocavi te, & tu è contrario benedicis eis? respondit, Num aliud loqui *Cap. 24o*  
possum, nisi quod iusserit Dominus? Et rursus, *Cap. 24o*  
Nonne nuntiis tuis, quos misisti ad me dixi, Si dederit mihi Balac plenam domum suam argenti & auri, non potero præterire sermonem Domini Dei mei, vel boni quid, vel mali proferam ex corde meo, sed quicquid Dominus dixerit, hoc loquar. Unde ipse Dominus ad *Psal. 8o*  
Davidem, Aperi (inquit) os tuum, & implebo illud: & verbum fieri frequenter dicitur,

Hier. 1.

pro reuelatione facta. Et Hieremias, Misit Dominus manum suam, & tetigit os meum, & dixit mihi, Ecce dedi verba mea in ore tuo. Christus etiam Apostolis, Nolite (inquit) cogitare,

Math. 10:

quomodo, aut quid loquamini: Dabitur enim vobis in illa hora. Et rursus, Dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere aduersarij vestri. Rursus, Non vos estis qui loquimini, sed spiritus patris qui loquitur in vobis.

2. Cor. 13.

Audacter etiam Paulus ait, An experimentum quæritis illius qui in me loquitur Christus? Nec tantum Prophetis & Apostolis, sed & Gentilib. Sibyllis hæc gratia communicata est,

Orat. ad cœ  
tū sanctor.  
Cap. 18.

vt nullus infidelitati locus ne quidem Ethnicis superesset. Nam qui Christo tam contumeliosè obtrectat (inquit Cōstantinus ille Magnus) si vel suis ipsorum testimoniis fidem tribuere voluerint: ex iisdem satis intelligere poterunt ipsum & Deum, & Dei filiū esse. Sibylla enim Erythræa, quæ se sexta post diluuiū ætate fuisse affirmat, quæq; sacerdos erat Apollinis, corona similiter cū Deo illo quæ colebat, redimita, quæ etiā tripodem serpētis amplexu circūplicatū obseruabat: iis qui quicquā ab ipsa sciscitabantur, respōdit, se parentū inscitia illi cultui dicatam, illumque nihil in se complecti, quod ad honestatē faceret, sed hominū animos pudore spoliare, nō aliter atq; historici

Lib. 18. De  
ciuitat. Dei  
Cap. 23.

de Daphne prodiderūt. Hanc belli Troiani temporib. fuisse scribit August. Huius versus habet m<sup>o</sup> de Christi vtroq; aduētū, creatione hominis, imperiorū, mutatione & terribili illo iudi-

cij die. Hęc est, quæ ἀκρόσι χοις secūdū illū aduētū expressit, versib. nimirum, quorū primæ litteræ simul iunctæ hæc redderēt, Ι Η Σ Ο Υ Σ Χ Ρ Ι Σ Τ Ο Σ Θ Ε Ο Υ Υ Ι Ο Σ Σ Ω Τ Η Ρ, id est, Iesus Christus Dei filius saluator: quorum quidem hoc initium est,

Ἰδράσθη γὰρ θῶν, κείσεως σημεῖον ὅτ' ἔσται.  
Ἡξει δ' ὑρακόθεν βασιλεύς αἰῶσιν ὁ μέλλον,  
Σάρκα παρὼν κείναι πᾶσαν, καὶ κόσμον ἀπαίνα.

Quos sic ab alio versus reddit Augustinus,

*Iudicij signo, tellus sudore malescet,*

*E caelo rex adueniet per secula futurus,*

*scilicet in carnem præsens vt iudicet orbem.*

M. Varro, quo nemo vnquam doctior, ne apud Græcos quidem, nedum apud Latinos vixit (inquit Lactantius) in libris Rerū diuinarum, quos ad Caium Pontificē maximū scripsit, cū de quindecim viris loqueretur, Sibyllinos libros ait nō vnus fuisse Sibyllæ, sed appellari vno nomine Sibyllinos, quod omnes fœminæ vates Sibyllæ sunt à veterib. nuncupatæ, vel ab vnus Delphidis nōmine, vel à consiliis Deorum denunciandis. σοῖς enim Deos, non θεοῖς, & consilium non βουλή, sed βουλῶν appellabant Æolico genere sermonis. Itaque dictam esse, quasi θεοβουλή. Cæterum Sibyllas decem numero fuisse ceteros omnes numeravit sub autoribus, qui de singulis scripturarunt: Primam fuisse de Persis, cuius mentionem fecerit Nicanor, qui res gestas Alexandri Macedonis scripsit: Secundam Libyssam, cuius meminit Euripides, in Læniæ prologo:

Lib. 1. de falsis relig.  
Cap. 6.

Sibylla decem

1.

2.

3. Tertiam Delphicam, de qua Chrysippus lo-
4. quitur in eo libro quem de diuinatione com-
5. posuit: Quartam Cumæam in Italia, quâ Næ-
- uius in libris belli Punici, Piso in Annalibus
6. nominat: Quintam Erythræam, quam Appol-
7. lodorus Erythræus affirmat suam fuisse ciuem,
- camque Graiis Ilium petentibus vaticinatam
- & perituram esse Troiam, & Homerum men-
- dacia scripturum: Sextam Samiam, de qua scri-
- pfit Eratosthenes in antiquis Annalibus Sa-
- miorum reperisse se scriptum: Septimam Cu-
- manam, nomine Amalthæam, quæ ab aliis de-
- mophile, vel Herophile nominatur: camque
- nouem libros attulisse ad Regem Tarquiniû
- Priscum, ac pro eis trecentos Philippeos po-
- stulasse, Regemque aspernatum pretij magni-
- tudinem, derisisse mulieris insaniam. Illam in
- conspectu Regis tres combussisse, ac pro reli-
- quis idem pretium postulasse. Tarquiniû mu-
- licrem multo magis insanire putasse. Quæ de-
- nud tribus aliis exustis, cum in eodem pretio
- perseueraret, motum esse regem, ac residuos
- trecentis aureis emisse: quorum postea nume-
- rus sit auctus Capitolio resecto, qui ex om-
- nibus ciuitatibus & Italicis, & Græcis, & præ-
- cipue Erythræis coacti, allatique sint Romam
- cuiuscunque Sibyllæ fuerunt. Octauam Hel-
- lesponticam, in agro Troiano natam, vico
- Marpesso, circa oppidum Gergithium, quam
- scribit Heraclides Ponticus Solonis & Syri
- fuisse temporibus, Nonam, Phrygiam, quæ va-
- ticinata sit Ancyræ: Decimam Tiburtem, no-
- mine

*Tarquiniio  
regi libri si-  
byllini of-  
feruntur.*

mine Alburneam, quæ Tiburi colebatur vt  
Dea, iuxta ripas Anienis. Harum omnium Si-  
byllarum carmina & ferebantur & habeban-  
tur ante Romam destructam. Occulebantur  
tamē Sibyllæ Cumeę oracula, nec eos ab vlllo,  
nisi à quindicim viris inspicifas erat. Clemēs  
Alexandrinus libro primo Stromatum, hæc de  
Delphica Sibylla recenset. Heraclitus (inquit) *Sibylla Del-*  
non humanitūs, sed diuinitūs potius dicit ap- *phica.*  
paruisse Sibyllam. Aiunt itaque Delphis in  
campo ostendi petram quandam, super quam  
dicitur sedisse prima Sibylla, quæ ex Helicone  
venerat, educata à Musis, cum esset filia La-  
miæ Sidoniæ. Serapion autem in versibus di-  
cit, ne mortuam quidem à diuinandi arte ces-  
sasse Sibyllam, & id quidem, quòd ex ea in aë-  
rem recessit post obitum, id est, quòd in for-  
tibus diuinat & auguriis. Iustinus Martyr, in  
sermone exhortatorio ad Gentes, hæc etiam  
maximè de Cumana scribit. *Cumana.*  
Poteritis facile (inquit) ô Gentiles, partem aliquam veræ re-  
ligionis discere vel è priscis Sibyllæ oraculis,  
multum ad Propheticam accedentibus. Hanc  
aiunt è Babylone oriundam, Berosi rerum  
Chaldaicarum scriptoris filiam, nescio quo-  
modo in Campaniam delatam, & Cumis ora-  
cula solitam reddere, ad sextum à Baiis lapi-  
dem, quod oppidum celebratur propter a-  
guas calidas. In ea vrbe spectauimus locum,  
instar amplissimæ basilicæ cauatam ex vno sa-  
xo solido, rem admiratione dignissimam, vbi  
oraculum eius fuisse narrant indigenæ, sicut

acceperunt à suis maioribus. In eius antri meditullio monstrantur putei tres, eodem in saxo aperti, quorum aqua lotam aiebant in penitissimam eius loci cellam solere secedere, ac mox in antro medio sublimem sedentem effari oracula. Huius fatidicæ Sibyllæ inter multos alios scriptores & Plato in Phædro meminit, & (vt mihi videtur) propter eius oracula vates sic ad verbum laudat. Meritò igitur diuinos vocabimus vates, quibus loquimur, non mediocriter afflatos numine, quo rapiuntur, quando magno successu dicunt, faciuntque res maximas, quas nequaquam intelligunt, quibus verbis apertè significat Sibyllina oracula. Hæc enim scripta non corrigebat, nec expoliebat, sicut Poetæ faciunt, quando metrorum à se rationem exigunt: sed tantisper dum numine afflaretur, vatè agebat, quo mox cessante, nihil eorum carminum meminerat: & hæc est causa, cur non seruata sint omnia. Id ipse Cumis audiui ab his qui me deducebant, visendi gratia, ostendentibus illis locos vbi vaticinabatur, & quandam urnam lenticularem aheneam, in qua reliquias eius aiebāt conditas. Inter cætera narrabant se accepisse à maioribus, eos qui petebant oracula, homines rudi seculo natos, sepè deprauasse metra: idè in nonnullis desiderari diligētiam, quod vates ad se reuerfa, immemor fieret eorū que cecine-

*vates diuini.*

*Quomodo si bylla vaticinaretur.*

rat, notarij verò in exscribendis laberentur per imperitiã. Cæterum ex his manifestū est, quo spiritu afflatæ illæ futura prædicerent, cum hæc tempora & momenta posita sint in patris potestate, vt monet Christus: sed & de tremenda illa iudicij die nesciat quisquam præter filium, & cui voluerit ille reuelare. Verbum itaque illud æternum per illas operabatur, & ventura prædicebat. Hoc quia ignorauit Cicero, ad vim naturæ diuinationem illam referebat, nisi fortè per naturam, ipsius naturæ authorem & primam causam intelligeret. Quorsum verò ad terræ vim Pythiæ vaticinium retorqueret, nisi subterraneorum dæmonum furorem, quo illa aspiraretur, obiter notaret? Talis enim est illa

*Act. 1*

*Lib. 1. De diuinat.*

*Flexa anima tãquam lymphata, vt Bacchi sacris,  
Commota: in tumultis Teucrum commemoras situm.  
Declarabat enim illa cõcitatio vim in animis esse, cum etiam*

*excludat sanos Helicone pœtas*

*Democritus.* Quod idè dicit Plato. Quem si placeat, appellet furorem, dummodo is furor ita laudetur, vt in phædro Platonis laudatus est. Talè enim in Cumæa Sibylla Virgilius describit, cuius de Christi aduentu carmina legerat.

*Non vultus, non color vnus,*

*Lib. 6. Æneid.*

*Non compta mansere coma, sed pectus anhelum,*

*Et rabie fera corda tument, maiorque videri,*

*Nec mortale sonans, afflata est numine quando*

*Iam proprio Dei.*

Sed & eam in solitariis locis diuinasse docet, cum & antrum, & recessus exprimit:

*Sylvas, horrendæque procul secreta Sibyllæ  
Antrum immane subest: magnam cui mentem, a-  
nimumque*

*Delius inspirat vates, aperitque futura.*

*Quinetiam*

*Folius tantum sua carmina mandat,  
vt turbata volent rapidis ludibria ventis.*

Et tamen tam certa illius oracula habebantur  
etiam ab Euhnicis, vt in prouerbiū abierit:

*Credite me vobis folium recitare Sibyllæ.*

Porro quis non in his Dei prouidentiam ad-  
miretur, qui non Philosophos, non reges, non  
viros aliquos magni apud omnes prætij, sed  
mulieres elegerit, quæ se ab hominum cæti-  
bus ad solitudines conferrent, ibique diuina  
hæc oracula intonarent? Sic infirma mundi e-  
legit Deus, vt confundat fortia. Et quidem, vt  
notat Augustinus, scriptura Iudæos & hæreti-  
cos conuincit: Sibyllarum verò carmina Gen-  
tiles confundit, immò & infideles Hebræos,  
vt

*Si non suis vatibus,  
Credant vel Gentilibus  
Sibyllinis versibus  
Hæc prædicta.*

*Differentia veteris & noui Testamenti, & qui  
in nouo Verbum Dei scripto  
commendarint.*



**A** B initio quidem creaturæ perse-  
uerant omnia, cum suis vicibus  
nox & dies succedant: multo ma-  
gis Dei verbum, quo omnia facta  
sunt & cõdita. Vt ergo illud olim  
stabat simplici Patrum traditione, antequam  
per Mosen lex promulgaretur: ita tandem, &  
traditione & scripto. Atqui iuxta seriem tem-  
porum, est & ordo testamentorum, etsi vnica  
sit fides. Nec enim variat id verbū, quod sim-  
plicissimum est & æternum: sed (vt docet Leo  
martyr) dispensationes pro diuinæ voluntatis  
ratione variantur, vt his quidem promittatur  
quæ in illis postmodum impleta sunt. Euse-  
bius Cæsariensis legem nutricem puerorum  
dixit, quæ medicus esset infectis contagione  
Ægypti. Augustinus verò, Deus (inquit) cuius  
bonitate & clementia fit omninò vt aliquid  
simus, duobus Testamentis, vetere & nouo,  
disciplinæ nobis regulam dedit. Quanquam  
enim vtrumque in vtroque sit, praualet tamen  
in vetere timor, in nouo amor: quia ibi serui-  
tus, hîc libertas ab Apostolis prædicatur. Si e-  
nim, vt habet Pauli sententia, data esset lex, quæ  
viuificare posset, verè ex lege esset iustitia.  
Hinc manifestum est, fuisse quidem diuersa sa-  
cramenta legis & noui Testamēti, etsi ad vni-  
tatē fidei recurrerēt: ita tamē vt illud per figu-  
ram rei veritatē promitteret, illud veritatē ip-  
sam iam exhibitam prædicet. Nam vt conce-  
ptus vnus & idem occutrit mēti, si quis Her-  
culem pictum, eundemque viuum viderit: ita

*Serm. 13. De  
passione  
Domini.*

*Euseb. lib. 1.  
Demonstrat  
Euang.*

*Cap. 6.  
August.*

*Lib. 1. De  
morib.*

*Cap. 28.*

*Epist. 157.*

*ad optatum  
Ephes. 5.*

*1. Cor. 1.*

*Orat. cõtra  
Iud. &  
Paganos.*

tamen ut ipsum hinc per figuram, illic per veritatem intueatur: ita & vnum, idemque verbum, eademque est fides, et si rebus ipsis varietur: quæ tamen in eandem significationem coincidunt. Epiphanius, Erat (ait) illic Sabbatum, vocans nos in magnum sabbatum, hoc est, requiem Christi, ut in Christo Sabbatum agamus à peccatis. Et erat illic agnus irrationalis, nobis agnus verus & cælestis: illic figura, nobis veritas. Quomodo verò vnum & idem verbum in figura & veritate? Hoc sanè, quoniam veritas seipsam, & figura veritatem significat. Fides autem non elementa aut figuras attendit, sed rerum significationes. Si quid enim ex alterius verbis concipis, ex sensu quidem illud colligis, qui variare minimè dicitur, quavis lingua pronuntietur. Vnus scilicet, idemque Christus ab illis credebatur, & à nobis: cum finis legis sit Christus, idemque finis sit Evangelij. Vnicum verbum, quia vnica veritas, sed fide concepta: non ipsa tamen eodem modo his & nobis exhibita. Quoniam igitur lex per Moysen data est, gratia autem & veritas per Iesum Christum facta est: ideo nouum Testamentum per Christum dicitur, quoniam per ipsum renouamur, & in adoptionem filiorum Dei conuocamur: ut iam sint omnes dociles Deo, & Christus ipse per fidem habitat in cordibus nostris. Ut ergo à mundi exordio verbum illud æternum homines fideles instituit, & ne quid illis deesset, Patriarchas, Pro-

*Lib. 1. tom. 5. in her. 8. Epicureorū*

*Ioan. 5.*

*Rom. 10.*

*Ioan. 1.*

*Ioan. 6.*

phetas, pioſque viros suo numine afflavit: iraque quid minus nobis abundare videretur, Ecce (inquit) mitto ad vos Prophetas sapientes & scribas. Sed & ascendens in cœlum, captiuam ducens captiuitatem, alios quidem dedit Apostolos, alios Euangelistas, alios doctores & Pastores, in corporis sui mystici ædificationem: quorum alij viua tantum voce, alij etiam scripto, nobis ea quæ fidei sunt, commendarunt. Tum ergo iuxta Ioëlis Prophetiam, seniores somnia somniarunt, & iuniores visiones viderunt: cum diuino illo numine afflati, non modò ea prædicarunt quæ iam in Christo euenissent, sed quæ tandem Ecclesiæ, quæ denique in diebus vltimis ventura sunt. Ad propheticum enim spiritum faciunt, quæ illi de Antichristo, persecutionibus Ecclesiæ, resurrectionis statu, ordine, rediuiorum iudicio dixerunt: quæ ut in Petri & Pauli epistolis, ita maximè in Ioannis Apocalypſi leguntur. Fuit & his temporibus Agabus vates, & quatuor Philippi filiæ. Scribit quoque Eusebius Cæsariensis, ad vsque Iustini Martyris tempora Prophetiæ donum in Ecclesia frequentissimum fuisse. Etsi verò traditioni potissimum sacra diuini verbi mysteria commendarentur, succinctè tamen multa, eaque præcipua, quæ ad Christi & nostræ salutis cognitionem faciunt, eorum etiam pauci descriperunt. Ex his verò, quorum scripta pro canonicis habentur, sunt quatuor Euangelistæ, Paulus quoque, Petrus, Iacobus & Iudas.

*Math. 23.*

*Psal. 68.*

*Ephes. 4.*

*Ioel. 2.*

*Hist. Eccles. lib. 4. Cap. 18.*

Eucherius quatuor Euangelistas quatuor flu-  
 uis Paradisi comparat, quorum alius Phison,  
 alius Geon, alius Tigris, & alius Euphrates.  
 Et si enim alios omnes Apostolos, fontes Sal-  
 uatoris Esaias vocet, è quibus haurire necesse  
 est: in vniuersis denique credentibus, vbi de  
 aqua vitæ biberint, fiat fons vitæ salientis in  
 vitam æternam: cum tamen de scriptoribus  
 agitur, præcipuæ sunt illi scaturignes quibus  
 tandem irrigatur, & lætitia perfunditur ciuitas  
 Dei. Omnium verò typus in Elim præmon-  
 stratus est, interprete Tertulliano: cum ibi  
 duodecim fontes, & septuaginta palmæ las-  
 sum populum recrearent: vt in duodecim  
 fontibus totidem Apostoli, in septuaginta  
 palmis septuaginta discipuli adumbrarentur.  
 Cæterum quatuor Euangelistarum typos in  
 visione quatuor animalium Ezechiel expres-  
 serat, ex ipsis illorum historiarum argumentis aut  
 initiis: quòd Matthæus in homine, cum hu-  
 manâ generationem prætexat, Lucas in Boue,  
 cum à victima sacerdotis oriatur, Marcus in  
 Leone, cum à rugiente in desertis Ioâne Bapti-  
 sta initiū ducat, Ioannes in Aquila significetur,  
 qui ceteris altius à diuina Christi generatione  
 auspicetur. Hi (inquit Hieronymus) sunt qua-  
 dringa Domini, & verū Cherubin, quod inter-  
 pretatur sciētie multitudo: per totū corpus o-  
 culati sunt, scintillæ emicāt, discurrūt fulgura,  
 pedes habēt rectos & in sublime tendētes, ter-  
 ga pennata, & ybique volitantia, tenent se mu-

*Esaiæ 12.**Ioan. 7.**Lib. 4. con-  
tra Mar-  
cionem.**Ezech. 1.**Ad Pat-  
linum.*

tuò, sibi que perplexi sunt, & quasi rota in ro-  
 ta voluntur, & pergunt quocunq; eos flatus  
 spiritus perduxerit. Sic sese suppleant, vt si rota  
 sit in medio rotæ, alter in altero: sic colligan-  
 tur, vt si sibi ipsis allata terga perplexa sint.

Quòdque omnia non propriis inuentis, sed à  
 Dei verbo docerentur: quocunq; ibat spiri-  
 tus, illuc eunte spiritu & rotæ pariter eleuabā-  
 tur, sequentes eum. Spiritus enim vitæ erat in  
 rotis. Et cum fieret vox supra firmamentum  
 quod imminabat capiti eorum, stabant, & sub-  
 mittebant alas suas. Eorum autem Matthæus  
 & Ioannes, quæ viderant & audierant, duo au-  
 tem alij quæ ab aliis intellexerant, descripse- *Ezech. 3.*  
 runt. Et Matthæus quidem è Publicano factus  
 Apostolus, è telonzo ad Euangelicam cathe-  
 dram vocatus est: qui historiam Christi in sua  
 gentis gratiam edidit, & Hebraico sermone  
 promulgauit. Clemens Alexandrinus libro se-  
 cundo Stromatum, meminit Euangelij secun-  
 dum Hebræos, in quo hæc scripta sint: Qui  
 admirarus fuerit, regnabit, & qui regnauit, re-  
 quiescet: authorem tamen non expressit. Nec  
 dubiū Iudeorum iniuria ipsum latere potuisse.  
 Hieronymus tamen catalogum scriptorū Ec-  
 clesiasticorum recensens, Ipsum, (inquit) He-  
 braicum vsque hodie habetur in Cæsariensi bi-  
 bliotheca, quam Pamphilus Martyr studiofif-  
 simè confecit. Mihi quoque à Nazareis, qui in  
 Berrhœa Syriæ hoc volumine vtuntur, descri-  
 bendi facultas fuit. Porro Euangeliū ille suum  
 à temporali Christi generatione orditur, vt

qui sit filius David, filius Abraham. Quodque ex Iacob oraculo didicisset eo tempore Messiam venturū, quo auferretur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius: eam ob rem Iudæum Herodem tum Galilææ Tetrarcham fuisse norat, qui vt regnum suum confirmaret, in pueros sæuierit, puerum etiam Christum perempturus, quod ei regium nomen inuideret. Attendit verò maximè Prophete de paritura virgine vaticinium, vt os impudentium Iudæorum obstrueret, qui nec matrem Virginem, nec Christum Deum agnoscerent. Marcus verò rogatus à discipulis, ea cōscripsit quæ à Petro audierat. Hic, quòd aduerteret designatum Christi præcursores, qui vox esset clamantis in deserto, quique omnes ad pœnitentiam prouocaret: Malachiæ Angelum, & Esaiaæ vocem auditam narrat: inde quidem ad Christi baptisma conuolans, satis hoc sibi esse ratus, quòd in designata tempora Christus Iesus incidisset. Hoc Euāgelium cum Petrus audiisset (inquit Hieronymus) probauit, & Ecclesiæ legendum sua autoritate edidit, sicut & Clemens in sexto Hypotyposon libro scribit. Lucas demum ex ore Pauli eorūque traditione qui & ipsi ab initio viderant, & ministri fuerant sermonis, historiam contexit. Quam suam Paulus esse agnoscebat, vt quosdam obseruasse dicit Hieronymus, quoties nimirum scribit, Secundum Euangelium meum. Hic Christi incarnationem & natiuitatem fufius exprimit, à præcursoris mirabili conce-

*Esai. 7.*

*In Catalog.  
script. Ec-  
clesiastic.*

ptione & natiuitate auspicatus, ne quis in Christi mysteriis, & Virginis partu hæsitaret. Angelum Gabrielem tanti beneficij paranymphum & nuntium, Christi maiestatem, æternum Dei consilium, Spiritus sancti virtutem, & virginis consensum narrat: pauca demum inferens, quæ ad vsque Christi natiuitatem inciderunt. Quinetiam natalis ipsius locum describit, ex oppido, stabulo, ipsis denique crepundiis: testes etiam angelos adducit, testes & ipsos pastores, ne quem alium Messiam agnoscamus. Sic tres primi Euangelistæ confirmandæ Iesu humanitati potissimum immorantur. Ne quis verò tandem in asserenda Christi æterna generatione hæreat: cum Matthæus ab Herode rege, Lucas à Tiberio Cæsare, Marcus à baptisate Ioannis exorsi essent: his omnibus omissis, Ioannes supra omne tempus & seculum ascendit, auditorum animos ad id quod in principio erat, erigens: neq; eos vsquam consistere sinit, aut aliquem terminum statuit, vt Herodem, Tiberium & Ioannē: sed ad instar Aquilæ, ceteris altius euolās, abstrusa diuinæ maiestatis arcana penetrauit. Hic scilicet est ille filius tonitru, cuius verba omnium animos concutiunt, non minus quàm vox diuini tonitru in rota, vt ait Psalter:

*Quo bruta tellus, & vaga flumina,*

*Quo Styx, & inuisi horrida Tanari*

*Sedes, Atlantæque finis, concutitur.*

Quis enim siue Iudæorum siue Gêrilium non magna illa diuini spiritus fluentia obstupescat,



quæ Ioannes ex sacro Domini pectore exhau-  
 sit: cum statim nihil præfatus hæc exprimat, In  
 principio erat verbum, & verbum erat apud  
 Deum? Olim quidem Iuliani temporibus, cum  
 imperiali decreto reædificandi templi Iudæis  
 facta potestas esset, & illi fundamenta purga-  
 rēt, & ad angularem lapidem deuenissent, quo  
 fornix tegebatur: illo reuoluto fornicem ad-  
 uerterunt, & hominem per funem demiserūt,  
 vt si quid hîc reconditum esset, exploraret. Il-  
 le igitur aquam quæ ibi latebat ingressus, in  
 columnam incidit, in cuius fastigio librum re-  
 perit: quem simul atque eductus est, vt quid  
 stupendum omnibus obtulit, cum aperto li-  
 bro & Iudæi & Græci sapientes hæc audirent,  
 quæ nullus Philosophorum intellexisset, etsi  
 quidem verbi alicuius maiestatem etiam à Pla-  
 tone omnium principe, imò & ex antiquissi-  
 mo Orpheo audiissent. Mitto miracula, &  
 Christi sermones, è quibus maximè diuinam  
 eius virtutem conuincit. Compendio quidem  
 omnes Christi acta descripserunt, cum eorum  
 postremus Ioanes asserat, ne quidem mundum  
 capere posse eos libros, qui de rebus Christi e-  
 di possent. Quin & Lucas in Actis, Ecclesiæ  
 primitiæ statum, primosque à Petro & Paulo  
 pro Christo labores exantlatos describit. Ha-  
 bemus Pauli quatuordecim Epistolas, Petri  
 duas, Iacobi vnā, Iudæ vnā, Ioannis duas, &  
 eiusdem Apocalypsim. Breuia quidē sunt hæc,  
 difficilia tamen, & mysteriis plena: cum inte-  
 rim cætera ad verbum traditum remittantur.

*Niceph. his-  
 tor. Eccles.  
 lib. 10. cap.  
 33.*

Eusebius Cæsariensis omnem corruptionis su-  
 spicionem ab Apostolis tollit, cum facillè eo-  
 rum qui scripserunt, humilitatem deprehen-  
 damus, quæ numquam non comes est verita-  
 tis. Nam qui à semetipso loquitur, gloriā pro-  
 priam quærit: qui autem quærit gloriā eius  
 qui misit illum, hic verax est, & iniustitia in il-  
 lo non est. Atqui nec ipse Matthæus dissimu-  
 lauit se Publicanum, & in telonæo sedisse, &  
 omnibus abominabilem fuisse: sed & nomina  
 coapostolorum enumerās, Matthæus, inquit,  
 Publicanus, seque vltimo loco reponit. Petrus  
 verò minimè scripsit, quòd se indignum iudi-  
 caret. Ioannes nomen suum supprimit, sed lo-  
 co illius, Hic est (ait) discipulus ille: Paulus,  
 fui (inquit) persecutor, blasphemus, contume-  
 liosus: nunc autem Dei misericordiam conse-  
 cutus sum. Et ne quis leuiter eos à Christo per-  
 suasos putet, habes eos simplices piscatores,  
 indoctos, diffidentes, timidos, fugitiuos: Pe-  
 trum toties, & Thomam reclamātem: Petrum  
 dicentem, Domine, non erit tibi hoc: &, Hic  
 autem quid? Habes illos murmurantes, Iudam  
 coniurantem, & pœnitentem, sed & Paulum  
 contra stimulum calcitrantem. Habes deni-  
 que illis in ipso Ascensionis die Christum &  
 incredulitatem & duritiem cordis exprobran-  
 tem. Sed & ne quid illos in Christi infirmitate  
 dissimulasse putemus: narrant & læta & tri-  
 stia, & magna & infirma: sitientem, esurien-  
 tem, fatigatum, plorantem, timentem, depre-  
 cantem mortem: natum in stabulo, pannis in-


*Lib. 3. De  
 môstr. Euā-  
 gel. cap. 7.*

uolutum, in præsepi positum, fugientem, delusum, & crucifixum. Sic rei totius veritatem explicant, ut nostram in Christi humiliatione exaltationem intelligeremus. Si autem Apostolorum acta consideremus, quid hinc gloriæ Petrus quæsiuit? quid Paulus, qui mundi peripsema fieri, qui anathema pro fratribus esse desiderauit? Quinetiam illi profecti prædicauerunt ubique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. Non armis carnalibus, sed spiritualibus: non tyrannide, sed humilitate: non fastu verborum, sed simplicitate: non eloquentia, sed quasi barbariè, piscatores, publicani mundum domarunt. Non sic Alexander, aut Cæsar, quorum imperia breui euauerunt. Honorantur enim Apostoli post mortem, leguntur illorum scripta, prædicatur doctrina, imitationi proponuntur res gestæ, & in stuporem illorum gloria à fidelibus annuntiat. Qui mundi opprobrium, oues occisionis, & omnium abominatio videbantur, tantum verbi virtute valuerunt, ut sibi Platonicos, Academicos, Peripateticos, omnes denique omnium sectarum Philosophos, omnes leges, omnes etiam barbararum & efferarum nationum mores & consuetudines subiecerint. Non tantum vis armorum potuisset, quantum verbum illud Dei, penetrabilius omni gladio ancipiti. Neque enim solum Romanos, qui sub Romano imperio viuunt, sed Scythas quoque ac Sauromatas, Indos præterea, Ethiopas, Persas, Seras, Hircanos, Bri-

*Theod. lib.  
affect. græc.  
ser. de leg.*

cannos, Cimmericos & Germanos, utque semel dicatur, omne hominum genus nationesque omnes induxerunt crucifixi leges accipere, non armis vsi, non infinita vi militum delectorum, non immanitatis Persicæ violentia, sed ostensa legum quas prædicabant, utilitate. Si quis autem existimat Piscatorum doctrinam Imperatoribus ad fidem Christianam conuersis, robur atque incrementa sumpsisse, vel hoc maximè argumento ostendit, quanta vis eius doctrinæ fuerit. Neque enim immutata voluntate, traditas à maioribus suis leges, veteraque rerum monimenta, atque inoletam consuetudinem, vnà cum patriis institutionibus contempsissent, nisi veritatem Christianæ legis admirati, aduersus ea omnia indignationem atque odium concepissent.

*Quod sacra scriptura etiam à Philosophis, Poëtis,  
oraculis, & Gentilium antiquissimis testi-  
monium habeant: cum illi multa ex iis  
decerperint.*



**V** MEN quidem certâ industriâ nobis comparamus: ubi verò sol illuxerit, iam ille nobis sufficit, ut eo potissimum dirigamur. Cum itaque obscura infidelitatis caligo Gentibus incumberet, ad naturæ ordinem, astrorum cursus, & insitum ex ipsis primodiis humeris homines conuolabant: iis rebus, qui apud eos Sapietes dicebantur: toti incumberebant: iam cum

verbū caro factum sit, quod illuminat omnem hominem venientē in hunc mundum, illius radios, & lucem omnes requirunt. Verum enim verò vnde magna illa Philosophorum sapientia, quæ eos & suis & posteris mirabiles reddidit, nisi è nostris libris, doctoribus, iisque qui vt à diuino verbo didicerant, ita ipsum in carnem venturum, Christum & Saluatorem expectabāt? Nam Cicero in libris de natura Deorum, eos ab Ægyptiis didicisse scribit: & in Tusculanis quæstionibus, In peregrinatione perpetua (inquit) ætates suas Philosophi nobilissimi consumpserunt, Xenocrates, Crantor, Æcesitas, Lacides, Aristoteles, Theophrastus, Zeno, Cleanthes, Chrysippus, Antipater, Carneades, Panætius, Clitomachus, Philo, Antiochus, Possidonius, innumerabiles alij, qui semel egressi, numquam domum reuertere. Orpheus Odrysius, Homerus & ipse in Ægyptum profectus est: Solon quoque, & Plato, vt testis est Diodorus, Theodoretus, Iustinus Martyr, Lactātius, & Eusebius. Et, vt vnus verbis omnes complectar, Clemens Alexādrinus in primo Stromatum. Quòd (inquit) Philosophorū plurimi fuerint & genere barbari, & à barbaris eruditi, quid opus est dicere? At qui barbaros vocat, non Ægyptios modò, sed & Chaldæos, Hebræos, Syrios, ipsum etiam Mo- sen & Prophetas: quod vulgus gentium eos barbaros nūcuparent. Homerum enim plurimi ostendūt Ægyptium. Thales autem cum esset Phœnix genere, etiam cum Prophetis

Ægy-

Lib. 5.

Lib. 3. ca. 6.

Ægyptiorum (apud quos mansit populus Dei, & à quibus non longè distitus erat) congressus esse dicitur: sicut etiam Pythagoras cum iis ipsis, propter quos etiam fuit circumcisus, vt adyta ingrediens, Ægyptiorum mysticam disceret Philosophiam: & cum Chaldæorum & Magorum versatus est præstantissimis: & eam quæ nunc vocatur, Ecclesiam significat, id quod apud ipsum est ὁμαροειον, auditoriū. Nec verò Plato negat se ea quæ sunt in Philosophia præstantissima, mercatum esse à barbaris, & in Ægyptum venisse, scribens in Phædone vndiquaque posse iuuari Philosophum. Magna quidem est (inquit) Græcia, ô Cebes, in qua sunt viri omni ex parte boni: multa sunt autem etiam genera barbarorum. Manifestum est autem ex ipsis Platonis scriptis, quantum ille magni fecerit Hebræos, quos barbaros vocat, vt qui meminisset se & Pythagoram plurima, eaque præstantissima & nobilissima dogmata apud eos didicisse. Pythagoram enim Moseos sapientiam imitatum dicit Constantinus, vsque eò propter modestiam, omnium sermone celebratum esse, vt Platoni homini planè modestissimo eius continētia tanquam exemplar ad imitationem proponeretur. Vnde verò omnia ad monadem, vt causam, referebat, in hoc <sup>de</sup> vnum, & monadem differre asserens, quod <sup>de</sup> ad principium numeri quodcunque visibile, monas ad inuisibilia transferratur, nisi quòd ex nostris Deum vnum esse didicisset? Numenius verò Pythagoricus hoc

Cap. 17.

Iust. Mart.  
tyr in ex-  
hortat. orat  
ad Gentes.

attestatur Moyſi:

Τὶ γὰρ ἔστι Πλάτων ἢ Μωϋσῆς ἀπικίτων.  
 Quid est (inquit) Plato, nisi Moyses latina lingua loquens? Hic etsi quibusdam inuolucris, hominis tamen creationem, lapsum, paradysum, serpentem, solis retrogressionem, & illuſionem aquæ, ignis que vastationem expressit, vt subtiliter Eusebius in libris de demonstratione Euangelica obseruauit. Quin & semper τὸ δὲ defendit, entem nimirum illum, qui apud Moſen ait, Ego sum qui sum: vnde & ille, Qui est (inquit) misit me ad vos. Hæc ille omnia è libris Mosaicis decerpserat: qui & in dialogo de anima, videtur Prophetiam agnoscere, introducens Prophetam Lachesis orationem enunciantem, apud eas quæ sortiuntur animas prædicere. Sed & in Timæo è barbaro se discere scribit, cum hæc inserit: O Solon, Solon, vos Græci semper estis pueri, senex autem nullus est Græcus: disciplinam enim nullam habetis canam. Democritus quoque in Moralibus libris Babylonici, Ego (inquit) ex iis qui meo tempore fuerunt, plures terras peragraui, ea quæ proculdubio remota erant, inquirens: & æris & terræ vidi regiones plurimas, & homines doctos audiui plurimos. Scribit etiam se cum Aegyptiis contulisse, qui vocantur Arpedonaptæ, & cum his octoginta annis in aliena terra mansisse. Clearchus denique Peripateticus se quædam Iudæum nosse dicit, cum quo versatus est Aristoteles. Illi quidem vnum Deum omnes agnouerunt è nostris, cum Græ-

cia mendax tantum Deorum numerum introduxisset, vt Oenomaus Philosophus eos ad summam triginta millium computet. Iustinus Martyr etiam Homerum à nostris multa deprompsisse, sed tamen, vt moris Poëtarum fuit, suis inuentis deprauasse narrat, vt qui & ipse in Aegyptum profectus, multa de Deo, & rerum ordine didicisset. Defendit ille Monarchiam, dicens,

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίην εἰς κοίρανος ἕστω,  
 εἰς βασιλεύς: quod est,  
 Non bonares multi Domini: rex vnicus esto.

Et in Iliade creationem subobscurè notat, in Iliad. 6. 0-  
 Achillis clypeo à Vulcano expressam: & in Odyssæa, sub typo hortorum Alcinoë, Paradisi terrestris formam depingit: & alibi in Otho & Ephialto gigantibus, qui Pelion Ossæ imposuerint, turrim illam Babel implicat, & primos illos qui supremi ausi sunt

--turbare gigantes

Imperium, atque alto leges imponere cælo.

Quin & ipsi Gentiles à suis oraculis hæc audierunt, sciscitante quodam, qui vnquam religiosi viri fuerint:

Μῆτροι Χαλδαῖοι σοφίην λάχον, ἠδ' ἀρ'  
 Ἐβραῖοι,

Αὐτογέννητον ἀνακτα σεβαζόμενοι Θεὸν ἀγνώσκει.

Soli Chaldaei sapientiam adepti sunt & Hebraei

Deum regem per se genitum sanctè colentes.

Lactantius idem etiam confirmat in Orpheo, Lib. 1. in-  
 & nostris Poëtis. Nam Orpheus Deum verum *Stic. cap. 5.*

& magnum, πρωτόγονον, id est, primogenitum appellat, quod ante ipsum nihil sit genitum, sed ab ipso cuncta generata sint. Eūdem etiam φωνία, id est, apparētem nominat, quod cum adhuc nihil esset, primus ex infinito apparuerit & extiterit. Hunc, ait omnium Deorum esse parentem, quorum causa cælum condiderit, liberisque prospexerit, vt haberent habitaculum, sedēque communem:

ἐκπισεν ἀθανάτοις δόμον ἀφ' ἑαυτοῦ.

Agnouit & ille æternum Dei verbum, quod & orationem nuncupat, metri gratia, dicens,

Αὐδ' ἠὲ ὀρκίζω σε πατρός, ἠὲ φθέρξαστο πρώτου,

ἦνίκα κόσμον ἀπαντα ἑαῖς φηίξαστο βαλαῖς.  
Orationem te patris obtestor, quam primā effatus est,  
Cum mundum vniuersum suis firmavit consiliis.

Quia vbi per leges carminis licet, non abhorret à sermonis vocabulo, vt cum ait,

Εἰς δὲ λόγον θεῖον βλέψας, τίτω προσηδ' ῥευε.

Tu verò diuinum sermonem intuens, hunc frequenta.

Neque verò Maro Virgilius longè abfuit à veritate, cuius de summo Deus, quem spiritum ac mentem nominauit, hæc verba sunt:

Principio cælum & terram, camposque liquentes,

Lucentemque globum Lunæ, Titaniæque astra,

Spiritus intus agit, totamque infusa per artus

Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

Lib. I. stro.

Quin & Numa Pythagoræus, Romanorum Rex, vt asserit Clemēs Alexandrinus, ex iis quæ à Mose tradita sunt, adiutus, prohibuit Romanis, ne homini aut animali similem facerent

imaginem. Vnde factum est, vt cum cætum & septuaginta primis annis templa ædificarent, nullam imaginem nec affictam, nec depictam fecerint. Cæterum (vtar enim Tertulliani verbis) si Numę Pompilij superstitiones reuoluamus: si sacerdotalia officia, insignia & priuilegia: si sacrificantium ministeria & instrumenta, & vasa ipsorum sacrificiorum, ac piaculorum & votorum curiositates consideremus, nōne manifestè morositatem illam Iudææ imitatus est? Scribit & Dionysius Areopagita tam studiosos fuisse Babylonios rerum Iudæicarum, vt in Annalibus suis retrogressionem solis, quæ tempore Ezechix contigit, annotauerint. Ac istud quidem (inquit) Persarum sacerdotum monumētis reseruata historia continet, magisque nunc vsque triplicis Mithri, id est, solis memoriam celebrant. Eapropter Ptolomæus Philadelphus, Ægypti Rex, cum copiosissimam librorum supellectilem congregasset, magno studio, magnisque impensis Iudæorum libros comparauit, & à septuaginta

Tertull. lib. de prescrip. contra heretic.

Epist. ad Polycarp.

Lib. 8. de prepar. Euang. cap. 1.

viris traduci fecit. Itaque ex Aristæo narrat Eusebius Cæsariensis, quod Demetrius grandem pecuniam acceperit à Ptolomæo, vt ex omnibus partibus libros cōgereret, vel emendo, vel transcribendo. Fuisse interrogatum Aristæum à Rege, quot iam essent libri: respondisse, plus quam ducenta millia: sperare autem breui non minus quingētis millibus. Hanc autem epistolam miserat Demetrius Regi. Quoniam præcepisti, ô Rex, vt vndecunq; possim,

in bibliothecam tuam libros vtilis congeram, maiestati tuæ refero Iudæorum disciplinam & leges perutiles mihi videri. Feruntur enim nonnulla translata, certè tantæ admirationis, vt & integra & diuina sola Iudæorum sanctio videatur. Itaque Rex vt eos libros haberet, Eleazaro summo apud Iudæos Pontifici scripsit, captiuos ex Iudæis remisit, auri quinquaginta, argenti verò centum talenta dedit, & lapides non paucos ad vasa facienda. Adducit Hecataei Abderitæ testimonium, quòd hi libri intacti fuerint à Poëtis, propter sanctitatem. Vt ergo tam pio Ptolomæi Regis proposito satisficeret, Eleazarus è singulis tribubus sex viros misit, qui ex Hebræa lingua in Græcam sacros libros conuerterent. Itaque septuaginta interpretes ad Ptolomæum profecti sunt: qui ne mutuò conspirarēt, vtque diuinæ legis hos esse libros experientia quisque cognosceret, in Pharo insula propè Alexandriam dispersi sunt, & separatim omnibus singulæ domus assignatæ sunt. Qui cum, vt scribit Cyrillus, in septuaginta diebus negotium id perfecissent, simul omniū interpretationes ex diuersis domibus prodierunt. Collatis autem non solum sensibus, sed & verbis, consonare omnia visa sunt. Non facundia & apparatu sophismatum humanorum factum id fuerat, sed ex spiritu sancto hæc proficiscebantur, vt Gentilis Princeps sacra volumina omnibus præferret. Habuerunt denique Chaldæi magnam illorum partem sua lingua traductam, & maximè Da-

Cyroll. Hierosolymit. Catech. 4.

nielis Prophetiam. Tanto demum in pretio doctrina hæc fuit Alexandro magno, vt ille Iudæis tributum remisit, & eos pro se apud Deum suum in templo preces fieri voluerit. Postremò si ad libros noui Testamenti veniamus, an non illos Reges amplectuntur, & sapientes? Ex aduerso verò ij, qui fuerant curiosi sectati, combusserunt libros suos, vt narrat Actuum Apostolicorum historia: tum relicto Platone & Aristotele ad Christianismum multi conuolarunt, vt Dionysius Areopagita, & Damaris, & alij, statim atque Pauli doctrinam audierunt.

Iosephus.

*Quòd non omnibus in Scriptura interpretatione credendum est, & quàm impiè hæretici illas corrumpant, minuant, & alij sententias, alij libros prophanos supponant.*

**H**TSI non modò traditione, sed & scripto verbum Dei commendetur, ita tamen illud discernendum est, vt non occidentem literam, sed viuificantem spiritum sequamur, nec animali iudicio scripturas interpretemur. Habèt enim Magi sua signa, sed illusoria: habent picturæ suos tractus, sed non animã: habent & hæretici literam, habent & scripturam, sed non verbum: quoties nimirum à recto suo ad sua phantasmata delabuntur. Nam, vt Tertullianus in Præscriptionibus, hæreticis de scripturis agūt,

Epist. 61.

& de scripturis suadent. Aliunde scilicet suadere non possent de rebus fidei, nisi ex literis fidei. Scripturas obtendunt, & hac sua audacia statim quosdam mouent: in ipso verò congressu firmos quidem fatigant, infirmos capiunt, medios cum scrupulo dimittunt. Hoc de donatistis iudicium tulit Augustinus, quòd contra Christum signum Christi portabant, & de Euangelio quod non intelligebant, gloriabantur. Sed, vt magno compendio, doctissimè tamen contra hereticos scripsit Vincentius Lirinensis, tanto magis cauendi & pertimescendi sunt, quanto occultius sub diuinæ legis umbraculis latitant. Sciunt enim fœtores suos nulli ferè citò esse placituros, si nudi & simplices exhalentur: atque idcirco eos cœlestis eloquij velut quodam aromate aspergunt: vt ille qui humanum facilè despiceret errorem, diuina non facilè contemnat oracula. Itaque faciunt, quod hi solent, qui paruulis austeram quædam temperaturi pocula, prius ora melle circumlinunt, vt incauta ætas cum dulcedinem præsenferit, amaritudinem non reformidet. Quod etiã iis curæ est, qui mala gramina, & noxios succos medicaminũ vocabulis præcolorant: vt nemo ferè, vbi suprâ scriptum legerit remedium, suspicetur venenum. Idem denique & Saluator clamabat, Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intus autem lupi sunt rapaces. Quid enim est vestitus ouium, nisi Prophetarum & Apostolorum proloquia, quæ illi

Math. 7.

ouili quasi sinceritate, agno illi immaculato, qui tollit peccatum mundi, tanquam vellera quædam texuerunt? Qui sunt lupi rapaces, nisi sensus hæreticorum feri & rabidi, qui caulas Ecclesiæ semper infestant? Qui vt fallaciùs incautis ouibus obrepant, manente luporum ferocia, deponunt lupinam speciem, & sese diuinæ legis sententiis, velut quibusdam velleribus obuoluunt: vt cum quisque lanarum molliem præsenferit, nequaquam aculeos dentium pertimescat. Sed quid ait Saluator? Ex fructibus eorum cognoscetis eos: id est, cum ceperint illas voces non iam proferre tantum, sed etiam exponere: nec adhuc iactare solum, sed etiam interpretari: tunc amaritudo illa, tunc acerbitas, tunc rabies intelligitur, tunc nouitium virus exhalatur, tunc prophanæ nouitates aperiuntur, tunc primùm scindi sæpem videas, tunc transferri Patrum terminos, tunc Catholicam fidem cædi, tunc Ecclesiasticum dogma lacerari. Tales erant, quos percutit Paulus, cum ait: Eiusmodi Pseudoapostoli, operarij subdoli, transfigurant se in Apostolos Christi. Quid autem est, sese in Apostolos Christi transfigurare? Proferebant Apostoli diuinæ legis exempla, proferebant & illi: proferebant Apostoli Psalmorum authoritates, proferebant & illi: proferebant Apostoli sententias Prophetarum, & illi nihilominus proferebant. Sed cum ea quæ similiter protulerant, interpretari non simpliciter cœpissent, tunc simplices à subdolis, tunc infucati à fucatis, tunc recti à peruersis, tunc postremò veri Apostoli à

falsis discernebantur. Nec enim statim eos omnes verbum Dei annuntiare dicimus, qui scripturas obtendunt, & iactant, nisi etiam verum scripturæ sensum habeant & proferant. An non Sathan contra Christum scripturam adduxit, si quo pacto illum in tentationis suæ laqueos protraheret, cum ait, Scriptum est, Quoniam Angelis suis Deus mandavit de te. An non etiã contra eum Iudæi scripturis, sed malè intellectis, egerunt, cum dicerent paralytico, Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum. Et quis est hic qui etiam peccata dimittit? Nimirum quòd legissent, Ego solus deleo iniquitates. Cum etiam illum morti adiudicari peterent à Pilato, Secundum legem nostram (inquit) debet mori, quia filium Dei se fecit. Illi utique omnibus sabbathis de scripturis differrebant, illas etiam in Christo impleri videbãt: & tamen quia sensui depravato: hærebant, Christum negarunt, eumq; qui in propria venerat, non receperunt. Audiebant scripturas: cum ad interpretationem venirent, iam non verbum Domini, sed hominum inuenta audiebant. Vnde de illis Christus, Verè utique prophetauit Esaias, Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me. In vnam colunt me, docentes doctrinas & madata hominum. Et, Qui ex Deo est (inquit) verbum Dei audit. Vtique quia etsi scripturam, Dei tamen verbum non audiebant, cum à proprio scripturæ sensu auocarentur. Rursus, Vos (inquit) de deorsum estis, ego de superius sum. Nec

ij modò, sed omnes hæretici, quòd terrena sapiant, & secundum animale[m] hominem de scripturis iudicent, ab eorum veritate longè rapiuntur. Tertullianus: Nihil: (inquit) hæreticis proficit congressio scripturarum, nisi planè quis aut stomachi inecat versionem, aut cerebri. Nec enim hæresis recipit quasdam scripturas: etsi quas recipit, adiectionibus & de-  
*Lib. de præ-  
script. con-  
tra hæreti-  
cos.*  
tractionibus ad dispositionem instituti sui interuertit, etsi aliquatenus integras præstat, nihilominus diuersas expositiones commentatur. Hanc autem Sathanæ per ministros suos tyrannidem ex ipsa eorum successione quisque facilè intelliget, qui ea legerit, quæ non modò Tertullianus, sed & Epiphanius, Theodoretus, Philastrius, & Augustinus de iis restantur. Eorum enim alij quosdam libros integros tollunt & negant, alij alios supponunt. Sunt qui quasdam sententias rescindant, quæ contra eorum opiniones facere videtur. Sunt etiam qui omnes scripturas abolere nituntur. Et si verò quasdam cæteri omnes admittunt, non tamen in eo vbiq; sensu, qui in Ecclesia Catholica agnoscitur. Scribit Epiphanius, Samaritas tantum quinque Mosaiicos libros admisisse: ac si nec Psalmis aut Prophetis opus esset, quos summo etiam in honore Synagoga habuit. Dementes seu Brutaes dicti, Euangelium Ioannis & Apocalypsim reiecerunt, quòd eam non Ioannis, sed Cherinthi esse dicerent, quasi Cherinthus Christum Deum prædicarit, qui talis his in libris agnoscitur. Ariomanitæ Epistolam ad 69.

*In hæres. 7.*

*Brutalis.*

*In hæres.*

*51.*

*Ariomanitæ*

*nita.*

*In hæres.*



*In her. 69.* Hebræos supprimere cōati sūt, quōd illa Christi-  
*Manicha.* stum & æternū, & Dei filiū annūtiaret. Manes  
*Origen.* verò & Marcion vetus Testamentū reiecerūt,  
*lib. Derect.* quasi alius Deus esset veteris, alius noui Testa-  
*in Deum si-* menti. Ebionæ Mariæ virginitatē negabāt, le-  
*de.* gem obseruabāt, Apostoli autē epistolas om-  
*Ebionitæ.* nes respuerunt (inquit Eusebius) & ipsum apo-  
*Euseb. lib. 3* statū legis appellarūt: Euāgelio autē vno, quod  
*hist. Eccle-* secundum Hebræos erat, utebantur, cetera ni-  
*hist. cap. 27* hil ducebant. Seueriani quoq; à Tatiano Epi-  
*Seueriani.* stolas etiam Pauli & Actus Apostolorū abdi-  
*Idens lib. 4.* cabant: in cæteris autem proprium quendam  
*Cap. 29.* habebant sensum. Apelles libros legis, Arte-  
*Euseb. lib.* monitæ nō modo legem sed & prophetas, ex-  
*3. cap. 12.* ploferunt: Elchefaitæ epistolas Pauli non ad-  
*Cap. 28.* mittebant, sed librum quendam iactabāt, quasi  
*lib. 6. c. 28.* de cælo lapsum. Sunt & nostro tempore, qui  
 Machabæorum libros reiiciāt, vt qui de obla-  
 tione & precibus pro mortuis loquantur: Alij  
 verò Iacobi Epistolam quod necessitatē ope-  
 rum ostendat: alij Epistolam Hebræos, quōd  
 Christi sacerdotiū confirmet. Sunt, qui omnes  
 scripturas ablegent, quōd hæ ab hominibus  
 exarata sint, vt & ipsæ picturæ, eandemq; cum  
 sculpturis & picturis animo speciem ingerant.  
 Nam quod doctis est scriptura, hoc idiotis pi-  
 ctura. Ideò scilicet Skuuenkfeldius ad inter-  
 num verbū recurrēdum monet, vt ipso doceamur.  
 Quin & Lodoïcus ille, qui nuper Lug-  
 duni anno M. D. LXVI. omnia signa externa  
 abdicabat, quomodo non ad negandas omnes  
 scripturas progrediebatur? Nec verò nos ita

scripturæ hæremus, vt non reconditum spiri-  
 tualem sensum, & spirituale verbum requira-  
 mus. Ad hoc nos scripturæ deducunt, vt nu-  
 cleum frangamus, corticem & literam tolla-  
 mus, & ad spiritum latentem perueniamus.  
 Interim verò quomodo non, vt monet Paulus,  
 Omnis scriptura diuinitus inspirata vtilis est  
 ad docendum & arguendum. Cur igitur ad  
 scripturas Christus Iudæos remitteret, & in iis  
 sitam eorum vitam diceret, nisi quia, vt habet  
 Ioannes, Hæc scripta sunt vt credamus, & cre-  
 dentes vitam habeamus æternam?

Fuerunt etiam non qui omnes scripturas  
 tollerēt, sed qui alias impias & deprauatas sub  
 insigni aliquo nomine supponerent. Gnostici  
 quidem Euangelium Barcabæ conflatunt, quo  
 synaxem turpitudinis, humanarum carniū,  
 & menstrui & seminis esum afferebant: Chri-  
 stum quoque hanc turpitudinem intellexisse,  
 cū diceret, Nisi manducaueritis carnem filij  
 hominis, & biberitis eius sanguinem, non ha-  
 bebitis vitam in vobis. Sabelliani quoq; Euan-  
 gelium Ægyptium ediderant, in quo Christū  
 inducebant dicentem Apostolis, eundem esse  
 patrem, eundem filium, eundem spiritum san-  
 ctum. Huius meminit Clemens Alexandrinus  
 in libris Stromatum, magno autem in pretio  
 fuisse in schola Tatiani, in quo hæc Christo  
 imponantur, quōd dixerit, Veni ad dissoluen-  
 dum opera fœminæ: vt generationem omnem  
 & liberorum procreationem tollerent. Ha-  
 buerunt & Caiani Euangelium Iudæ. Scythia-

*Epiph. hæ-  
res. 26.*

*idē in hæ-  
res. 42.*

*Lib. 3. Stro-  
mat.*

*Catech. 6.* nis verò Manetis præceptor, genere Saracenus, quatuor libros edidit (inquit Cyrillus Hierosolymitanus:) vnum, quod appellauit Euāgelium, non quod actiones, sed solam eius appellationem contineret: Alterum vocauit librum Caputum, tertium Myſteriorum, quartum verò, quem Manichæi circumferebant, librum Theſaurorum: è quibus Curbicus, qui tandem Manes dictus est, virus impietatis exhausit. Scripserunt & Manichæi Euangelium secundum Thomam, quod euangelico nomine coloratum, animas simplicium corrumpere. Eusebius verò narrat suppositos novos Psalms à Paulo Samosateno, contra eternam Christi maiestatem, quos per mulieres diebus Paschalibus in medio Ecclesiæ cani iubebat.

*Euseb. lib. 7. histor. Eccles. Cap. 26.* An non etiam maximus Christi fidei infensissimus, nomine Pilati Acta quædam à pueris legi & decantari voluit, blasphemias in Christum Iesum refertissima? Non etiam Iudæi libros de Christi infantia, plenos cõtumeliarum ediderunt, quos suis commendant, vt à confessione diuinæ illius maiestatis auocentur? Condidit & Mahumerus Azoar & Alcoranum, in quibus sibi Prophetiam vendicat; & simul cum suis somniis immiscet omnia. Christianismum, Iudaismum, Barbarismum, & Hellenismum.

*Basil. lib. 2. in Eunomium.* Sunt qui sententias integras tollunt, sunt qui mutant. Tertullianus Marcionem scribit originalia Christi instrumenta deleuisse, ne caro eius probaretur. Ex qua verò (inquit) oro te, *Tertul. lib. De præscri.* authoritate? Si Propheta es, prænuntia aliquid

si Apostolus, prædica publicè: si Apostolicus, cum Apostolis senti: si tantum Christianus es, crede quod traditum est, aut morere: Quanta verò arrogantia & temeritate huius seculi hæretici scripturas vitiarunt? Aut enim verba pro verbis supposuerunt, aut etiam sententias sustulerunt, quæ eis aduersabantur, seu de bonis operibus, seu de traditionibus, seu de meritis agebatur. Sic sacramenta & scripturas tenent ad speciem, non autem ad salutem (inquit Augustinus.) Omnes enim in sensu scripturæ hal. *Aug. l. 3. de bapt. cõ-* ambiguum detorquere queat. Sectæ nimirum *tra Dona-* fornicariæ dicitur apud Ezechielem, Protulisti de auro meo & argento, & fecisti imagines 19. masculinas, & obrulisti idolis. Vtrique quoniã *Ezech. 16.* eloquia Domini, quæ aurum & topazion, argentum etiam igne examinatum, probatum terre, purgatũ septuplum superant, suis fantasmatibus offerunt & opinionibus, quas velut idola statuunt. Nec mirum quidem videri debet, quòd truncatas illi scripturæ sententias in deprauatum sensum distrahunt. An non etiam Imperatorias leges, digesta, & præscriptiones, subtilis & loquax causidicus in iniustæ causæ patrociniũ proferre poterit? Quid tam certum est & resolutum, quod non ventilet subtilitas corruptoris? Tantum enim proficit adulter sensus, quantum corruptor stylus. Arius in impietatis suæ defensionem depromebat hoc quod scriptum est, Pater maior me est. Astitæ, vt è crapula sibi spiritum dari concluderent,

id proferebant, Nemo mittit vinum nouum in utres veteres. Apollinaris in sui erroris prætextum, hoc Christi verbum proponebat, Ego de supernis sum: Eunomius id, Caro non prodest quicquam: vt carnem Christi nec prodesse, nec obesse cōcluderet. Ophitæ, Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis: vt serpenti mysterium nostræ salutis acceptum darent. Marcionitæ denique duos Deos se in scripturis agnoscere dicebant, vnum quem nouerint Prophetæ, alterum quem Christus: de quo, Nemo nouit patrem, nisi filius. An non etiam Iulianus Apostata suas in Christianos contumelias, malè intellectis scripturis prætexebat, cùm impunè illos cordi, expoliari & affligi iuberet, quòd scriptum esset, Si quis te percusserit in maxilla, præbe ei & aliam? Et, Si quis pallium à te auferre voluerit, præbe ei & tunicam? Quid est verò quod nostræ tempestatis hæretici non scripturis obducant, licet ipsi inter se digladiantur? Quid non in fauorem suarum cupiditatum retorquent? Ad luxuriæ libertatem hoc habent, Crescite & multiplicamini, & replete terram. Et rursus, Si quis viderit fratrem aut sororem necessitatem habentem, & clauerit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo? Cōtra nuptias, Erunt sicut Angeli Dei. Contra leges & Principes, Nolite serui fieri hominum. In sepulturæ ritus, Sinite mortuos sepelire mortuos suos. In pacem, vt bellum continuum suscitent, hoc habent in ore, Non

veni

veni pacem mittere, sed gladium: In furtorum patrocinium proferunt spoliatos Ægyptios ab Israëlitis. Vt etiam prodiones licere concludant, ipsam Iudith & Sisaram in exemplum exhibent: vt rebelliones, Israëlem Pharaoni insultasse, & Dauidem à Saule fugisse dicunt. Quid est denique, quod non ex deprauato scripturæ sensu Sathanici ministri cōflasse videantur? Quinetiam Magi ad incantationes peragendas sacris verbis vtuntur, sed quæ Sathanæ tribuunt, aut rident. Basilii: Ægrotat (inquit) *Homil. 12.* tibi filius, tu incantatorem requiris, aut eum *in Psal. 45.* qui inanes characterum figuras innocentum collo appendat, eum qui seruare potest negligens. Hęc sunt ingenia de spiritualibus nequitia, (inquit Tertullianus) cum quibus nobis est luctatio, meritò contemplandę fidei necessaria, vt electi manifestentur, & reprobi detegantur. Et ided habent vim, & excogitandis instruendisque erroribus facilitatem, non aded mirandam, quàm difficilē & inexplicabilem, cùm de secularibus quoq; scripturis exemplum præstò sit eiusmodi facilitatis, cùm ex Vergilij versibus fabula omninò alia componi possit. Nam Osidius Geta Medeam Tragœdiam ex Vergilio plenissimè expressit. Fuit & qui ex eodem Poëta, inter cætera styli sui otia Pinacem Cebetis explicuit. Edidit similiter & Proba Centona ex ipsius versibus opus de fidei nostræ mysteriis. Homerici centonas etiam vocare solent, qui de carminibus Homeri propria opera more Centonario, ex multis hinc

G

indè compositis in vnum sarciant corpus. Et utique fœcundior est diuina litera ad facultatem cuiusque materiæ. Nec periclitor dicere, ipsas quoque scripturas sic esse ex Dei voluntate dispositas, vt hæreticis materiam subministrarent, cum legam oportere hæreses esse, quæ sine scripturis esse non possent. Sed quaeritur, à quo intellectus interpretetur eorum quæ ad hæreses faciant? A diabolo scilicet, cuius sunt partes interuertendi veritatem, qui ipsas quoque res sacramentorum diuinorum in idolorum mysteriis æmulatur. Tingit & ipse quosdam, utique credentes, & fideles suos, expiationem delictorum delauacro repromittit, & sic adhuc inicit Mithræ: signat illic in frontibus milites suos: celebrat & panis oblationem, & imaginem resurrectionis inducit, & sub gladio redimit coronam: Quid quòd & summum Pontificem in vnus nuptiis statuit? Habet & virgines, habet & continentes. Manent interim in suo vigore omnia, si benè intelligantur, quæ à Deo instituta sunt: quæ tamen in deprauatum sensum detorta, Diaboli obsequio dedicantur. Sic videmus quibusdam animantibus venenum in cibum esse, aliis ferrum, aliis arenam, aliis alia, quæ si alterius speciei feræ porrigantur, contemnat, & nihili faciat. Sed & quædam cibum cæteris etiam & hominibus communem in venenum conuertunt. Quid quòd Aranea ex eodem flore venenum suggit, è quo Apis mel cõficit? Sic ex cuiusque conditione transformatur scriptura: nõ quòd

varietas illa è scriptura pèdeat, sed ex eorũ meritis qui legunt. Eapropter obseruat Augustinus, illas vocari sagittas, de quibus Psaltes, Sa- *In Psal. 7.* gittas suas ardentibus effecit. Nec tantum ait sagittas, sed & vasa mortis Dominum in arcu parasse dicit. Quæ ergo potest, Quæ sunt vasa mortis? An fortè hæretici? Nam ipsi ex eodem arcu, id est, ex eisdem scripturis, in animas non charitate inflammandas, sed venenis perimendas insiliunt, quod non contingit nisi pro meritis, utique Deo permittente. Ex quo efficitur, vt cum Deus superbis resistat, humilibus autem det gratiam: cum deniq; malivolam animam non inhabitet sapiëntia, neq; corpus subditum peccatis: non mirandum sit, si in corruptum & deprauatũ sensum hæretici scripturas detorqueant. sunt enim elati, cupidi, superbi, voluptatum amatores, magis, quàm Dei. Excæcat eos sua malitia, vt qui suas opiniones potius quàm spiritus sancti sensum venerentur. Quanta verò cum reuerentia & timore Prophetæ & Apostoli Dei verbum tractarũt? Daniel districto ieiunio sese ad somnij interpretationem disposuit: quod primũ in Mose obseruatum fuerat, vt legem à Deo acciperet. Sancti verò Therapeutæ, quorum meminit Philo Iudæus, qui in Alexandria edocti à Mar- *Lib. de vita supplicis* co, vitam solitariam ducebant, quantis vigiliis, orationibus, lachrymis & supplicationibus Dei verbum meditabantur? Nimirum spiritu facta carnis mortificabant, vt viuificantẽ spiritu afflarentur, quo litera scripturæ pen-

Lib. De spi-  
ritu liter  
& cap. 4.  
Rom. 8.

landa est. Sic enim Augustinus monet vela-  
men literæ tollere, & ad spiritum peruenire:  
quoniam sapere secundum carnem, mors est,  
sapere autem secundum spiritum, vita & pax.  
Quod probat ex Canticorum Salomonis in-  
terpretatione, quæ ad literam prophanos a-  
mores sonare videntur: cum tamen Christi &  
Ecclesiæ magna mysteria complectantur. Ex  
his igitur omnibus manifestum est, non statim  
iis omnibus credendum esse, qui scripturas ha-  
bent, nisi etiam & verum ipsius sensum in vna  
Catholica Ecclesia profiteantur.

*De scripturæ difficultate, quodque eius,  
interpretatio non omnibus  
est peruis.*



GNARIS & temerariis omnia  
videntur facilia, vt dulce bellum  
inexpertis. Sic Thraso Terentia-  
nus multa sibi in re militari polli-  
cetur: Mediū (inquit) arriperem,  
cōstringenem, prosternerem, pessundarem: at  
vbi præstō est miles, totus horrore concutitur.

In re quidem literaria hoc maximè. Quis e-  
nim ignauorum non putet illius professoribus  
omnia peruisa? Et tamen

*Non iacet in molli veneranda scientia lecto,  
Ipsa sed assiduo parta labore venit.*

Quot insomnes noctes? quot frigora? quot  
libri necessarij sūt? Hoc maximè in Theologiæ  
studiis, quam tamen sine vlllo labore superbi

51  
& indocti homines cōtingere arbitrātur. Nā  
apud Augustinū, Cūm legerē (inquit Honora-  
tus hæreticus) per me ipse cognoui. Itāne est,  
ait Augustinus? Nulla imbutus Poëtica disci-  
plina, Terentianū Maurū sine magistro attin-  
gere non auderes. Asper, Coruntus, Donatus,  
& alij innumerabiles requiruntur, vt quilibet  
Poëta possit intelligi, cuius carmina etiam  
theatri plausus videtur captare: Tu in eos li-  
bros, qui quoquo modo sese habent sancti, si-  
ne duce irruis, & sine præceptore audes fer-  
re sententiam. Nec si tibi aliqua occurrunt  
quæ videantur absuda, tarditatem tuam, & pu-  
trefactum tabe huius mundi animum, qua-  
lis stultorum omniū est, accusas potius, quàm  
eos qui fortassè à talibus intelligi nequeunt.  
Ipse etiam Augustinus hoc sibi testimonium  
reddidit, vt non solūm in aliis innumerabili-  
bus rebus multa illum lateant, sed etiam in  
ipsis sacris scripturis multò nesciat plura,  
quàm sciat. Et quidem (vt scribit Basilus) sa-  
cræ scripturæ verba, si vtrunque legantur, sa-  
aut perfunctoriè, syllabæ tantūm esse viden-  
tur, & eadem peræquæ: sed cūm verborum  
sententiæ peruestigantur, tunc quanta sit sa-  
pientia creatoris, perspicitur, quot volucrum  
opifex ipse discrimina, quot differentias præ-  
uidit, per quot ipsas inter sese genera speciesq;  
distinxit: vt gallus excubitor, anseres vigiles,  
vultures præfagi cædis propinquæ, locustarum  
prælia & exercitus, cicadæ canoræ. Quæ vno  
verbo expressit, Producant aquæ volatilia vo-

Lib. De util  
cred. cap. 7.

Epist. 119.  
ad Ianuar.

Hom. 8.  
Hexamer.

lantia super terrā, iuxta firmamētū cœli. Quid si ad reliqua verba, quæ opificiū creationis exprimunt, animum conuertas? quid si ad Prophetas? ad Psalmos? ad cœteras scripturas? Quid non magnum erit & stupendum? Non ignoramus verò (inquit Hilarius) ad res diuinas explicandas, neque hominum elocutionem neque naturæ humanæ comparationem posse sufficere. Quod enim inenarrabile est, id significantiæ alicuius finem & modum non habet: & quod spirituale est, id à specie corporalium exemploque diuersum est. Itaque, vt ipse alibi, declaratio sermonum maximè necessaria est.

*In Psal. 118* Sunt enim sub velamine alterius opinionis prædicata: sunt, secundum Apostolum, allegoricè dicta: sunt comparatiuis significationibus amphibola. Testis est Dominus, qui per Esaiā hæc Iudæis infidelibus exprobrat, Auditū audietis, & non intelligetis: signata enim sunt omnia. Vnde & Daniel, Clausi sunt (ait) signati- que sunt sermones. Adicit & Esaias: Obstupescite & admiramini, fluctuate & vacillate: inebriamini, & non à vino: mouemini, & nō in ebrietate quoniā miscuit vobis Dominus spiritū soporis. Claudet oculos vestros: Prophetas & Principes vestros, qui vidēt visiones, operiet. Et erit vobis visio omniū sicut verba libri signati: quæ cum dederint sciētī literas, dicent, Lege istum: & respondebit, Non Possum: signatus est enim. Et dabitur liber nescienti literas, diceturque ei, Lege: & respondebit, Nescio literas. Hoc vt ipse sapienter agnouit Eunuchus Candacis Reginae, cum in

*Lib. 4. De Trinit.*

*Esai. 29.*

carru suo Esaiam legeret, à Philippo autem interrogaretur, num quæ legeret, intelligeret: Et quomodo intelligam (inquit) nisi quis me docuerit? Lex enim spiritualis est, & reuelatione opus est, vt intelligatur, ait Hieronymus. Liber enim hic in Apocalypsi signatus septem sigillis ostenditur, quem aperire nemo omnium potuit, nisi solus Agnus qui occisus est ab origine mundi. Quanti hodie putant se nosse litteras, & tenent signatum librum, nec aperire possunt, nisi ille reserauerit qui habet clauem David, qui aperit, & nemo claudit, claudit, & nemo aperit? Ego, vt de me loquar, interim nec sanctior sum hoc Eunuchō, nec studiosior: qui de Æthiopia, id est, de extremis finibus, venit ad templum, reliquit aulam regiam: & tantus amator legis diuinæ scientiæque fuit, vt etiam in vehiculo literas sacras legeret. Et tamen cum librum teneret, & verba Domini cogitatione conciperet, lingua volueret, labijs personaret, ignorabat eū, quem nesciens in libro venerabatur. Venit Philippus, ostendit ei Iesum, qui clausus latebat in litera. Itaque ridiculi prorsus & amentes sunt, qui tā facilem scripturam putent, vt non multis doctoribus, multis & obseruationibus opus sit: quasi verò satis sit legere, & nō intelligere. Nimirum quisquis potest legere Euclidem, Aratum, Aristotelem, Platonem, Galenum, Auerroen: an ideò statim eos intelligere censebitur? minimè prorsus. Diu versari prius oportet in principijs, definitionibus, di-

*Act. 8.*

*Epist. ad Paulinum. Apocal. cap. 5.*

uisionibus, partitionibus. Theorica & praxis  
 requiritur. Nec tu statim medicum, chirurgum,  
 astrologum, oratorem, aut iurisperi-  
 tum eum esse censes, qui primo in limine Mu-  
 sas salutarit. Ad minores artes veniam, &  
 quæ non tam lingua quàm manu administran-  
 tur. Agricola, Cementarij, fabri metallorum,  
 lignorumq; cæsores, lanarij quoque & fullo-  
 nes, & ceteri qui variam supellectilem, & vilia  
 opuscula fabricant, absque doctore esse non  
 possunt quod cupiunt. Quod medicorum est,  
 promittunt medici, tractant fabrilia fabri: so-  
 la scripturarum ars est, quam sibi passim om-  
 nes vendicant. Hanc garrula anus, hanc delirus  
 senex, hanc sophista verbosus, hanc vniuersi præ-  
 sumunt lacerant antequàm discant. Cicero ad  
 Brutum, Neminem perfectum oratorem cen-  
 set, sed ipsum ad Idæam esse reuocandum. Ego  
 verò potius neminè perfectum Theologum,  
 cum solus ipse Deus seipsum perfectè nouerit.  
 Nam ad scripturarum interpretationem non  
 vnica scientia opus est, sed multis: multis e-  
 tiam opus est linguis. Locutio enim scriptura-  
 rum secundum cuiuscunque linguæ proprie-  
 tatem accipienda est, vt docet Augustinus.  
 Habet enim omnis lingua sua quædam pro-  
 pria genera locutionum, quæ cum in aliam  
 linguam transferuntur, videtur absurda. Quin-  
 & (vt idem ipse) scripturæ ambiguitatem a-  
 perit linguarum proprietas. Sic enim (ait Ra-  
 banus) trium saltem linguarum cognitio necessa-  
 ria est, vt ad alteram recurratur, si aliquam dubita-

*Lib. De ve-  
 ra relig.  
 Cap. 49.  
 Cap. 5.  
 Lib. De uni-  
 uerso.*

tionem nominis, vel interpretationis sermo  
 vnus linguæ attulerit. Vetus enim Testamen-  
 tum Hebraicè primùm editum est, præter po-  
 stremos duos libros Machabæorum. Habentur  
 & quædam Chaldaicè. Nouum deniq; Te-  
 stamentum Græca lingua conscriptum est,  
 præter Euangelium Matthei, & Epistolam  
 Pauli ad Hebræos, quæ Hebraicè promulgata  
 leguntur. Sed &, vt doctè obseruat Augusti-  
 nus, permulta vocabula inserta sunt sacris Bi-  
 bliis, nondum interpretata, sicut est Amen, Al-  
 lelu-iah, Racha, Os-anna, & si qua sunt alia:  
 quorum partim propter sanctiorem authori-  
 tatem, quamuis interpretari potuissent, serua-  
 ta est antiquitas, sicut est Amen, Allelu-iah:  
 partim verò in aliam linguam transferri non  
 potuerunt sine ipsius dictionis detrimento.  
 Quod maximè interiectionibus accidit, quæ  
 verba potius motum animi significant, quàm  
 sententiæ contextæ vllam particulam. Deniq;  
 si contra Iudæos agendum est Theologo, quo-  
 modo ignarus Hebraicæ linguæ illis respon-  
 debit, & in apertum fallacias interpretationis  
 illorum deducet? Si verò contra hæreticos  
 noui Testamenti codices euoluendi sunt, hoc  
 maximè fiet, vbi illi in dictione stare se dicet,  
 si Græci sermonis non ignarus fuerit. Nec qui-  
 dem tantum linguarum illa varietas requiri-  
 tur, sed & magna rerum cognitio. Ab ipsa sci-  
 licet historia ordiamur. Quomodo ritus anti-  
 quos Gentium, Regum gesta, peregrinationes,  
 captiuitates, prælia cum exteris nationibus,

victorias, idololatrias, cæteraque huiusmodi in sacris scripturis frequentia intelliget, nisi Gentium etiam libros euoluerit: Ad Genesim, imperiorum initia, cultus primos Cainæorum, barbaries gigantū, incantationes Cham, distributiones nationū, idololatria Chaldæorum occurrit: Ad Exodum, Pharaonum tyrannis, Dynastiæ, leges & Philosophia Ægyptiorum: Quis apis, & cur Dominus sibi boues & agnos immolari voluerit, nimirum, vt scribit Theodoretus, quod ab Ægyptiis adorarentur. Denique, vt omnia complectar, ad corpus biblicum requiritur cognitio purgationum, quæ & populo Dei, & quæ Gentibus in vsu erant lustrationum per ignem, vociferationū, plausuum, idolorum: quid Moloch, Baal, Astaroth, Astarthe: quæ forma altaris Gentibus, quis ritus in lucis, quæ oracula in Accaron. Sed nec ignorare oportet, quicquid Barbarismus, Hellenismus, & Iudaismus complectitur. Postremò cum res Iudæorum, Gentium imperiis discernantur, quatuor illa summa discernenda sunt, quod Assyriorum, Medorum, Persarum, Græcorum, Romanorum. Versantur enim in his maximè Prophetæ: versantur & conflictus, & captiuitates. Quis Nabuchodonozor, Teglatphalasar, qui denique cæteri reges, quæ regna, à quibus Iudæi molestias pertulerunt. Vtque ad Christum venias, quarta hîc monarchia attendenda est: sed & quis Cæsar fuerit, quis Cyrinus, Copinus, Pilatus, qui cæteri, quos etiam Euangelistæ annotarunt, vt certio-

*Epiph. in  
Anchorato.*

ra Christi tempora redderent: quis status rerum Iudaicarum: quibus fraudibus aut bellis Romanis tributa penderent: quis Herodes, Festus, Agrippa: qui Tribuni, Centuriones, Reguli: Hîc per Olympiades decurrenda erunt Consulium nomina, Pontificum. Postremò quàm multa, quæ Gentibus in vsu erant, notantur & condemnantur, quæ nosse oportet, si quis perfectè noui Testamenti scripturas intelligere voluerit: Nec modò historiæ, sed & Poëtarum cognitionem non prorsus abiiciendam dixerim, cum pars Hellenismi ab iis maxima profecta sit. Inde scilicet contra Græcos agunt Iustinus, Lactatius, Clemens, Theodoretus, Tatianus, Eusebius Cæsariensis. Quin & ipse Paulus, non modò ad Gamalielis pedes Mosaicam legem didicit, sed & se in illis versatū esse testatur. Nisi enim Epimenidis Cre-

*Niceph. Ec-  
clesiast. hist.  
lib. 10. cap.  
26.*

κρήτες αἰεὶ ψεύσαι, καὶ ἰηλεῖα, γαστέρες ἀργαί. *Ad Tit. 1.*

*Cres semper mendax, mala bellua, venter obesus.*

Vnde etiam hemistichium illud sumpsisset,

--τὸ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν.

*Act. 17.*

*Huius namque sumus genus:*

si Arati Astronomi φαινόμενα, hoc est de stellis apparentibus librum non attigisset? Sed & illud,

Φθείρασιν ἦθη χρηστὰ ὁμιλίαι κακαί.

*1. Cor. 15.*

*Studiis obest conuictus improbus bonis.*



fatis indicat eum in Eurypidis fabulis libenter  
 verfatum fuisse. Id quod itidem ante eum Sa-  
 lomon in eandem sententiam dixit. Quomo-  
 do ergo non etiam Poëtarum lectio Theolo-  
 gum iuuerit? Nec omnino Musicarum rerum  
 ignarum esse oportet, maximè ad Psalmorum  
 interpretationem, vt scias quid Psalterium,  
 decem chordæ, quid octo, quis cantorum or-  
 do, quis vocis, quis organi cantus, quis tympa-  
 ni, quis cistri: quis in ea re mos Ægyptiorum,  
 quis Iudæorum: quid saltando ludere ad instar  
 Dauidis, quid vociferando, quid alternatis ver-  
 sibus canendo. Necessariam esse Philosophiam  
 colligimus ex eo, quòd diuinam sapientiam  
 imitatur. Monet Augustinus à Philosophis,  
 vt ab iniustis possessoribus, repetenda arma no-  
 stra. Quis enim sine morali sapientia discurret  
 quid vitium, quid virtus? quid facultates ani-  
 mæ, quid liberum arbitrium, coactio, volun-  
 tas, memoria, intellectus, fatum, fortuna, a-  
 ctus, habitus, consilium, finis, sensus, concupi-  
 scentia, pars animalis & spiritualis? Quis sine  
 Physica dicet quid materia, forma, accidens,  
 natura, innatum quid & insitum? Quomodo  
 similitudines à rebus Physicis sumptas expli-  
 cabit? Quis sine Geometria dicet, vbi Eden:  
 quò tendant fluuij illi quatuor Tigris, Euphra-  
 tes, Geon & Phison: vbi Babylon, Chaldæa,  
 vbi Sennaar, terra Gigantum: quo appulit Ar-  
 ca Noë: vbi Sodoma, Bethel, Chanaan, Ægy-  
 ptus, Gesen? Denique mente tenere oportebit  
 locorum, vrbium, oppidorum, montium, fon-

Lib. 2. de  
 doctr. Chri-  
 stian. c. 40.

eium, fluminum, rupium, desertorum, eorum  
 etiam omnium descriptionem, ex quibus in-  
 telligatur peregrinatio Abrahæ, Iacob, Israël,  
 Moïsis, populi per solitudinem, distributio ter-  
 ræ possessionis, peregrinatio Christi & Pauli.  
 Quis denique sine Arithmetica exprimet quid  
 siclus, denarius, argenteus, talentum auri, ta-  
 lentum argenti: quod pretium constructionis  
 templi, vasorum, redemptionis pueri in purifi-  
 catione matris, venditionis Ioseph, & Christi?  
 quid ogdoas, quaternarius, millia millium? Sed  
 & multa sunt mystica in numero septenario,  
 denario, duodenario, quadragenario. Quis de-  
 mum sine Astrologia explicabit ea, quæ in scri-  
 pturis de Sole stante, regrediēte, de Lunæ cur-  
 su, Paschate, Arcturo, Orione, eclypsi, astro-  
 rum influxu, terræ motu, dæmonum præno-  
 tione, vrsa vtraque, de anno, mense, die, mo-  
 mento? Quis de planetis, stellarum casu, co-  
 metis, facibus, stella etiam illa quæ tribus Re-  
 gibus apparuit? Quis denique contra Gene-  
 thliacos sine iis omnibus differere poterit?

Quinetiam ad intelligenda sacra mysteria  
 habet scriptura suam phrasim, nec omninò ex  
 Grammaticæ regulis intelligitur. Habet æqui-  
 uocationes nominum, vt modò caro pro car-  
 nali intellectu, modò pro corpore, modò pro  
 toto homine sumatur. Homo aut interior, aut  
 exterior intelligitur: aliquando etiam per simi-  
 litudinem, homo paterfamilias Deus, homo  
 inimicus diabolus. Leo modò diabolus, mo-  
 dò Christum designat. Canes sunt Apostoli,

canes & hæretici, canes & ignavi pastores. Mundus nonnunquam diligendus, nonnunquam odio habendus, vt qui modò pro hominibus, modò pro affectionibus sumatur. Sic æquiocationes multæ sunt, etiam in verbis, Odisse seipsum, & Amare seipsum: amare carnem, & odisse carnem suam: Quòd Christus venit non pacem mittere, sed gladium: quod idem tamen pax nostra est, & pacem attulit mundo. Sed & spiritus modò pro Deo ipso, modò pro tertia in diuinis persona, modò pro vento, flatu, & re leuissima. Malum aliud culpæ, aliud pœnæ. Hæc & his similia nisi quis distinguere nouerit, quomodo non scripturæ sensum confundet? Sunt & varij tropi scripturarum. Aut enim mutis rebus loquentium personam imponit, vt doctè Gregorius Nanzanzenus obseruat, & Damascenus: vt, Mare vidit, & fugit: Iordanis conuersus est retrorsum: Quid est tibi mare quòd fugisti? & quod Fræmæ dicitur, Suscitare super pastorem meum. Neque verò parabolæ ad literam omnes sumendæ sunt, cum sit natura discrepantium rerum sub aliqua similitudine facta comparatio, vt ait Hieronymus. Discernere denique necesse est eas prædictiones, quæ in modum optantis sese habent, ne quid contra charitatem Prophetæ optasse dicantur: vt quoties legitur, Erubescant & confundantur omnes iniqua agentes. & Effunde iram tuam super gentes. & rursus, Impleatur sicut diploide confusione sua. Multa sunt etiam in scripturis, quæ

Gregor. lib. 4. Theolog. Damasc. de fid. orthod. lib. 2. ca. 6. Psal. 113.

In Marc. cap. 4.

Aug. in Psal. 78.

in contrariam partem accipiuntur: vt fermentum Phariseorum, à quo cauendum monet Christus: & fermentum, quod abscondit mulier in tribus mensuris farinae, donec fermentaretur totum, cui quidem assimilatur regnum cælorum: Multa, quæ secundum vulgi opinionem, non iuxta rei veritatem, teste Hieronymo: vt quòd apud Hieremiam Ananias Propheta dicitur, nimirum qui talis esse putabatur: & Ioseph pater Domini nuncupatur, licet Christus ex sanctissima matre virgine natus sit. Multa per recapitulationem, quæ licet prius facta sint, posterius tamen facta esse videntur: vt quæ de vnctione in Bethania facta inter Cœnæ mysteria narrantur. Multa etiam per allegoriam dicuntur, quæ secundum literam perfectè explicari non possunt: multa denique per tropologiam. Eusebius Cæsariensis ex Aristæo narrat Eleazarum Pontificem à legatis Ptolemæi interrogatum, cur Deus quædam animæ immunda designet: respondisse, Significationis causa id factum est, vt per volucres rapaces, rapacitatem fugiendam moneret: sed & vngulæ diuisionem, actionum diuisionem conotare. Retulit & ea quæ Deo tribuuntur, manus, pedes, os, ad altiorem & spiritualem sensum. Si enim altior illa interpretatio locum non haberet, carnes immundas esse Manichæi censebunt: & Anthropomorphitæ, quales olim ex simplicioribus Heremitis, Deum corporalem esse putabunt. Difficillimæ igitur sunt scripturæ. Hoc etiam ipse Petrus de Pauli epi-

Aug. lib. 3. de doctr. Christ. cap. 25.

In ca. Hierem. 28.

Aug. lib. 20. de ciuit. Dei. ca. 14.

Lib. 4. de præpar. Euang. ca. 3.

2. Pet. 3.

1. Expositio-  
ne 2. in E-  
saiam.

Stolis iudicium tulit. Charissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit, sicut & in omnibus epistolis: in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles deprauant, sicut & cæteras scripturas, ad suam ipsorum perditionem. Voluit autem Deus obscuritatem scripturis inesse (teste Basilio) ut mens his occupata, à deterioribus auocetur, & magis illa nos moueat, cum quæ maiore labore comparata sunt, magis amentur: negligitur enim rerum obuiarum copia. Accedit & ad eam necessaria vitæ puritas, assidua demum exercitatio. Sic enim Moses prius XL. annis scientia Ægyptiorum imbutus, aliis quadraginta annis in solitudine & pastorem agebat, & Dei visione fruebatur. Sed & Heliam obserua, post quantos secessus, quietem sudores & ieiunia, meruit audire Deum in spelunca. Quid tu ergo tibi tam facile cessuram totius scripturæ interpretationem putas? Mystica sunt ferè omnia & abdita, nec nisi spiritu ductore apprehenduntur.

*Quòd in sinistram sensum scripturæ ab infidelibus detorquentur: unde nec Iudæis, nec hæreticis, sed soli Catholice Ecclesie, id est, traditioni, & sanctissimorum Patrum interpretationi, hac in parte credendum est.*

DIGNA



**D**IGNA prorsus Apellis sententia, Ne futor ultra crepidam. Quemadmodum enim de tractibus, liniamentis, iisque omnibus quæ ad picturam faciunt, futor iudicium facere non potest: ita neq; scripturarum cognitionem sibi vendicare. Difficultatem enim omnem non picturæ, sed & omnium artium superat, quicquid in his abstrusum & inuolutum est. Quid ergo, dixerit aliquis? Si tanta est illarum difficultas, quomodo simplicium fides commendabitur, qui hoc vnum sciunt, quòd nihil sciant, qui solùm intelligunt Iesum Christum, & hunc crucifixum? Hoc sane: stat enim fides cum ignorantia (ut diximus) cum etiam impossibile sit nos omnia intelligere quæ de Deo dici possunt. Sed nec omnibus scripturarum cognitio necessaria est. His incumbit autem ex munere quorum est & instruere, & confessionem illam nostræ fidei viua voce confirmare. Probat hoc Augustinus in sua ad Volusianum epistola. Tanta est (inquit) Christianarum literarum profunditas, ut in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia vsque ad decrepitam senectutem maximo otio, summo studio, meliore ingenio conarer addiscere. Non quòd ad ea quæ necessaria sunt salutari, tanta perueniatur difficultate: sed cum quisque fidem ibi tenuerit, sine qua piè rectèque non viuitur, tam multa, tamque multiplicibus mysteriorum vocabulis & umbraculis opaca intelli-

*Epist. 3. ad  
Volusianum.*

genda proficientibus restant: tantaque non solum in verbis, quibus ista dicta sunt, verum etiam in rebus quae intelligendae sunt, latet altitudo sapientiae, ut annosissimis, acutissimis, fragrantissimis cupiditate discendi hoc contingat, quod eadem scriptura quodam loco habet, ut cum consummauerit homo, tunc incipiat. Sufficit quidem symbolum, eaque quae ad catechesim faciunt, ad formandam in nobis fidem: multa vero ad interpretationem scripturarum requiruntur. Peccant tamen hic aliter atque aliter haeretici. Sunt enim qui omnem interpretationem excludant, sunt qui admittunt: ita tamen ut omnia semper incerta sint, donec id quisque habeat, quod suae opinioni consentaneum videatur: ex quo fit, ut nullam quae in Ecclesia Catholica est, ratam interpretationem agnoscant. Priores quidem illi obiectant, Dei verbo nec addendum, nec diminuendum esse: Corninari scilicet in Apocalypsi Ioannis sponsum Ecclesiae Christum, quod si quis apposuerit ad haec, apponet & super illum Deus plagas scriptas in libro isto: & si quis diminuerit de verbis Prophetiae huius, auferet partem eius de libro vitae. Interpretationes autem dari non posse contendunt, nisi aliquid adiciatur: Itaque facile consequi, nec ipsas admittendas esse. quasi vero sic Deus prohibuerit adicere aliquid scripturis, ut omnes scripturas excluderet. Prohibentur quidem additiones illae, quae verbum deprauant, quae difformes sunt, & a vero

*Quomodo  
nihil ad-  
dendum, aut  
minuendum.*

scripturae sensu alienae: prohibet & aliquid minuere eorum quae vim habent, & quibus sublati, ipse sensus etiam subuertitur. At vero interpretationes addunt quidem dictioni, sed non intellectui: sensum enim eorum quae compendiose & paucis verbis dicta sunt, paulo vberioribus explicant. Sic enim Christus parabolam seminis interpretatus est: idem ipse Danielis Prophetiam de abominatione quae in loco sancto constituenda est, pluribus verbis differuit. Cumque breuiter dixisset, non iis inquirentibus quae os ingrediuntur, requirentibus discipulis ut parabolam hanc ediffereret, interpretationem adiecit. Quis vero sine interpretatione conciliauerit ea, quae in sacris Bibliis sibi aduersari videntur? Prohibet enim Deus omnem similitudinem, idem tamen iubet Cherubin ex auro super arcam eleuari. Prohibet adulterium & fornicationem, & iubet tamen Osee mulierem fornicariam accipere, & facere sibi filios fornicationis. Vetat aliquid quod alterius sit concupiscere, qui tamen iussit spoliari Aegyptios. Quomodo denique conciliabuntur illa Christi verba, Non veni nisi ad oves quae perierunt domus Israel: &, Alias oves habeo, quae non sunt de hoc ouili, quas simul oportet me adducere, ut fiat vnus pastor & vnum ouile? Quomodo istud, Caro non prodest quicquam: &, Caro mea verè est cibus: qui manducat meam carnem, habet vitam aeternam? Et istud, Pater maior me est: &, Ego & pater vnus sumus? Sicut pater suscitatur

*Interpretatio necessaria.*

mortuos, & viuificat, sic & filius quos vult, viuificat. Et vnde, quæso, enatae sunt hæreses, nisi quòd aliam quàm Ecclesiæ interpretationem admitterent? Quomodo verò quis sensum illorum sine interprete adipiscetur, quæ leguntur, Homines & iumenta saluabis, Domine: & vnus hominis & iumentorum est interitus? Et rursus, Qui non habet, etiam quòd habet, auferetur ab eo: & facite vobis amicos de mammona iniquitatis. Istud etiam, Beati qui se castrauerunt propter regnum cœlorum. Ex his enim malè, imò secundum literam intellectis, multa schismata emanarunt: vt ille salutem brutis & hominis communem, hic animæ cum corpore interitum, alius rerum omnium communitatem detestabilem assereret. Ex eo etiam quòd legimus, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo, Cherintiani carnales epulas, nectar & ambrosiam in illa beatorum requie somniarunt. Valdo verò, vir ignarus, cum legisset facilius esse camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum Dei: diuites omnino à beatitudine excludi censuit. Carolstadius hæc Domini verba, In sudore vultus tui vesceris pane tuo, ad solùm corporalem laborem transtulit, vt ei exprobrat Lutherus: quasi maior aliquis labor sit, quàm mentis. Hinc enim Mineruam à minuendis viribus nonnulli dictam esse volunt. Ad eorum omnium certam decisionem interpretatio necessaria est, quæ velut præstantissimum antido-

*Guaguinus  
lib. 6. An.  
malum.*

*Lutherus in  
Gen. cap. 3.*

tum opposita hereticorum commenta eludat. Eapropter Paulus inter dona spiritus, interpretationes recensuit. Ait enim: Alij quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, alij autem *1. Cor. 12.* sermo scientiæ secundum spiritum, alteri fides in eodem spiritu, alij gratia sanitarum, alij operatio virtutum, alij Prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum. Et quibusdam interiectis, interpretationem inter ea enumerat, quæ ad Ecclesiæ ædificationem conferunt. Cum enim conuenitis in Ecclesiam (inquit) vnusquisque *1. Cor. 14.* vestrum psalmum habet, doctrinam habet, Apocalypsim habet, linguam habet, interpretationem habet: omnia ad ædificationem fiant. Num etiam hanc necessariam esse Christus docuit, cum post resurrectionem infirmis duobus discipulis, in ipsa via interpretabatur in omnibus scripturis quæ de ipso erant? Cum aperuit illis sensum, vt intelligerent scripturas? Nam interpretatione opus fuisse, eaque à Spiritu sancto, satis colligimus ex his quæ consecuta sunt, postquàm Spiritum sanctum acceperunt. Erat enim ille omnium eorum interpres, quæ à Christo audierant, qui & docere, & suggerere eis omnia debebat, quæcunque Christus dicturus esset. Audierant quidem antea Christum dicentem, Soluite templum hoc, & tribus diebus excitabo illud: & rursus, Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Erant autem hæc omnia ab eis abscondita, donec Christus à mortuis resurrexisset, & inter-

pretem audiissent. Iam si quis templum corpus vocet mutabit quidem vocem, non aliò tamen sensum transferet à potiore significato: nec addere quid, aut minuere dicitur. Ex his manifestum est, quàm sint necessariè interpretationes, cum sine his non intelligatur scriptura.

Sunt verò & alij, qui interpretationem admittunt, vt interim nihil ratum in vna Ecclesia requirant, sed omnia ventilent, & in questionem reuocent, donec eos in aliquam partem sua traxerit opinio. Scribit Tertullianus *Tertull. lib. de prescrip.* olim fuisse, qui semper quærendum censeret: quod scriptum sit, Quærite, & inuenietis. At verò (inquit) ratio dicti huius in tribus articulis consistit, in re, in tempore, in modo. In re, quid quærendum quod Christus instituit: In tempore, quando, quousq; inuenis: tum autem inuenisti, cum credidisti. Tum desines quærere. Nemo enim quærît, nisi qui aut nò habuit, aut perdidit. Mulier inuêta drachma quærere desit, pastor oue reperta, homo à vicino accepto pane, vidua à iudice. Modus autè in humilitate & docilitate consistit, vt ne quis altum sapiat, sed timeat. At qui peruertuntur hæc ab hæreticis. Nec enim suo modo quærunt, cum ipsi ferre sententiam volunt antequàm didicerint. Omnes tument, antè perfecti catechumeni, quàm edocti. Ipsæ mulieres procaces audent contendere, & exorcismos agere. Sed neque quærunt quousque inuenerint, cum inuêta & decisa excludant, & omnia contemnunt quæ ad certam & indubiam interpretationem faciunt.

Sed & vbi erit finis quærendi, cum numquam inueneris? Apud Marcionem? Ipse verò ait, Quærite & inuenietis. Apud Valentinum? Sed & ipse idem, idem Apelles, Ebion, Cherinthus & omnes ex ordine hæretici. Omnia sunt apud eos perplexa & incerta, cum ibi in suis conciliabulis quærât veritatè, vbi ipsa non est, sed in vna tantum Catholica Ecclesia. Quod enim semel amplexantur, statim reiiciunt, & in dies singulos fidem suam mutât, vtiq; pro varietate opinionum suarum. Quin & omnia omnium iudicio remittunt, quasi non Dei verbo, sed hominum fantasias vera fides innitatur. Augustinus in ipso initio libri de vtilitate credendi, iis irritamentis se à Manichæis seductum narrat. Quid aliud (ait) me cogebat annis nouem ferè sprete religione, quæ mihi puerulo à parentibus insita erat, homines illos Manichæos sequi, ac diligenter audire, nisi quod superstitione terreri, & fidem ante rationem imperari dicerent: se autè nullum premere ad fidem, nisi prius discussa & enodata veritate? Quis enim non his pollicitationibus illiceretur, præsertim adolescentis animus cupidus veri, superbus & garrulus? Atqui me tantum in auditorum gradu tenebam, quia ipsos animaduertebam plus in aliis refellendis disertos, quàm in suis probandis firmos & certos manere. Reuertar ad exhortationem Tertulliani. Vbi ergo quæri oportet? Apud hæreticos? Vbi omnia extranea & aduersaria veritati, ad quos vetamur accedere. Quis seruus cibaria ab extraneo, ne dicam ab inimico Domini sui sperat?

*Augustinus olim Manich.*

Quis miles ab infœderatis, ne dicā ab hostibus regibus, donatium & stipendium captat, nisi planè defertor, & transfuga, & rebellis? Etiam anus illa intra tectū suū drachmā requirebat, & pulsator ille vicini ianuā tundeat: etiā vidua illa, non inimicū, licet durū iudicē, interpellabat. Nemo inde strui potest, vnde destruitur: nemo ab eo illuminatur, à quo cōtenebratur. Iubet Christus, vt qui Ecclesiā nō audierit, sit nobis tanquā Ethnicus & publicanus. Præcipit Paulus, vt hereticū hominē post primam & secūdam admonitionem deuitemus. Prohibet Ioānes, ne Aue ei dicamus, ne tandē participemus operibus illius malignis. Quāto magis vetant, ne ab eis scripturę interpretationē, & eorū quę fidei sunt, doctrinā expectemus? Qui enim dubius est, quomodo alios cōfirmare poterit? & qui opinionem statuit, quomodo fidē ipsorū etiā septuaginta virorū traductio, qui à Ptolomæo vocati sunt, vt sacros scripturę libros in linguā Græcam verterēt, non omninò tuta, quòd illi ab Ecclesia Catholica discreparēt. Illi enim nescio qua malignitate, ne Christo diuinitatem deferrent, multa suppresserunt: plurima etiam aliter traduxerunt, quę Christū Deum esse testabantur. Atq; vt ex vno multa aliā colligamus, hoc intueri licet in traditione Hieremię Prophetę, vbi hæc de Christo dicuntur: Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & suscitabo David germen iustum, & sapiēs erit, & faciet iudicium & iustitiam in terra. In diebus illis saluabitur Iuda, & Israël ha-

Septuaginta interpretes multa suppresserunt.

Cap. 23.

bitabit confidenter, & hoc est nomen quo vocabunt eum, Dominus iustus noster. Vbi enim legimus, Dominus iustus noster, textus Hebraicus habet יהוה צדקנו Iehoua tsidkenu: vbi magnum & tremendum illud nomen tetragrammaton, quod soli Deo in scripturis conuenit, & vt ipsi norunt & fatentur Iudæi, Septuaginta supprimunt, cū illud Pontifici Iosedek deferant. sic enim vertunt Καλέσθαι αὐτὸν Κύριος Ἰωσεδεκ, Vocabit eum Dominus Iosedek. Et quomodo, quæso, Iosedek nomen illud Iehoua conuenire possit, quod propter maiestatem Iudæi ne quidem pronuntiare audēt, sed illius loco proferunt Adonai. Denique non habet cōtextus ille Iosedek, sed Tsidkenu: quod Symmachus melius vertit, Iustificas nos. Adde quòd (vt scribit Eusebius) Iosedek sacerdos, non de genere David, seu Iudæa, sed Læui descendit: cū hīc tamen de germine iusto Davidis differatur: neque etiam Iosedek Rex fuit simul & sacerdos. Frequens est talis scripturę deprauatio per omnem Septuaginta translationem, vbi occurrit Christi Iesu diuinitatis præconiū. Id cū Iudæis profertur, & illi ex receptissima Hebraici sermonis litera constringuntur, prudenti factum esse consilio dicunt, ne Ptolomæus vnus Dei cultor, etiam apud Hebræos duos deos deprehēderet. Eodem planè modo, vbi quid de summa Trinitate explicatius est, aut omninò tacuerunt, aut aliter interpretati sunt, vt suę perfidię & regi satisfacerent. Hieronymus præfa-

Lib. 7. Demonstratio Cap. 9.

tionem suam in Pentateuchum, multa ab Euangelistis allegari monet, quæ omninò supprimuntur, non solum à Septuaginta, sed & à Theodotione: ut est istud Osee, ex Aegypto vocavi filium meum: istud Esaie, Nazareus vocabitur: istud Zacharie, videbunt in quem transierunt, id Prouerbiorum, flumina de ventre eius fluunt aquæ viuæ: id etiam Esaie, Nec oculus vidit, nec auris audiuit, &c. Atqui (ut notat Eusebius) cum legerentur illa quæ Septuaginta in unum contulerant, maledictio pronuntiata est in eos qui aliquid his adderent aut minuerent. Vbi igitur securitas, si ne quidem omnia fideliter Septuaginta traduxerunt: nisi in vna eaque Catholica Ecclesia? Prius enim proponi oportet, quibus comperat fides ipsa, cuius sunt scripturæ: à quo, per quos, & quando, & quibus sit tradita disciplina, qua fiunt Christiani, inquit Tertullianus. Si enim hæretici sunt, Christiani esse non possunt: ita nullum ius capiunt Christianarum literarum. Ad quos meritò dicendum est, Qui estis? Quando, & vnde venistis? Quid in meo agitis, non mei? Quo denique, Marcion, iure syluam meam cædis? Qua licentia, Valentine, fontes meos trahertis? Qua potestate, Apelles, limites meos commoues? Mea est possessio. Quid hic cætera ad voluntatem vestram feminatis & pascitis? Olim possideo: prior possideo. Habeo origines firmas ab ipsis authoribus, quorum fuit res. Ego sum hæres Apostolorum. Sicut cauerunt testamento suo, sicut fidei commiserunt,

*Non est fidentia hæreticis in interpretatione.*

sicut adiurauerunt, ita teneo. Vos certè exheredauerunt semper, & abdicauerunt, ut extraneos & inimicos. Deprauant enim illi & corrumpunt ipsum Patrum testamentum, seque degeneres filios ostendunt. Reicienda est ergo omnis interpretatio, quæ à corruptoribus illis profluit, cum non vno eodemque sensu eam vniuersi accipiant, sed eiusdem eloquia aliter atque aliter alius atque alius interpretetur, (ait Vincentius Lirinensis) ut penè quot homines sunt, tot illinc sententiæ erui posse videantur. Aliter enim illam Nouatianus, aliter Photinus, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit: aliter Arius, Eunomius, Macedonius, aliter Apollinaris, Priscillianus, aliter Iovinianus; Pelagius, Celestius, aliter postremò Nestorius. Atque idcirco multum necesse est propter tantos tam varij erroris anfractus, ut Prophetiæ & Apostolice interpretationis linea, secundum Catholici & Ecclesiastici sensus normam dirigatur. In ipsa item Catholica Ecclesia magnoperè curandum est, ut id teneamus quod vbiq; quod semper, quod ab omnibus creditum est. Hoc est enim verè proprièque Catholicum, quod ipsa vis nominis, ratioque declarat, quæ omnia verè vniuersaliter comprehendit. Sed hoc ita demum sit, si sequamur vniuersitatem, antiquitatem, consensionem. Sequemur autem vniuersitatem hoc modo, si ab his sensibus nulla tenus recedamus, quos Sanctos maiores ac Patres celebrasse manifestum est. Consensionem quo-



que itidem, si in ipsa verustate, omnium, vel rectè penè omnium sacerdotum, pariter & magistrorum, definitiones sententiasque sectemur. Hæc Vincentius. Iam cum ad Ecclesiæ interpretationem & sensum recurrendum sit, traditionis quoque auctoritatem amplecti oportebit: ut quæ non modo scripturæ intelligendæ sint, annuntiat, sed & ipsas scripturas discernit, easque confirmat, quæ ad Christianum canonem necessariae sunt. Itaque simul cum verbo scripto verbum quoque traditum admitti oportebit.

*De verbo tradito, quodque non soli scripto adherendum est, ne fidei fiat iniuria.*

**I**N rebus civilibus, non scripto, tantum, sed & usu, consuetudine, & quandoque Principis voluntate res sancuntur. Tum verò maximè consuetudo pro lege suscipitur, cum deficit lex. Tanta est autem vis consuetudinis & traditionis, ut etiã scriptas leges commendet. Ex quo efficitur, ut non eas leges omnis probet natio, sed has solùm quas traditio reliquerit, & consuetudo confirmarit. Alias enim leges dederunt Indis Gymnosophistæ, alias sacerdotes Ægyptiis, Chaldei Babyloniis, Moses & Prophetæ Iudæis, Magi Persis, Druidæ Gallis, Sapietes Græcis, Papirius & Appius Claudius Romanis. Hanc Gætium varietatem confirmat Eusebius, etiam ex Bardesane Phi-

*Tertul. lib.  
De coron.  
milit.*

*Lib. 5. De  
prepar. E-  
uang. cap. 8*

losopho Chaldæorum sapientissimo, in dialogo quem sciscitantibus amicis composuisse fertur: quòd alia sit Scythum, alia Brachmanum, alia Getulorum & Ægyptiorum lex & sanctio: sic enim dixerimus aliam legem Salicam in successione prolis regiæ, aliam quæ ab aliis obseruetur. Alia item decerni in ratione dotium contractuum, testamentorum: quæ omnia maximè è traditione & consuetudine auctoritatem ducant. Tertullianus hoc è rebus civilibus ad diuinas argumētum traducit, ut si quid fortè in his dubium & perplexū videatur, nec satis è sacra scriptura decisum, protinus ad traditionem & consuetudinem recurras, ut ipsa demùm scripturam interpretetur. Cum enim fides ex auditu sit, ut scribit Paulus: profectò nec satis est ea quæ scripta sunt legere, si desit instructio & interpretatio docentis, quæ per auditum suscipitur. Nec enim à sola scriptura Christus testimonium accepit, sed à patre. Pater meus (inquit) testimonium perhibet de me. Ab operibus, cum diceret, Opera quæ ego facio, ipsa testimonium perhibent de me. A patre etiam & Deo afflatis hominibus, quorum voce voci credendum monuit: ut & Ioanni, qui erat vox clamantis in deserto. Vos misistis ad Ioannem (inquit) & ille testimonium perhibuit veritati. Ego quidem opus non habeo hominum testimonio, sed hoc dico ut salui sitis. Et quidem cum Apostolos in vniuersum orbem mitteret, non illis iniunxit ut scriberent, sed ut prædicarent. Non enim ait, Ite, scribite, sed, Ite, & præ-

1.

2.

3.

4.

dicat: ut ad viuam vocem nostræ fidei instructionem remitteret. Nec quoque ipse nisi semel scripsisse legitur, cum ad eum mulier in adulterio deprehensa adducta est: qui si tam necessariam scripturam duxisset, ut nihil præter eam nostræ fidei reliquum sit: non dubiū quin & multa scripturus esset, idemq; fieri ab Apostolis voluisset. Quid enim (inquit Ireneus) si nihil Apostoli scripsissent, an non sequi oportuisset ordinem traditionis? Neq; verò ad scripturas prouocandum erit, (ait Tertullianus) neque in his instituendum certamen, quibus aut nulla, aut incerta victoria, aut parum certa, cum eam omnes sibi arrogent hæretici: sed quærendum, quibus sit tradita disciplina qua sunt Christiani. Traditione igitur eludi oportet omnia, quæ in deprauatum sensum carnales homines detorserunt: deueniendum est ad terminos, quos posuerunt Patres nostri, & per successiones Catholicorum Ecclesiæ Patrum vera interpretatio confirmanda est. Hoc Basiliius probat, ad traditiones reuocans eas ceremonias, quæ in baptisate sūt, adorationem ad Orientem, & signum crucis: quod Ecclesiæ dogmata partim scripto, partim traditione consistant. Nam (inquit) si consuetudines, quæ non sunt scripto proditæ, tanquam haud multum habentes momenti, reiicere conemur, imprudentes & ea damnabimus, quæ in Euangelio necessaria ad salutem habentur: immò potius ipsam fidei prædicationem ad nudum nomen contrahemus. Eapropter Epiphanius ex-

*Iren. lib. 3.  
Tertullianus. Lib.  
de præscri.*

*Lib. De Spi-  
ritu. cap. 27.*

clamat in Aërianos. Quis poterit statutum matris dissoluere, aut legem patris? Nam & Salomon ait, Audi fili mi sermones patris tui, & ne repudies statuta matris tuæ. Ostendens per hoc, quod & in scriptis & sine scripto docuit Deus. Mater enim nostra Ecclesia habet in se statuta posita, quæ dissolui nō possunt. Et contra Apostolicos: Oportet (inquit) & traditione uti: non enim omnia à diuina scriptura accipi possunt. Quapropter nonnulla scripturis, nonnulla traditioni sancti Apostoli commiserunt: quemadmodum dicit Apostolus, Sicut tradidi vobis. & alibi, Sic doceo, & sic tradidi Ecclesiis. Ireneus verò in anguim morem lubricos hæreticos depingit, ut qui cum se scripturarū autoritate constringi viderint, prouocent ad traditionem: cum traditione premuntur, ad scripturam appellent. Modò enim scripturas reiiciunt (ait) quasi non rectè habeant, neque sint ex autoritate, & quia variæ sint dicte, & quia non possit inueniri veritas ab his qui nesciāt traditionem. Non enim per literas traditam illam, sed per viuam vocem. Vnde & Paulus dixerit, Sapientiam loquimur inter perfectos, sapientiam autem non huius mundi. Et hanc vnusquisque esse dicit, quam à seipso inuenit fictionem. Cum autem iterum ad traditionem, quæ ab Apostolis per successiones Presbyterorum in Ecclesiis custoditur, prouocamus eos qui aduersantur traditioni: dicunt se non solum Presbyteris, sed etiam Apostolis sapientiores, sinceram inuenisse ve-

*Hæres. 75.  
Aërij.*

*Hæres. 61.*

*I. Cor. II.*

*I. Cor. 14.*

*Lib. 3. in  
Valent.*

*Cap. 2.*

ritatem. Sic omnia quæ Ecclesiæ sunt, peruer-  
tunt, vt sua astruant. Sic & scripturas, & ipsam  
traditionem condemnant. Verum, inquit,  
*Obiectio he-  
reticorum  
contra tra-  
ditiones.* sine causa, inquit Propheta & ipse Christus,  
colunt me, docentes mandata hominum. Re-  
ctè sanè. Nec enim illas, aut scripturas, aut tra-  
ditiones amplectimur, quæ ab hominibus vt  
hominibus profectæ sunt, sed ab his vt Deo af-  
flatis. Vt enim sufficientes non sumus cogitare  
aliquid ex nobis quasi ex nobis, sed sufficien-  
tia nostra ex Deo est, ita sufficientia illorum à  
Deo fuit. Idem scilicet argumentum in scri-  
pturas militaret, quod & in traditiones: cum  
& hæ & illæ hominum ministerio, aut scripto,  
aut viua voce relictæ sint: non tamen ex ho-  
minum opinione, sed Dei sententia, qui suam  
semper dirigit Ecclesiam. Eam ob rem Deus  
ad maiores vt afflatus suo spiritu, homines ta-  
*Dent. 32.* men, nos remittit, cum ait Moses: Interroga  
patrem tuum, & annuntiabit tibi: maiores  
*Eccles. 8.* tuos, & dicent tibi. Et Ecclesiastes, Non te præ-  
tereat narratio seniorum: ipsi enim didicerunt  
à patribus suis, quoniam ab ipsis discas intel-  
*Hierem. 6.* lectum. Ne transgrediaris terminos quos po-  
suerunt patres tui. Et apud Hieremiam, State  
super vias vestras, & videte, & interrogate de  
semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate  
in ea, & inuenietis requiem animabus vestris.  
Quin etiam Paulus, non modò quæ ipse Spiri-  
tu sancto dictante scripsit, sed & quæ tradidit,  
*2. Thes. 2.* frequentissimè commendat: vt ad Thessalo-  
nicenses, State, & tenete traditiones quas didi-  
cistis,

cistis, siue per sermonè, siue per epistolâ, & ad  
Corinthios scribès Vos estis epistola mea, scri-  
*2. Cor. 3.* pta non atramèto, sed in tabulis cordis carna-  
libus: quòd multa illi mente retinerèt, quæ ta-  
men atramèto minimè descripsissent. & ad Ti-  
motheū, O Timothee, depositū custodi: quòd  
*1. Timot. 6.* magna illi mysteria concredita essent, quæ ille  
magno silètio, nisi cum edificatio Ecclesiæ po-  
*1. Cor. II.* stularret, custodire deberet. Et rursus Corin-  
thios ad cōsuetudinè reuocat, dicès, Si quis vi-  
detur cōtentiosus esse, nos talè cōsuetudinem  
non habemus, neq; Ecclesia Dei. Ioānes quoq;  
*1. Ioan. 2.* Apostolorū, qui scripserūt postremus, ad audi-  
tum suos prouocat, cum ait: Antichristi multi  
sunt, vos autè quod audistis ab initio, in vobis  
permaneat. Quomodo doctrina Christiana  
mysteriū fidei diceretur, nisi à secreta illa tradi-  
tione, quæ à Patrib. ì nos dimanauit? Monet &  
Apostolus omnia fieri suo ordine. Quæro igitur  
quis futurus sit ordo, siue in politia Eccle-  
siastica, siue in sacramentorū administratione,  
nisi traditio ea cōmēdet? Quis verò concētus,  
quæ tandè Ecclesiæ supererit harmonia, si cui-  
que liberū sit quomodo velit facere, & nō hic  
ordo cōmuni voto & traditione Ecclesiæ con-  
firmetur? Sic enim Paulus, quæ ad Cœnam do-  
minicā reliqua essent, ad viuā vocē remisit, cō-  
cludens ea quæ dixerat, his verbis: Ego cœtera  
cum venero, disponā. Vbi enim tandem ipse de  
cœna scripsisse legitur, cum tamè de ea paucis  
tres Euāgelistæ disseruissent? Mystica hæc & se-  
*Aug. ep. ad Iannarium.* creta erant, quæ (vt scribit Iustinus) nemini li-  
*Iust. in apol. pro christia-  
nis.*

Lib. 5. hist.  
Eccles.  
Cap. 10.

cebat euulgare? Maiora itaq; & digniora silētio cōmissa sunt, & eorū per manus tradita est disciplina. Ex quo factū est, vt cū Arianos, Donatistas, Nouatianos, & præcipuos veritatis hostes profligaret Ecclesia, ad traditiones & Patrum interpretationes eos prouocaret. Hoc olim Sisinnij consilio Theodosius obseruauit. Nā, vt scribit Socrates, cū cuiusq; sectę Principes Imperatorē cōuenissent, vt cuique libera esset omnia: ille Episcopo Nectario accersito, sermonē cū eo cōtulit, quia tādē ratione Christiana religio tot discordiis liberari posset, & Ecclesia ad cōcordiā reduci: dicebat vero controuersia, quę Ecclesias diremerat accuratē excuti debere, vt dissensione penitus sublata, cōcordia in Ecclesiis constitueretur. Quod cū Nectarius audiuiisset, anxio & perplexo animo fuit, atq; Agelio Nouatianorū Episcopo mētē Imperatoris aperuit, qui Sisinnii suę Ecclesię lectorem ad differēdi munus designauit. Sisinnius ergo vir imprimis disertus, rerum vsu peritus, in literis sacris explicandis accuratē eruditus, & disciplinis Philosophorum eximius, quoniā exploratū habebat disceptationes non solum non reconciliare schismata, sed hæreticos præterea ad contentionem magis accendere: idcirco tale consilium Nectario dedit, vt concertationes dialecticas vitaret, testesque adhiberet formulas fidei à veteribus editas, efficeretque vt hæreticorum principes ab imperatore rogarentur, vtrum aliquam rationem ducerent illorum doctorum, qui ante di-

uisionem probè Ecclesiā temperassent, an eos tanquā à religione Christiana alienos reiiciāt. Quod si eos ablegent, eisdem etiam anathema denūtiare audacter aggrediātur: ac si illud aggredi audeant, certè à multitudine ipsi expellerentur. Quo confecto, veritatem vicissè, manifestè constabit: sin veteres doctores minimè reiiciunt, nostrum erit eorum libros proferre, quorum testimoniis nostra confirmatur opinio. Hoc cōsilium non modò Nectarius, sed & Imperator probauit, & eo effecit, vt tumultuosis hæreticis silentium imponeret. Cū enim omnes scripturas producāt, non in scripturarum verbis, sed sensu, in interpretatione, & in traditione doctrinæ quæstio versabitur. Ergo cōtra Arianos Homouision maximè traditione & interpretationibus Patrum confirmabatur: contra Macedonianos & Maximinum, adoratio Spiritus sancti. Augustinus hanc Maximini *Lib. 3. cōtra* fuisse obiectionem scribit: Da testimonia vbi *Maximini* adoratur Spiritus sanctus. Respondet autem *Cap. 3.* Augustinus, Quasi verò non ex iis quæ legimus, aliqua etiam quæ non legimus, intelligamus. Sed ne quærere multa compellar. Tu vbi *Lib. 4. con-* legisti patrem Deum ingenitum vel innatum? *tra Donati-* & tamē verum est. Idem cōtra Donatistas *bas. De ba-* baptisma paruulorum traditione defendi dicit. *ptis. cap. 23.* Si quisquam enim hac in re diuinā auctoritatē *de gen.* quærat, quanquā hoc quod vniuersa tenet Ec- *ad lit. lib.* clesia, nec conciliis institutum, sed semper re- *10. cap. 23.* tentū est: attamē nō nisi auctoritate Apostoli- *Catech. 5. 11* ca traditū rectissimè creditur. Proinde Cyril- *luminatoris*

lus Hierosolymitanus cum fidei species, & eius energiam assignasset, quod sine traditionibus illa minime consistat, etiam hoc concludit: Videte itaque, fratres, ut seruetis traditiones quas nunc accepistis, ne quando vacillantes aliquis inimicus dissoluat, ne quis hereticus ex his quae tradita sunt, aliquid euertat. Ex his enim caetera confirmantur, quibus sublatis, & reliqua minime stare necesse est.

*Quod hi qui traditionis auctoritatem negant, tollunt etiam scripturas: Quodque verbo scripto ablato non statim tollitur fides, cum tamen verbo tradito sublato, illa decidat, cum etiam praecipua mysteria traditioni commendentur. Vbi de Symbolo Apostolorum.*



**N**EFELICI hoc nostro seculo, quo omnia cuique licere videntur, sunt qui nihil se credere dicunt, quod non expressis verbis scriptum ostendatur: sed dum id faciunt, tanto maiorem honorem & fidem scripturae deferre putant, quanto illam omnia quae ad salutem necessaria sunt, expresse pronuntiare arbitrantur. Sic vero omnes traditiones reiiciunt, hoc semper in ore habentes, Vbi scriptum est? Profer expressa verba, quae tempus, locum, ordinem, omnes denique facti aut rei alicuius circumstantias designant. At vero miseri hac in parte se delirare minime vident, cum tanto scripturas

deprimant & abiiciant, quanto illas se magnificere putant. Quid enim? Si tu omnes traditiones abiiceris, & hoc solum quod expresse scriptum sit, credas: quid huic respondebis, qui omnes scripturas negauerit? qui illas a Spiritu sancto esse, illas editas ab his quorum nomine emittuntur, inficiabitur? Nimirum olim haec quaestio ventilata fuit, cum ut diximus, Gnostici, Manichaei, Nazarei, alij denique heretici, alia Euangelia etiam nomine alicuius apostolorum supponerent. Vnde quaeso illa explosa sunt, & ista admittunt? Non enim negat scriptura Thomam scripsisse: sed nec ullus alius expresse dicit Matthaeum aut Marcum illa edidisse, quae eorum nomine euulgantur. Sola ergo traditio sola Ecclesia hanc litem dirimet, & scripturae auctoritatem confirmabit. Eorum enim librorum, quos pro canonicis agnoscit Ecclesia, alij praefixa aut annexa habent scriptorum nomina: ut Visiones Prophetarum, Epistolae Apostolorum: alij prorsus eos tacent. Nam ipse etiam Moses, qui quinque primos libros omnium primus scripsit, ubi eos se scripsisse testatur? Et tamen hi non modo synagogae, sed & Ecclesiae Christianae tam necessarii sunt, ut qui Mosis auctoritatem sustulerit, de caeteris etiam idem fecisse credatur: cum dicat Christus, Si Mosi crederetis, crederetis utique; & mihi de me enim hic praedixit. Si quis ergo Manicheus de libris illis differat, ad quas scripturas prouocabimur? Si obiciat, Ecquis illum de Moyse certum reddat, cum ante tot secula mortuus sit? Quis atte-

2. Paralip. 34.  
 stetur nõ esse suppositum illũ librum eius nomine, præfertim cum tot vrgētibus bellis, libri sacri combusti sint? si quidem in secundo Paralipomenon legimus tēplum sub Manasse prophanatum fuisse, cum Principes Assyriorũ captiuum illum duxerunt in Babylonem: quod tandem cum sub Iosia repurgaretur, Helchias sacerdos dicitur reperisse librũ legis Domini, qui datus fuerat per manum Moyſi, quem Saphan scribæ tradidit, vt perferretur ad Regē. Quæſo, quis attestabatur ei tunc post tot bella post Manassen, post Amõ filium eius tempore Iosie, nisi illa alta mente reposita manens traditio? Hierusalem tandem capitur à Chaldæis, incenditur, templũ spoliatur. Tum etiam perierunt libri illi: sed eos Deus per Esdram Prophetam restituit. Nam vt apud ipsum Prophetam legitur, Populus Israël in primo die mēsis primi cœpit ascendere de Babylone, & in primo die mēsis quinti venit in Hierusalem, anno septimo Artaxerxis regis. Esdras autem parauit cor suũ, vt inuestigaret legē Domini, & faceret & doceret in populo præceptũ & iudiciũ. Iam si quis cõtra Esdrã disserat, & ipsos illos characteres Moyſi manu expressos requirat, alioquin non crediturus: quid cõtra eũ? Nũ ille vt omniũ infidelissimus explodetur? Narrat denique Machabæorum historia, sub Antiocho illustri positũ desolationis idolum super altare Dei, & aduersarios nostri cultus Gentiles, libros legis Dei cõbussisse igni, scindētes eos: & apud quẽcunque inueniebantur libri Testamēti Dei, &

quicũq; obseruabat legē Domini, secũdũ edictum legis trucidabant eum in virtute sua. Neque verò dubitauerim fuisse, qui vt genua ante Baal minimè flecterent, ita neq; sacros libros, quos apud se habebāt, porrexerunt: ex quo factum, vt salui & incolumes illi ad nos vsque peruenirent. Interim verò si quis contentiosus inter tot discrimina natiuos Moyſi, immò & totius legis, ipsorum etiam Prophetarũ libros periisse dicat: quæ maior cõtra illũ authoritas, quàm à traditione sumetur, quæ semper salua fuit, & eos libros nobis semper commēdauit? Scribit Eusebius Diocletiani tēpestate domos orationis, & Ecclesias Dei viui ad solum atque ab ipsis subuersas fundamentis: diuinas verò scripturas in medio platearũ igni crematas esse. Quis dubitat idem per Arianos, Vandalos, Gothos, aliosq; turbulentos Christi spõsæ inimicos factum esse? Diu latuerat Euangeliũ Iohannis, diu & alij. Interim verò alij Christo, nostræque religioni aduersarij euulgabantur: vt per Maximinũ Acta Pilati, per Libanium Sophistam, Prophyrium, Iulianum Apostatam, Symmachum & Atheõ Lucianũ. Quis ex opaca temporum illorum caligine nobis integros & inuiolatos diuinorum mysteriorum libros conseruatos esse astruet, illos ipsos nimirum qui leguntur, & omniũ manibus voluūtur: nisi Spiritus sanctus, qui inuiolatam semper Ecclesie traditionem retinuit? Augustinus Manichæos nihil aliud quod dicerent, habuisse scribi: quàm falsatos esse codices nostros. Arve-

Lib. 8. histor. Eccles. Cap. 1

Lib. 11. contra Faustũ Manich. cap. 2.

rò quæ autoritas literarū aperiri, quis facer  
 ber euolui, quod documētū cuiuslibet scriptu-  
 re ad conuincendos errores exeri potest: si hæc  
 vox admittitur, si alicuius pōderis æstimatur?  
 Aliud est istos libros non accipere, & nullo eo-  
 rū vinculo detineri: quòd Pagani de omnibus  
 libris nostris, quod Iudæi de nouo Testamēto  
 faciunt, quod deniq; nos de vestris & aliorum  
 hæreticorum, si quos suos & proprios habēt,  
 vel de his qui vocantur Apocryphi: non quòd  
 habendi sint in aliqua authoritate secretā, sed  
 quia nulla testificationis luce declarari, de ne-  
 scio quo secreto, nescio quorū præsumptione  
 prolata sūt. Aliud est ergo authoritate aliquo-  
 rum vel librorū vel hominū nō teneri, & aliud  
 est dicere, Iste quidem vir sanctus omnia vera  
 scripsit, & ista epistola ipsius est: sed in ea ipsa  
 hoc eius est, hoc non est eius. Vbi cum ex ad-  
 uerso audieris, proba: nō confugas ad exēpla-  
 ria veriora, vel pluriū codicū, vel antiquorum,  
 vel linguæ præcedentis, vnde hoc in aliam lin-  
 guā interpretatū est: sed dicas, Indè probo hoc  
 illius esse, illud nō esse, quia hoc pro me sonat,  
 illud contra me. Tu es ergo regula veritatis?  
 Quicquid cōtra te fuerit, non est verū? Quid si  
 alius, simili insaniā, sed tamē tuā duritiā cōfrin-  
 gatur, existat, & dicat: Immò illud quod pro te  
 sonat, falsū est, hoc autē quod cōtra te est, verū  
 est: quid acturus es, nisi fortè aliū librū prola-  
 turus, vbi quicquid legeris, secūdū tuā sententiā  
 possit intelligi? Hoc si feceris, nō de aliqua eius  
 particula, sed de toto audias cōtradictem, &

clamātē, Falsus est. Quid ages? quòd re cōvertes?  
 quā libri à te prolata originē, quā vetustatem,  
 quā seriē successionis testē citabis? Nam si hoc  
 facere conaberis, & nihil valebis, & vides hac  
 in re, quid Ecclesiæ Catholicæ valeat autori-  
 tas, quid succedentium sibi met Episcoporum  
 ab ipsis fundatissimis sedibus Apostolorum ad  
 hodiernum vsque diem valeat traditio. Et in *Lib. 28. c. 2.*  
 alio libro contra Faustum, dices, ait, hanc nar-  
 rationem non esse Matthæi. Tu mihi quid cō-  
 tra lecturus es? Aliquem fortè librum Mani-  
 chæi, vbi Iesus negatur esse natus ex Virgine.  
 Sicut ergo ego credo illum librum esse Mani-  
 chæi, quoniam ex ipso tempore, quo Mani-  
 chæus viuebat in carne, per discipulos eius  
 certa successione præpositorum vestrorum ad  
 vestra vsque tempora custoditus, atque per-  
 ductus est: sic & istum librum crede esse Mat-  
 thæi, quem ex illo tempore quo Matthæus  
 ipse in carne vixit, non interrupta seriē tem-  
 porum, Ecclesia certa connexionis successio-  
 ne, vsque ad tempora ista perduxit. Et alibi  
 contra Donatistas: Hoc nos admonet Cypria- *Aug. lib. 5.  
 de baptis.  
 cap. 26.*  
 nus, vt ad fontem rēcurramus, id est, ad Apo-  
 stolicam traditionem, & inde canalem in no-  
 stra tempora dirigamus.

Adde, quòd si percurramus ordinem tempo-  
 rum, fidem nostram primū & potissimum  
 traditione sterisse intelligemus. Nec enim, vt  
 diximus, canonicam scripturam agnoscit Ec-  
 clesia, priorē ea quam Moses reliquit. Ex quo  
 necessariò consequitur, eos omnes fideles Pa-

triarchas, vernaculos eorum, & alios quoscun-  
que non scripto (cū nullum esset) sed verbo  
tradito adhæsisse, 2709. millibus annorum, ab  
ipso Adamo ad vsque Mosen. Quis verò puta-  
rit nullam tum legem, nullum cultum, nullam  
Ecclesiam fuisse, etsi non scripto, sed traditio-  
ni niterentur omnia? Imò, vt liberè Gentilis  
Poëtæ verbis utar,

*Ouid. lib. 1. Aurea prima fata est etas, quæ vindice nullo  
Metamor- sponte sua, sine lege, fidem rectumque colebat:  
phosewy. sine lege, inquam, scripta: cū tamen ipsi sibi  
lex essent, vt docet Paulus, quam & adauge-  
ret, & confirmaret traditio. Et optimam qui-  
dem illam legem se innouaturum Dominus  
pollicebarur, cū per Hieremiã diceret, Dabo  
Hier. 31. leges meas in cordibus eorum. Lex enim gra-  
tiæ ad legem naturæ confertur, non præputij  
modò, sed & sacerdotij ratione, quod secun-  
dum Melchisedek in nostro Messia adimple-  
tur. Habet itaque tempus illud & legem suam,  
& sacerdotium, & cultum, etsi nihil adhuc  
scriptum esset; quo fideles constringerentur.  
Tum primogeniti sacerdotes erant, tum certis  
quibusdam diebus, certa cū fidelium frequen-  
tia sacrificia fiebant sed & (vt docet Eucherius)  
vna erat vestis, & primogenitæ, & sacerdoti-  
lis. Fuit & tunc ab Abrahamo circumcisio ob-  
seruata ad Mosen, & in ipso etiam puero Mo-  
se. Ille enim circumcisione præcepit, non quia  
ex Mose est, sed ex Patribus. Stabat igitur illa  
traditio. Erat & illis certa à cibis abstin-  
tia, ne suffocatum, ne carnem cum sanguine, vt*

à Noë didicerant: ne neruum femoris come-  
deret, vt qui in Iacob emarcuisset. Erat & mos  
& luctus sepulturæ, & cætera permulta, non  
scripturæ, sed traditioni fideliter commissa,  
quibus optimi illi Patres morem gerebant.  
Eusebius præter hæc Idumæum Iob in exem-  
plum proponit, vt qui pietatem Euangelicam  
obseruaret, in patientia, eleemosyna, & assidua  
diuinæ prouidentia meditatione: quæ tamen  
à scripturis quomodo didicisse potuisset? Fuit  
enim quintus ab Abraham, vt obseruat Hiero-  
nymus, filius scilicet filij Esau, qui & habitauit  
in finibus Idumææ & Arabiæ, & vxorem ha-  
buit Arabissam. A quibus verò scripturam ali-  
quam accepisset Idumæus longè ante Mosen?  
Sed manebat occulta traditio, quam etiam il-  
le filiis commendabat. Nam (vt Psaltes ceci-  
nit) quanta mandauit Deus patribus nostris  
nota facere ea filiis suis, vt cognoscat genera-  
tio altera? Quanta ipsis Iudæis Cabalistica &  
Talmudica traditio asserit: quanta ipse Philo  
Iudæus, quæ tamen sacris libris expressa non  
sunt? Ipse etiam Balaam occulta quadam do-  
ctrina, ampliora quàm quæ scripta sunt, de  
stella ex Iacob oritura tradidisse dicitur, ex qui-  
bus Magi Christum Regem in Iudæa natum  
expectarunt, & adorarunt. Denique quid om-  
nium celeberrimi Prophetæ Helias, Heliseus,  
Ioannes Baptista scripsisse leguntur? Et tamen  
Helias & Heliseus in Carmelo monte Pro-  
phetarum filios continebat, & alterius ver-  
bum, tanquam fax ardens, vt qui in diebus suis

*Lib. 1. de  
demonstr.  
Euag. c. 6.*

*Argum. in  
Iob.*



Principem non pertinuerit. Ioannes verò & vox verbi, & plusquam Propheta, quo inter natos mulierum nemo maior surrexit. Helias Israël in igne iudicaturus dicebatur: hunc Helisæus & aurigam & currum Israël acclamabat: ad Ioannem verò omnis Hierosolyma confluebat: illi tamen omnia viuæ voci commiserunt. Postremò hi, qui etsi pauci ex Apostolis in noua lege aliquid scripserunt, annon è traditione multa didicerunt? Vnde illa continua series ab Abrahamo ad Christum, quam Matthæus, & illa à Christo ad Adamum vsque, quam Lucas contexit, nisi ex traditione? Scribit Augustinus olim Manichæos Euangelium Matthæi reiecisse, quod ille non interfuerit; cum Christus diceret, Non veni soluere legem aut Prophetas, sed adimplere. Quasi verò nec satis esset ex eorum qui audierant, relatione & traditione didicisse. Atqui nec Manichæus Christo interfuerat, cui tamen Manichæi credebant. Nos autem (inquit) non propterea dicimus non credendum esse Manichæo, quia dictis factisque Christi non interfuit, & longè post natus est: sed quia de Christo cōtra Christi discipulos loquitur, & contra Euangelium, quod illorum autoritate firmatum est. Nam si nemo de Christo vera dicit, nisi qui eum præsens vidit & audiuit; hodie de illo nemo vera dicit. Itaque traditionem fateri necesse est eum qui scripturæ autoritatem factam rectam esse voluerit. Quis enim Euangelistarum non aliunde didicit ea quæ leguntur de Ioannis &

Luc. 3.

Lib. 17. cōtra Faust. cap. 3.

Christi conceptione, natiuitate, salutatione Elizabeth, Magis, pueritia Ioannis & Christi. Quin & Ioannes à Baptistæ testimonio auspicatur, & multa inserit, quibus eum interfuisse minimè legimus. Marcus autem & Lucas ab aliis didicerunt, vt diximus. Ex quo efficitur, vt liberè Lucas hæc præmittat, Sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis. Ignatius verò Ioanni Theologo scripsit, magno se desiderio teneri videndi virginem matrem, doctricem Ecclesiæ: ab illius ore nimirum agnoscens multa omnes accepisse de occultioribus diuinæ incarnationis mysteriis. Quis verò dixerit omnes omnia scripsisse, vt nihil sit traditioni reliquum? In Actis Apostolorum, Christus Iesus dixisse narratur, beatus esse dare, quam aliquid accipere: cum tamen illorum nullus Euangelistarum scribendo meminerit. Illud ergo negandum erat, quia apud eos minimè legebatur? Postremus quoq; omnium Ioannes, anno à Christo sexagesimo quinto suum Euangelium conscripsit, ab exilio relegatus, rogatus ab Episcopis Asiæ, vt etiam scripto Ebionem & Cherinthum profligaret. Qui quòd sciret multa, eaque quanto diuiniora, tanto magis silentio ab aliis commissa fuisse, quorum saltem aliqua requirente hominum impietate scripto exprimi necesse esset: de Christi generatione æterna, Ioannis testimonio, Christi concionibus & miraculis plurima deseruit. Tacuerant enim hoc ceteri, vt & aquæ

Aug. lib. 1. de consensu Euang. c. 1.

Act. 20.

in vinum mutationem, paralitici curationem, Lazari suscitationem. Tacuerant & præcipua eius doctrinæ capita, Samaritidis instructionem, carnis & sanguinis sui promissionem, celebres illas conciones de sua diuinitate, missione, veritate, & innocentia in templo Hierosolymitano habitas, de regeneratione nostra ad Nicodemum, & de dilectione, & Spiritus sancti virtute ad Apostolos in Cœna exhortationem habitam. Quæro verò, num illorum stabat veritas, antequàm scriberentur à Ioanne? Et num credendum erat Ioanni, aut alteri Apostolico viro de iis prædicanti, quia nondum hæc scripta erant? Venio nunc ad librum illum, quem Lucas in Acta Apostolorum emisit. Petri quidem conciones & Pauli, congressus cum inimicis fidei, persecutiones, Ecclesiæ initia, propagationem, & concilia quædam explicat: Paulum etiam Romam perducit, & tamen supprimit quo mortis genere Petrus & Paulus martyrium consummarint. Hinc temerarij nonnulli, cum de Petri morte differitur, ex ipsis Actis testimonium requirunt, quo manifestum sit eum Romæ passum esse. Ego verò idem requiram, vnde dicatur ille mortuus. Ergo neuter eorum vita functus est, quia Petri & Pauli mortem Lucas tacuit? Ineptæ prorsus hæc consecutio est. Nec enim Lucæ intentio fuit hæc Ecclesiæ initia, hos denique Apostolicos conflictus ad vsque Apostolorum martyrium perducere: sed compendiosè tantum hæc, & primos Apostolicæ prædica-

tionis successus describere, cum ad traditionem cœtera remitteret.

Denique Paulus (vt inquit Origenes) repleuit Euangelio omnia ab Hierusalem in circuitu vsque ad Illyricum: neque tamen ad omnes quas docuerat Ecclesias scripsit, sed quatuordecim solùm Epistolas, & in eis plures breuissimas. Ergo non habebant cœteri veritatem, quia non habebant has scripturas? Quod si illis, cur non cœteris, non tamen verbo tradito, carere potuerunt?

Postremò, si sola scriptura omnia quæ credi debent, si omnem veritatem complectitur: illa igitur aut sic tota, vt eius pars etiam omnia habeat: aut ipsa tota simul sumpta hæc continet, quia in eius parte minimè reperiantur. Nam si quamque partem, & vnumquemque librum omnia illa complecti dicent, superflua igitur videntur reliqua: sed & facilè multa cluderentur quæ creduntur, cum non in singulis omnia legantur. Nec enim singuli Euangelistæ omnia, nec singuli Moseos libri omnia: cum aliud sit Geneseos, aliud Exodi, cœterorum etiam librorum argumentum. Itaque cum non singuli libri, sed omnes plenissimæ fidei attestari debeant: si quis ex omnibus aliquos tulerit, & hos maximè, qui sacris ipsis scripturis commendantur: an non etiam aliquid de integritate illa fidei minueretur? Nec enim (vt diximus) omnia in singulis, sed omnia in toto illo sacrorum librorum corpore inerunt. Ex quo efficitur, vt sicut qui membrum corporis tulerit, ipsum

iam non integrum corpus, sed mutilatum red-  
 diderit: ita qui aliquem illorum librorum su-  
 stulerit, qui maximè sacris scripturis compro-  
 bantur, etiam fidei ipsius integritatem muti-  
 lasse censeatur, nimirum si soli scripturæ illa  
 innititur, & per eam reuelatur. At qui ipsarum  
 etiam scripturarum testimonio permultis li-  
 bris caremus, quos illæ tam certæ, tamque in-  
 dubiæ fidei fuisse agnoscunt, vt ex ipsis, eorum  
 quæ narrant, confirmationem accipiant. Nec  
 verò ignotum per ignotius, sed id, quod et si  
 certum sit, per certius comprobatur. Certiori-  
 bus itaque & probatoribus libris caremus.  
 Siquidem cum in libro Iosue, de statione solis  
 agitur, quæ illius tempore contigit, hoc addi-  
 tur: Nonne hoc scriptum est in libro iustorum?  
 Stetit itaque sol in medio cæli, & non festina-  
 uit occumbere spatio vnus diei. Eiusdem quo-  
 que libri meminit secundus Regum, vbi hæc  
 leguntur: Planxit Dauid planctum huiusmodi  
 super Saul, & super Ionathan filium eius, &  
 præcepit vt docerent filios Israël planctum, si-  
 cut scriptum est in libro iustorum. Ad eorum  
 igitur confirmationem, quæ in libris Iosue &  
 Regum scribuntur, liber Iustorum adducitur.  
 Vbinam verò ille est? Si ab eo illi libri testi-  
 monium accipiunt, quomodo non aliquid ex  
 toto illo scripturæ corpore decidisse dicatur?  
 In Numeris Moyfi liber Bellorum Domini  
 profertur. Cum enim post serpentem æneum  
 erectum propè montem Hor egressi filij Israël  
 venissent in Oboth, deinde in Ie-abaxim, &  
 inde

Ios. 10.

2. Reg. 1.

Num. 21.

inde ad torrentem Iared: postmodum dicun-  
 tur castra posuisse contra Arnon in deserto,  
 qui est terminus diuidens Moabitas & Amor-  
 rhæos. Additur autem, quòd in libro Bello-  
 rum Domini dicitur, Sicut fecit in mari ru-  
 bro, sic faciet in torrentibus Arnon. Quis du-  
 bitat multa in eo libro scripta esse, quæ non in  
 libro Numerorum? Et vbi tandè est ille liber?

Producitur & sapissimè liber Verborum  
 dierum Regum Israël, in tertio & quarto Re- 3. Reg. 16. et  
 gum, & in secundo Paralipomenon. Liber e- 22.  
 tiam Verborum dierum Regum Iuda: etiam 4. Reg. 1. et  
 cum tanta autoritate, vt reliquum historiae 13. 14. 15.  
 ad eos remittatur: Vt, Reliqua quæ fecit Amri, 2. Par. 16.  
 & vniuersa quæ operatus est, nonne hæc scri- 29.  
 pta sunt in libro verborum dierum Regum  
 Israël? Et, Reliqua sermonum Afa, & vniuersæ 3. Reg. 15.  
 fortitudines eius, & ciuitates quas extruxit,  
 nonne hæc scripta sunt in libro Sermonum  
 dierum Regum Iuda? Plures sunt & alij libri,  
 quos non habemus. In primo Paralipomenon 1. Par. 29.  
 adducitur liber Gad videntis, liber Nathan  
 Prophetæ de scriptis prioribus & nouissimis  
 Dauid: vt qui plenius narrent & peccatum, &  
 verba, & pœnitentiam Dauidis. Num illa, vt  
 & cætera quæ de illo leguntur, scitu digna sunt?  
 & tamen vbi illos libros reperies? An simul  
 his pereuntibus, nostræ fidei integritas subla-  
 ta est? In secundo Paralipomenon liber Ahia  
 Silonitis profertur, & Visio Addo videntis, 2. Paral. 9.  
 contra Hieroboam filium Nabar: liber etiam 12. &  
 Semeiæ, & Addo de gestis Roboam, & liber 2. Paral. 13.

Addo de verbis Ahia. Etsi verò hi Prophetae magno in pretio habiti sunt, perierunt nihilominus eorum libri. Et tamen fundamento Apostolorum & Prophetarum Catholica innitur Ecclesia. Si sublatis scripturis tollitur doctrina, cur non simul pereuntibus his libris, eorum doctrina periisse concludatur? At verò mansit illa, vt & Heliae & Helisai summorum Prophetarum, non scripto, sed traditioni innixa. Nec enim illis sublatis, sublata est & ea veritas quam annuntiabant. Hanc ergo non verbo scripto, sed tradito stetit oportuit. Ipse etiam Paulus Timotheum discipulum monet, vt libros & membranas suas referuet. Quinam verò illi libri, cum tantum quatuordecim eius habeamus epistolas? Si his ergo caremus, si caruit & Ecclesia scripto, nec tamen fide destituta fuit: cur scripturae sic fidem nonnulli alligant, vt nec ipsa prior sit, nec posterior, nec amplior? Multa enim fecit & dixit Iesus (inquit Ioannes) quae non sunt scripta in libro hoc. Et omnes vtique fideles, cum symbolum Apostolorum profitentur, dicunt, Credo in vnum Deum, Credo in Iesum, &c. Credo in Spiritum sanctum. Et vbi quaeso haec omnia in scripturis expressa reperient, quae tamen omnes ad sanguinem vsque contestari tenentur?

3. lib. ca. 4. Sic contulerunt inter se Apostoli (inquit Irenaeus: ) nam symbolum à collatione dicitur: quod ex ea traditione didicimus, quam magna diligentia nobis Ecclesia conseruauit. Quid enim (inquit) etsi cui de aliqua modica quaestione

disceptatio esset, nonne oporteret ad antiquissimas recurrere Ecclesias, in quibus Apostoli conuersati sunt, & ab eis sumere de praesenti quaestione quod certum & liquidum est? Quid autem si neq; Apostoli quidem scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt ij, quibus committebant Ecclesias: cui ordinationi assentiunt multae gentes Barbarorum, eorum qui in Christo credunt, sine caractere vel atramento scriptam habentes in cordibus suis salutem, & veterem traditionem diligenter custodientes, in vnum Deum credentes, fabricatorem caeli & terrae, & omnium quae in eis sunt, per Christum Iesum filium Dei? Qui propter eminentissimam erga filium suum dilectionem, eam quae esset ex Virgine generationem sustinuit, ipse per se hominem adiuuans Deo, & passus sub Pontio Pilato, & resurgens, & in claritate receptus in gloria, vterus saluator eorum qui saluantur, & iudex eorum qui iudicantur, & mittens in ignem aeternum transfiguratores veritatis, & contemptores patris sui, & aduentus eius. Hanc fidem qui sine literis crediderunt, quantum ad sermonem nostrum barbari sunt: quantum verò ad sententiam, & consuetudinem, & conuersationem, propter fidem perquam sapientissimi sunt, & placent Deo, conuersantes in omni iustitia, & castitate, & sapientia. Hæc ille: quibus Apostolici symboli summam assignat, illudq; traditione acceptum docet, quod sine expressis

Tom. 4. lib.  
de fide &  
operibus.  
cap. 9.

literis fideles credant & profiteantur. Erant  
verò ipsis Augustini tēporibus, qui vt sine pœ-  
nitētia solam fidem adultis ad baptismum, ita  
solam Christi Iesu confessionem sufficere ar-  
bitrarentur: quòd dicerent satis fuisse Spadoni  
illi, qui à Philippo euangelizatus est, credere  
in filium Dei. Nihil enim aliud (inquiunt) re-  
spondisse legitur, quàm, Credo filium Dei esse  
Iesum Christum: & in hac professione conti-  
nuò baptisatus est. Num ergo placet, vt hoc  
solùm homines respondeant, & continuò ba-  
ptiscentur? nihil de Spiritu sancto, nihil de san-  
cta Ecclesia, nihil de remissione peccatorũ, ni-  
hil de resurrectione mortuorum: postremò, de  
ipso Iesu Christo nihil, nisi quia filius Dei est,  
non de incarnatione eius ex virgine, de passio-  
ne, de morte crucis, de sepultura, de tertij diei  
resurrectione, de ascensione ad dexterã Patris  
aliquid dicendum est catechisanti, ac profiten-  
dum credenti? At verò scriptura tacuit, atque  
intelligenda admisit cœtera, quę cum illo spa-  
done baptisando Philippus egit: atque in eo  
quod ait, Baptisauit eum Philippus, intelli-  
guntur impleta omnia, quę licet taceantur in  
scripturis gratia breuitatis, tamen serie tradi-  
tionis scimus implenda. Ergo cum fides sit in-  
scrutabilis consensus, vt scribit Damascenus,  
neque alia recta sit quàm Catholica, vt Augu-  
stinus: Cum tu primùm te Credere dicis, non  
modò protestaris assentiri te sacris scripturis,  
sed & sacris traditionibus Ecclesię Catholice,  
in his omnibus quę de Deo, Christo, & Spiri-

Lib. 4. de fi.  
de orthod.  
cap. 1.  
De verb. Do-  
mini, serm.  
63.

tu sancto, quę de Ecclesia, cōmunionē sancto-  
rũ, peccatorũ remissione, & resurrectione di-  
cuntur. Hic autē assensus omnē quęstionem &  
dubitationē excludit, & ea etiã apprehendit,  
quę animi imbecillitas facillè excutere nō po-  
test. Summa tamē illa securitas est, summa etiã  
scientia, quę ignorantia carnis, qua hic primi-  
mur, domat, & superat. Non parum igitur est  
quod dicis *Credo*. Primũ hoc verbũ, quid tu in  
animo concipias, quam confidentiam, quietē,  
spē, certitudinem, quam deniq; tuę salutis an-  
chorã præfigas, exprimit: vt quę verbo Dei in-  
nitatur, quod nō modò scripto, sed traditione  
in vnica Dei viui Ecclesia communicetur. Ve-  
rũm satis de fide, quę dictione illa prima signi-  
ficatur: nunc ad fidei materiam seu obiectum,  
ad symbolum, inquam, Apostolicum, trans-  
eundum est.

## DE SYMBOLO

## LIBER 2.

*Quid Symbolum, & unde ad nos prodiit: quid Cre-  
dere in Deum, & quòd Gentiles Deum  
crediderunt: item de Dei no-  
minibus.*



Vm apud patres nostros, sicut  
liber Iudicum refert, quædam *Iudic. 20.*  
Israëliticę tribus ciuili aduersum  
se prælio decertarēt, nec propter  
consimilem populi vnus habi-  
inter bellantes posset esse discretio: tribus illa,

*Hæc ex di-  
sti Maximi  
Homil. in  
Symbol.*

cuius iustior erat causa pugnandi, quia merito per Dei auxilium victoriam præsumebat, signum sibi certo in sermone cōstituit: ut quos vna armatorum facies confundebat, secretioris verbi distingueret sacramentū. Quod beati Apostoli, ut ego reor (inquit Maximus Taurinēsis) exemplū sequētes, Ecclesiæ Dei, quam aduersum militiam diabolici furoris armabāt, mysteriū symboli tradiderunt: ut quia sub vno Christi nomine credentium futura erat diuersitas, signaculū symboli inter fideles perfidōsq; secerneret, & alienus à fide, atque hostis appareret Ecclesiæ, aut tanquam baptisatus nescisset, aut tanquam hæreticus corrupisset. Porro (ait Eusebius Emisēnus) apud veteres Symbola vocabantur, quod de substantia collecti in vnū sodales in medio conferebant ad solennes epulas, & ad cœnæ communes expensas. Ita enim & Ecclesiarum Patres de populorum salute solliciti, ex diuersis voluminibus scripturarū collegerūt testimonia diuinis grauida sacramentis. Disponentes itaque ad animarum pastum salubre conuiuium, collegerunt verba breuia & certa, expedita sententiis, sed diffusa mysteriis: & hoc Symbolum nominauerunt. De magnis ergo eminentiora præsumpta sunt: quomodo si aliquis pictor egregius ex multarum pulchritudine personarum, vnū aliquod corpus exprimere & coaptare vellet, ex plurimis speciebus speciosa defloret, ac diuersas vultuū gratias in vnam faciem colligat, & de præcipuis præcipua eligat, ut vnā ex plurimis

*Homil. 1. de  
Symbol.*

*pictor e-  
gregius.*

formam artificis dispositione componat: Aut quomodo si quis diffusus ac locuples in aliam regionem migraturus, quascunque opes habet, in aurum ac gemmas redigat, & vno sac- *Locuples si*  
culo omnia concludat, non cumulo æstiman- *in gemmas*  
da, sed pretio: ut faciliè quocunque pergat, sua *omnia com-*  
omnia ad Biantis instar, portare possit. Ita *mutet.*  
enim Ecclesiarum magistri, nostræ salutis negotiatores studiosissimi, è vasto scripturarum cumulo ea separauerunt, quæ paginæ mentis inscriberentur: ut cuilibet cordi quamlibet angusto, quamlibet rustico, sine vllius difficultatis impedimento, faciliè insinuari posset veritatis agnitio, ut ad parandum & tenendum cœlestis sapientiæ vitale carmen & salubritas inuitaret, & breuitas. Ad eò ut de hoc symboli breuissimo textu. Propheta dixisse videatur: Verbum breuiatum faciet Deus super terram. *Rom. 9.*

Dicitur & Symbolum, indicium vel signum: quod & illo tempore, sicut & Apostolus Paulus dicit, & in Actibus Apostolorum refertur, multi ex circumcisis Iudæis simulabant se Apostolos Christi, & lucri alicuius, vel ventris *Cyprian. in*  
gratia, ad prædicandum proficiscebantur, no- *Symbol.*  
minantes quidem Christum, non tamen cum *2. Cor. 11.*  
integris traditionum lineis nuntiātes. Istud er- *Act. 15.*  
go signum posuere (ait Cyprianus) per quod agnosceretur is, qui verè secundū Apostolicas *Idem ha-*  
regulas prædicaret. Tradunt enim maiores no- *bet Augu-*  
stri, quòd post ascensionem Domini, cum per *stin. tom.*  
aduētum Spiritus sancti super singulos quos- *10. ser. 181.*  
que Apostolos igneæ linguæ sedissent, ut di- *de tempore.*

uersis linguis loquerentur, per quod eis nulla gens extera, nullæ linguæ barbaræ inaccessæ viderentur: discessuri ab inuicē normam prædicationis in commune constituerunt, ne fortè alius ab aliò abducti, diuersum aliquid his, qui ad fidē Christi inuitabātur, exponerēt. Omnes ergo in vno positi, & Spiritu sancto repleti, breue istud futuræ sibi prædicationis indicium, conferēdo in vnū quod sentiebat vnusquisq;, componūt, atque hanc credentibus dandā esse regulam statuunt. Est enim (vt scribit Augustinus) fides Catholica in Symbolo nota fidelibus, memoriæq; mandata, quantum res passa est, breuitate sermonis: vt incipientibus atque lactantibus eis qui cum Christo renati sunt, nondum scripturarum diligentissima & spiritali tractatione atque cognitione roboratis, paucis vèrbis credendum cōstitueretur. Porro libro tertio de symbolo, tam necessariū illud esse docet, vt vocet illud catholicæ fidei fundamentū, super quod edificium surrexit Ecclesiæ, constructum manibus Apostolorū & prophetarū. Sic verò quemq; Symboli articulum expendit, vt cuiq; Apostolo vnū distribuatur, eo modo, vt Petrus dixerit, Credo in vnū Deum patrem omnipotētem: Ioannes, Creatorē cæli & terræ: Iacobus, Credo in Iesum Christum filiū eius vnicum Dominum nostrum: Andreas, Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine: Philippus, Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus est: Thomas, descendit ad inferna, tertia die

*Tom. 3. de  
fide et sym-  
bolo cap. 1.*

*Tom. 9. l. 3.  
cap. 1.*

*Serm. 115.  
de tempore.*

resurrexit à mortuis: Bartholomæus, Ascendit ad celos, sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis: Matthæus, Inde venturus est iudicare viuos & mortuos: Iacobus Alphæi, Credo in Spiritum sanctum sanctam Ecclesiam Catholicam: Simon Zelotes, Sanctorum communio- nem, remissionem peccatorum: Iudas Iacobi, Carnis resurrectionem: Matthias verò, Vitam æternam, Amen. Hinc scilicet Apostolicum dicitur, quod & per Apostolos traditum, & ab ipsis acceptum sit per manus, & cōtinuam eorum seriem qui illis successerunt.

Porro legitur illud etiam in Liturgia Iacobi Apostoli, qui & frater Domini dictus est, & interpretatur à Chrysofomo, Cyrillo Hierosolymitano, Epiphanio, & permultis magni nominis antiquis Ecclesiæ patribus Editæ sunt autem plures fidei confessiones, Symboli nomine, sed quæ ad vnum hoc recurrerent. Cœterum non alia erat fides, sed ipsa eadē, quæ compendiosius in prima confessione, explicatior reddita est hæreticis in quæstionem quosdam eius articulos ventilantibus. sic enim maximè Symbolū Athanasij & Nicenum in astruendis sanctæ Trinitatis, maximè verò Christi Iesu mysteriis immorantur. Symboli Athanasij meminit Augustinus, cum Psalmum centesimum vigesimum explicat. Symbolum Nicenū vulgatissimum in Ecclesia Dei, maximè contra Arium publicatum est, congregatis 318 Patribus sub Constantino Imperatore. Cōfirmatur autem aliis Oecumenicis conciliis Constantino-

politana, Ephesino & Carthaginensi. Nos in unum corpus omnia, eaque præcipua symboli illius & alterius capita congeremus, ut tanto magis fidei nostræ mysteria elucescant, quanto fufius fuerint explicata. Sed videamus quid compediolum Apostolorum symbolum proponat. *Credo in unum Deum, patrem omnipotentem.* Cum quisque nostrum se credere dicit, iam nihil moratur, nihil disputat: sed protinus cum certissima fiducia profitetur illud esse quod credit, & in eo spem suam collocare. Nam qui fidem querit, ratione non querit (inquit Petrus Chrysologus:) qui diuina postulat seponit humana: qui Deo genitore nascitur, transcendit naturam: & tempori nihil debet, qui temporis meretur auctorem. Non dicit, *scio*, etsi fides certissima sit scientia: non eo tamen modo, quo à Philosophis sumitur: cum scire sit per causas aliquid cognoscere. Credere autem est, in ipsa causa totum quiescere, ut scribit Augustinus in libro de magistro, qui & alibi hæc meditatur. Imprimis dilectissimi, qualis sit sermo in symboli capite diligenter attendite. *Credo.* Vide quod Dominus noster non iubet nos discutere diuina iudicia, sed credere: nec rationem requirere, sed fidem simpliciter & immobiliter exhibere. Non dicit *Credo Deum*, vel *Credo Deo*: quamuis & hæc saluti necessaria sint. Nam credere alicui, est credere vera esse quæ ille loquitur: Credere aliquem, est credere illum esse. Cum autem protestamur nos credere in Deum, profitemur etiam nos diligere illum. Credere vera esse quæ loquitur, multi & mali possunt, qui

*Quid crede-  
re.*

*Serm. 3. De  
Symbolo.*

*August.  
lib. 1. De  
magistro  
Cap. 11.*

*Tom. 10.  
serm. 1. in  
die Pēteco.*

quæ credunt vera, non faciunt. Credere ipsum esse & dæmones possunt: crediderunt etiam & Pagani: sed non crediderunt in Deum. Nam homini cuilibet plerumque credendum est, quamuis non sit credendum in eum. Hoc est enim credere in Deum, credendo adhærere, ad benè cooperandum bona operanti Deo: Quia sine me (inquit) nihil potestis facere. Cæterum quod ipsi dæmones credant, & contremiscant, testis est Iacobus. Sed & Dæmonia egrediebantur ab obsessis, clamantia & dicentia: Scimus quod sis sanctus Dei. Quin & Apollo, quem præter cæteros dæmones diuinum, maximeque fatidicum Gêtiles existimarunt, Colophone respondens, quod Delphis emigrauerat amœnitate ductus Asiæ, ut scribit Lactantius: quærenti cuidam quis esset, aut quid esset omninò Deus, respondit viginti & uno versibus, quorum hoc principium est:

Αὐτοφύης, ἀδίδακτος, ἀμήτωρ, ἀτηφέλικτος,  
Οὐνομα μηδὲ λόγῳ χερσὶ μόνον, ἐν πύρι  
ταίῳ,

Τὸ πᾶν Θεός, μικρὰ δὲ Θεῶν μερὶς ἄγγελοι  
ἡμεῖς: quod est,

*Ex se ortus, non edoctus, sine matre, non concussus,  
Nomen ne quidem verbo capiendū, in igne habitans,*

*Hoc Deus: parua autem Dei pars Angeli nos.*

Nunquid potest de Ioue suspicari esse dictum, qui & patrem habuit, & nomen? Deum ergo unum non agnouit modò, sed & confessus est, ipsum sui ipsius authorem, incomprehensibilem, cuius etiam Angeli creaturæ sint. Porro

*Lib. De cog-  
nit. vera  
vitæ. cap. 3.  
In Psal. 77*

*Ioan. 15.*

*Luc. 4.*

*Lib. 1. De  
falsa reli-  
gione. cap. 7*



quod Gentiles Deum unum esse crediderint, et si non in illum crediderint, probant antiquissimi Catholicæ Ecclesiæ Patres, Clemens Alexandrinus, Tatianus, Theodoretus, & alij permulti. Iustinus Martyr, simul & Theodoretus hæc ex Musæo Odryfio, qui & ipse in Ægyptum profectus, illa de Deo edoctus fuerat, quæ vocalissimè ita testatur:

Theodor.  
lib. aff. gra-  
ear. serm. 2.  
De principi-  
piis.

Εἰς ἕν' αὐτοτελῆς, αὐτῷ δ' ὑπὸ πάντα  
τελείται, &c.

Hoc est, Perfectus Deus est, qui perficit omnia solus.  
Ipse autem magnum superest innixus olympum,  
Aurato residens folio, pedibusque sub ipsis  
Pressatur tellus, dextram usque ad littora ten-  
dit

Oceani, montes imis radicibus æthi  
Contrepidant.

Hæc etiam è Sophocle,

Εἰς τῶν ἀληθείαισιν εἷς ἕστι Θεός.  
Vnus profecto solus est vnus Deus,  
Terramque fecit & polorum vertices:  
Et nos soporo corde mortales vagi  
Statuimus hoc solatium mentis leue,  
Simulachra diuûm ex marmore aut ex ære.

Cap. 5.

Lactantius libro secundo De origine erroris, adducit Ouidium, vt qui Deo vni creationem tribuat, non Ioui, qui ante mille 700. annos natus erat. Iussit enim.

Ouidius.  
lib. 1. Meta-  
morph.

Fronde tegi sylvas, lapidosos surgere montes  
Ille opifex rerum, mundi melioris origo.

Agnouit & Virgilius spiritum implentem omnia, eundemque unum Deum, cum de Apum

differit industria: quod

His quidam signis hæc argumenta secuti  
Esse Apibus partem diuina mentis, & haustus  
Ætherios dixerunt: Deum namque ire per omnes  
Terrasque, tractusque maris, cælumque profun-  
dum.

Virgilius.  
Lib. 4.  
Georg.

Supremum quoque omnium Homerus celebrat, et si alio nomine, Mineruam inducens ita apud Iouem supplicentem:

ὦ πάτερ, ἡμέτερε κρονίδη, ὑπάτε κρειόντων,  
O pater noster saturnie, supreme regnantium.

Aratus verò sic ipsum depingit, vt meritò à Paulo Apostolo celebretur, cum statim in sui operis exordio sic canat,

Ἐκ διὸς ἀρχόμεθα, τὸν δὲ πῶς ἄνδρες ἐὼ μὲν  
Ἄρρητον μετὰ δὲ διὸς πάσαι μὲν ἀγαθαί,  
Πάσαι δ' ἀνθρώπων ἀγοραί, μετῆ δὲ θά-  
λασσα

Καὶ λιμνῆς. πάντα δὲ διὸς κεχρημένα πάν-  
τες.

Ab Ioue incipiamus, quem neque aliquando nos vi-  
ri sinimus

Indictum: plena sunt enim Iouis omnes viae,  
Omnes hominum cœtus, magnum etiam mare  
Et portus. Vbiq̄ enim Ioue indigemus omnes.

Nec omninò dissimilè est, quod Hesiodus in exordio libri de opere & die, Iouem omnium causam esse scribit:

Ὅ γτε ἄφ' ἑσπεροῦ ἀνδρες ὁμῶς ἀφατοῖτε  
φατοῖτε,

Ρητοῖτε ἄρρητοῖτε.

Quem propter mortales homines simul obscuro & no-

biles;

*Laudati & illaudati.*

*Cicero lib. 1 De nat. Deorum.* Hæc antiquissimi Poëtæ de Deo, etsi illi in iis quæ de Deo dici possunt, multum suis fictionibus nocuerint. Cùm ergo Poëtæ mendaces & veritatis corruptores Deum vnum agnouerint, quomodo non & qui inter Gentiles Philosophi habebantur? Pythagoras ad Monadem omnia reuocat. Rogatus autem Thales quid esset Deus, Quod (inquit) neque principium habet neque finem, vt scribit Clemens Alexandrinus. Plato verò, vt & obseruat Cicero in Timæo, patrem huius mundi nominari posse negat: in Legum autem libris, quid sit omninò Deus, inquiri oportere non cêset. Sed & sine vlllo corpore Deum vult esse, vt Græci dicunt ἀσώματον. Xenophon denique facit Socratem disputatorem, formam Dei queri non oportere, eundemque animum esse, & ipsum vnũ. Atq; Antisthenes in eo libro, qui Physicus inscribitur, populares Deos multos, & naturalẽ vnũ esse dicit. Nec multo secus Speusippus Platonẽ auunculũ subsequens & vim quandam esse dicit, qua omnia regantur, eamq; animalẽ. Aristoteles quoque in tertio de Philosophia libro, modo mēti tribuit omnẽ diuinitatẽ, modo mundum ipsum deũ dicit esse, modò quẽdam aliũ præficit mũdo, eiq; eas partes tribuit vt replicatione mundi quadã motũ regat, atque tueatur: tum cœli ardorem Deum dicit esse, non intelligens cœlum mũdi esse partem, quem alio loco ipse designarit Deum. Etsi ve-

*Lib. 6. Stromat.*

id tam varius & perplexus sit (vt obseruat Cicero) attamẽ nõ plures, sed vnũ Deũ admittit. Põticus Heraclides Platonis schola, & Theophrastus mēti diuinũ tribuunt principatũ: Stratonaturã primã agnoscit, quæ causas gignedi, augendi, minuediue habeat, sed careat omni sensu & figura: Zeno quoq; naturalẽ legẽ diuinã esse cêset, eamq; vim obtinere recta imperatẽ, & prohibentẽ contraria. Sic omniũ præcipui Deũ vnũ esse crediderunt, etsi non satis quis ille esset, explicare possent. Euanuerunt enim in cogitationibus suis, quia Deũ nõ sicut debuerat, *Rom. 1.* glorificauerunt, sed eorum vnusquisque propriæ opinioni inniteretur. Nec dubium eorum plurimos multitudinem illã deorum delusisse, quam hominum, immò potius dæmonum subtilitas repererat. Deũ esse concedebat, sed doceri volebãt nonnulli, vbi esset, vnde esset, qualis esset, corpore, animo & vita. In quo mirabile erat (vt scribit Cicero) quòd nõ rideret Aruspex cùm Aruspicem vidisset, quòd illi & inter se risum tenere non possent, cùm viderẽt tanta idolorũ multitudine Dei vnus, quẽ nouerant, cultũ obrui. Quibus autẽ modis hæc multitudo inducta sit, & primũ illud lumẽ, quo Deum agnoscimus, & credimus caligine infidelitatis offusũ, ex ipso etiã Cicerone audire possumus: vt ipse Gentilis Gentiliũ errores detegat. Nec enim (ait) absurdiora sunt ea delirantiũ somnia, quæ Poëtarum vocibus fusa ipsa suauitate nocuerunt, qui & ira inflãmatos, & libidine furentes induxerunt Deos, feceruntq; vt corũ bella,

pugnas, prælia, vulnera videremus: odia præterea, diffidia, discordias, ortus, interitus, querelas, lamentationes, effusas in omni intemperantia libidines, adulteria, vincula, cum humano genere concubitus, mortalesque ex immortali genere procreatos. Cum Poëtarum autem errore coniungere licet portenta Magorum, Ægyptiorumque in eodem genere dementiam: tum etiam vulgi opiniones, quæ in maxima inconstantia, veritatis ignoratione versabantur. Ex quo effectum est, ut quemadmodum Perseus Zenonis auditor asseruit, eos habuerint Deos, à quibus magna utilitas ad vitæ cultum esset inuenta, ipsalque res vtilis & salutare Deorum vocabulis nuncuparent: aut varia illa attributa, quæ vni Deo congruunt, non proprietatibus modò, sed & rebus ipsis differre censentes, tot Deos esse somniarint, quot sunt ea quæ de Deo dicuntur, aut quæ ab ipso singulari aliquo priuilegio donata sunt. Sic enim Iustinus Martyr obseruat ex Musæo, varia illa attributa, quæ Deorum nomine censentur, ad vnum Deum referri oportere. Ait enim,

Εἰς Ζεὺς, εἰς Ἀΐδης, εἰς ἥλιος, εἰς Διόνυσος,  
Εἰς Θεὸς ἐν πάντεσσι. τί σοι δίχα τούτ' ἀγρεύω.

*Iuppiter & Pluto, Phæbus, Dionysius vnum est*

*sed cur bis loquimur? Deus astat in omnibus vnus.*

Ex his manifestum est & Dæmones, & Gentiles, Deum vnum cognouisse, & credidisse. Veruntamen à nobis differunt, quòd in eum quem nouerant,

nouerant, non crediderunt: quia cum Deum cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt. Et hoc maxima ignorantia est, cum Dei maiestatem, quem vnum esse sciebant, alicui creatorum detulerit. Eapropter Paulus, ignorantes Athenienses Deum coluisse dixit: quòd facile non discernent in quo plenitudo illa diuinitatis inhabitaret.

Cæterum Dei nomen habet in se vim quandam, quæ causam primam, & omnium restrictam declarat. Theophilus ipsum dici ait, *ὡς τὸ τεφευχέναι*, id est, ab eo quòd omnia in sua securitate collocauit: aut à *φεῖν*, currendo, quòd omnia moueat, in operationem producat, disponat, gubernet, visitet, & viuificet: sed & quòd vbique omnibus eum inuocantibus præstò adsit, ne aliquid simile putetur Idolo Baal, de quo Helisæus ad plebem Israël: Clamate voce maiore (inquit) forsan in diuersorio est: sicut & de diis suis fingit Homerus, indicens Thetidem hæc Achilli nar-

*Iliad. a.*

Ζεὺς γὰρ ἐπ' ὠκεανὸν μετ' ἀμύμονας Αἰθιοπίας

Χθίζος ἔβη μετὰ δαῖτα. θεοὶ δ' ἅμα πάντα ἔποντο.

Δωδεκάτη δὲ τοι αὖθις ἐλεύσεται ἔλυμπονδε.

*Iuppiter enim (inquit) in Oceanum ad irreprehensibiles Æthiopas*

*Hesternus iuit ad conuiuium. Dij autem simul omnes secuti sunt.*

*Duodecima autem rursus veniet ad cœlum.*  
 Sic enim Deos suos loco circū scribebāt. At ve-  
 rò Deus verus ait, Ego cœlū & terram impleo.  
 Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum  
 pedum meorum. Hinc securè omnes credunt,  
 quòd propè est Dominus omnibus inuocan-  
 tibus eum in veritate. Nec enim aggravata est  
 auris eius vt non exaudiat, aut abbreviata ma-  
 nus eius, vt non eripiat: sed iniquitates nostræ  
 plerunque diuidunt inter nos & ipsum: ex quo  
 fit vt non exaudiamur. Vnde & Psalter, Quò  
 ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Si  
 ascendero in cœlum, tu illic es: si descendero  
 in infernum, ades.

Alij verò *ὄπὸ τῆς θεομολίας*, quòd omnia con-  
 templetur: vt olim cecinit Orpheus, *ὄδὲ πρὸς  
 αὐτὸν εἰσορᾷει.*

*Idem cuncta tuetur,*

*Conspectus nulli, quoniam caliginis atra  
 Obsistunt nebula, & mortalia lumina nobis.*

*Decem Dei* Hebræi vt sæpius ipsum *El* nūcupāt, quòd  
*nomina a-* à fortitudine dici videtur: nam Deus sanctus,  
*puḍ Hebr.* Deus fortis. Hieronymus in epistola ad Mar-  
*El.* cellam, decem recēset celebra & illustrissima  
 Dei nomina. Primū est, El, quod Septuaginta  
*Elohim.* Θεὸν Deum verterunt. Aquila etymologiam  
 eius exprimens, *ἰσχυρὸν*, id est, fortem transtu-  
 lit. Aliud nomen est *Elohim*, plurale:  
*Elohe.* quo etsi non multiplicitas naturæ & substan-  
 tiæ, trinitas tamē personarū exprimitur. Dici-  
*Tsebaoth.* tur & *Elohe*, & *Tsebaoth*, quod  
 apud Septuaginta idem sonat quod Virtutum,

apud Aquilam verò Exercituum. Vocatur &  
*Elion.* *Elion*, quod Excelsum significat. Sex-  
 tum nomē in Exodo legitur *Ezer*  
*Ezer Ehie.* *Ehie*, id est, qui est, misit me. Est & nomē *Adonai.*  
*Adonai*, quem Dominum vertimus. Octauum  
*Iah.* *Iah*, quod Deo soli tribuitur: Vt & in Alle-  
*Iehoua.* *Iah*, quod est, Laudate Dominum. Nonum  
*Iohoua* nomē est *τετραγέμματον*, qua-  
 tuor literis inscriptum, quod tanto honore  
 ipsi Iudæi dignantur, vt illud propter reueren-  
 tiam non pronuntient. Illud autem Deum si-  
 gnificat, non per effectum, vt Creator, Domi-  
 nus: sed per essentiā, ductum à *Haia* fuit:  
 quòd ei esse proprium sit. Nam ille est *ὁ ὢν*,  
 quem & Plato in Timæo *τὸ ὄν* nuncupat.  
 Transeunt enim omnia, & sicut vestimentum  
 veterascunt: alterius denique egent adminicu-  
 lo, aut materiæ, aut loci, aut cibi: at verò Deus  
 semper idem ipse est. Nihil omninò permanet  
 sub sole, cū tamen Verbum Domini in æ-  
 ternum maneat. Præter hæc nomina recense-  
 tur & Decimum *Saddai*, quod Aquila ver-  
*Saddai.* tit *ἀλκιμον*, robustum, vt qui nullius in omni-  
 bus ope egeat. At verò neque putandum est  
 posse nomine, sed neque omni eloquentia, aut  
 meditatione, diuinā maiestatem comprehen-  
 di. Sic enim Iacob interroganti quod nomen  
 eius esset, Cur (inquit) illud quæris quod est  
*Genes. 32.* mirabile? Basilius in epistola ad Eustathiū me-  
*Epist. 80.* dicum, ipsum quidem Dei nomē naturam om-  
 ninò exprimere posse negat. Ignoro (inquit)  
 quomodo ad naturæ significationē Dei voca-

bulum trahant, qui omnia sic astruunt, quasi à scriptura non audierint, quòd in naturam electio non cadat. Moses autem in Deum Ægyptiorum electus ac còstitutus est: Quoniam te dedi Deum Pharaonis, ait Dominus. Potestatis itaq; alicuius siue sacrorum, siue mundanæ administrationis significationē vocabulū hoc adfert. Natura verò diuina vt in seipsa est nullis nominibus, quæcunq; excogitari possunt, exprimitur: sed, Vt nos arbitramur, ignota manet & abscondita. Quòd enim beneficis dicitur Deus, & iudex, & bonus, & iustus, & alia huiusmodi quæcunq; de illo didicimus: his omnibus operationum illius differētiam edocui sumus. Operantis autē naturā minimè per operationū còsiderationē cognoscere possumus. Nam si ratio istorū nominū reddēda est, deinde & naturæ, quæ per ista nomina exprimitur, nō eadē poterit vtriusq; ratio assignari: nā quorū ratio non est eadem, horū & natura diuersa est. Dionysius Areopagita libro de diuinis nominibus: Ista (inquit) non ignorarunt Theologi, ipsamq; diuinam naturam, vt carentem nomine, celebrāt, cū Deum ipsum aiunt in vna sacratissimarum visionum apparentem, cum increpasse qui dixerat, Quod est nomen tuum? Ac veluti ab omni eum diuini nominis cognitione abducentem dixisse, Cur de nomine meo interrogas, quod est mirabile? An verò istud non est mirabile nomen, quod est super omne nomen, quod est sine nomine, quod omne nomen exuperat, quod nominatur, siue in

hoc seculo, siue in futuro? Vt plurimis verò nominibus præditum laudant, cū ipsum rursus inducunt dicentem, Ego sum qui sum, Vita, Lux, Deus, Veritas: Et cū ipsi diuina sapiētia illustres authorē omniū ex creaturis omnibus multis nominibus prædicant, vt bonū, vt pulchrum, vt sapientem, vt diligibilem, vt Deum Deorum, vt Dominū Dominorum, & sanctū sanctorum: vt æternum, vt existentem, vt seculorum authorem, & indultorē vitæ: vt sapientem, vt mentem, vt verbum, vt sciētē, vt thesauros omnes totius scientiæ in se eminentissimè habentem, vt virtutem, vt potentem, vt regem regum, vt antiquum dierum, vt insensibilem, & immutabilem: vt salutem, vt iustitiam, vt sanctificationem, vt redemptionem, vt magnitudine excellentem omnibus, & vt in aura tenui.

Ineffabilis itaq; Deus est: verūm iis vocibus vtimur, quibus eū significemus, cuius maiestas omninò incòprehensibilis est. Quis enim Deum sic definiat, vt quicquid in ipso est, complectatur? Authore vtar Simonide (ait Cicero:) de quo cū quæsiisset hoc idē tyrannus Hiero, deliberandi causa sibi vnum diem postulauit. Cū idem ex eo postridiè quæreret, biduū petiuit. Cū sapius duplicaret numerum dierū, admiransq; Hiero quæreret cur ita faceret: Quia quanto (inquit) diutius considero, tanto res mihi videtur obscurior. Via quidē remotioris ad eius cognitionem progredi oportet, vt scribit Augustinus. Si enim non potes còpre-

Lib. I. De  
nat. deor.

*Tract. 23.  
in Ioan.*

hendere quid Deus sit (inquit) comprehendere quid non sit. Non corpus, non terra, nō cœlū, non luna, non sol, non omne corpus. Tolle omne corpus, & rursus audi, Non est Deus mutabilis spiritus. Transi spiritum, qui modò scit, modò nescit, obliuiscitur, vult quod nolebat. Nec enim apud Deū est transmigratio, aut vicissitudinis obūbratio. Hūc licet ineffabilē, & inenarrabilem, esse tamen credis, & credendo ipsum diligis, & in eum omnem tuam spem conicias. Profiteris igitur Deum esse, licet explicare omninō non possis quicquid ipse est. Hoc credis quod & Gentiles & ipsi dæmones negare non audent. Est autem eius multiplex demonstratio, etsi neque miraculis, neque scripturis hæreamus. Nam (vt scribit Ioannes Damascenus) omnia entia aut creata sunt, aut increata. Si quidē creata omninō mutari possunt. Quorum enim esse à mutatione inceptit, ea & mutationi prorsus subiacerē necesse est, aut in interitum ruentia, aut voluntate alterabilia. Si verò increata, iuxta sermonis consequentiam, omninō & immutabilia. Quorum enim esse contrarium est, horū quoq; & simili pacto sermo contrarius est, hoc est, proprietates. Quis igitur nō cōsentiāt omnia entia, quæ nostro sensui subiacerēt, immò & Angelos, mutari & alterari, multipliciterque moueri atq; transmutari? Oportet autem ipsum opificem increatum esse. Increatus igitur cū sit ipse rerum opifex ac conditor, prorsus immutabilis erit. Hoc autem quid aliud fuerit quàm Deus?

*Lib. 1. Defi.  
de orthod.  
Cap. 3.*

*Dionysi lib.  
De diuin.  
meminib.  
Cap. 3.*

Sed & ipsa conditionis mundi coaptatio, conseruatio & gubernatio, nos apertè edocēt Deū esse, qui hoc totum consistentia firmat, & continet, & conseruat, semperque prouidet. Quomodo enim aduersantes naturę ignis, aqua, aër & terra, in vnus mundi complementum concurrissent adinuicem, & sine dissolutione perdurarent, nisi quæpiam omnipotens virtus & ea coniunxisset, & semper conseruet indissoluta? Quis autem est artifex horum, nisi Deus? Nam, vt scribit Origenes, Omne quod coagmentatum & conglutinatum est non per se conglutinatum est, sed ab alio: siquidem nec domus sine architecto, nec nauis sine nauis fabrico, nec pallium sine sartore, nec mundus sine eo qui eum ornauit atque distinguit, extare vllō modo potuit. Quòd si id quod fit, neq; à pari, neque ab inferiore minoreque efficitur: Deus autem infimis partibus omnia superat: profecto is est eorū quæ sunt & auctor & procurator: quādoquidem nec habitus est sine eo qui ordinat, nec lyra modularum somnū edit sine eo qui cantum ratione accomodat. Ita nec ea quæ sunt, sine Deo qui illa in lucem protulit, fuissent, nec facta permansissent, nisi eiusdem prouidentia præesset, quæ tabueret quod cuiusque naturæ accomodatū est: iis quidem quæ mentis sunt & rationis, conseruationem ac custodiam: animalibus autem, generis propagationem: iis verò quæ inanima sunt, permansionem: & aliis quidem alimentum triticum præberet, aliis autem pabulum,

nonnullis herbam, quibusdam somnia, aliis  
carnes: quemadmodum ex loco illo intelli-  
gicet, Omnia à te expectant, vt des illis cibum  
in tempore. Hunc ergo, quem omnis creatura  
in sua specie laudat, cuius nutu tota hæc fa-  
brica concutitur, hunc quem nemo hominum  
negare potest, vt esse cum omnibus sapienti-  
bus nouimus, ita & in eum cum fidelibus nos  
credere protestamur.

*Quòd Deus nisi fide incomprehensibilis  
est, incorporeus, & incircum-  
scriptus.*



VANTO quid à communi sensu dif-  
situm est, tanto & cognitu difficile  
est. Quanto igitur Dei cognitio dif-  
ficilior? Quæ in prospectu sunt, in-  
uenimus cum labore: quæ autem in cælis sunt  
quis inuestigabit? Sic enim (vt ex Platone in  
Theeteto scribit Theodoretus) Thaletem  
dum erecto vultu stellarum cursus obseruaret,  
in puteum fœdè collapsum perarguta elegans-  
q; Thressa fertur his dicteris aspersisse, quòd  
ea nosse quæ in cælo fierent, affectaret, qui ne  
prospicere quidem potuisset, quæ ad pedes si-  
bi posita versarentur. Nam quòd abstrusa es-  
set & penitus inuoluta primæ causæ, id est,  
Dei ipsius cognitio, Socrates ad moralem

*In Græcis  
affectioni-  
bus.*

Philosophiam studiosos pertraxit, cum hac  
suz opinionis sententia, Quæ supra nos, nihil  
ad nos: non quòd penitus homines ab vnus  
Dei confessione auocaret, sed quasi hoc, quòd  
vulgare est, doceret,

*Mitte arcana Dei, cælumque inquirere quid sit.*

Hoc nimirum grande scelus ab omnibus etiã  
Poëtis existimatum est, cum illi Prometheus  
in Caucaasi rupe vinctũ finxerint, quòd ignem  
curiosius è Iouis feretro abstulerit, vt suã Pan-  
doram animaret. Quid enim homini perni-  
ciosius esse potest, quàm ignem maiestatis il-  
lius æternæ curiosius perscrutari, cum lucem  
habitet inaccessibilem? Et quidem non riden-  
di, sed plorandi sunt hi, qui dum temerarij Dei  
secreta rimantur, in præcipitium erroris dedu-  
cuntur. Scrutator maiestatis opprimetur à glo-  
ria, inquit Sapiens. Et Dominus ad Iob: Vbi e-  
ras, quando ponebam fundamenta terræ? scie-  
bas quòd tunc nasciturus esses? Quot sunt qui  
seipos nesciunt, Deum tamen omninò se com-  
plecti putant? Ecquem verò non terret ipsum  
Dei nomen? Si enim oculorum aciem ne qui-  
dem in solis radios defigere possumus, quo-  
modo lucem illam Dei Optimi Max. omninò  
contemplari poterimus? Hoc sanè per fidem,  
quæ rerum non apparentium argumētum est.  
Dicis ergo, *Credo in Deum*: hoc te apprehende-  
re, & in eum te sperare protestaris, non quem  
oculis carnalibus videas, sed quem fide teneas  
& amplectaris. Nec enim Deus aliquid corpo-  
reum est, sed spiritus est: vnde & eos qui ado-

*Hesiod. lib.  
de opere &  
die.*

*Proverb. 25.  
Iob. 38.*

Lib. 1. de  
nat. Deor.

rant, in spiritu & veritate adorare oportet. Contemnendam Epicuri rationem docebat Cicero, qui vt Deum animam mundi esse negaret: Numquam (inquirebat) vidi animam rationis consiliisque participem in vlla nisi humana figura. At verò sic Epicurum eludit. Ne sit igitur sol, ne luna, ne stellæ: quoniam nihil esse potest, nisi quod atrigimus, aut vidimus. Quid? Deum ipsum nonne vidisti? Tollamus ergo omnia, quæ aut historia nobis, aut noua ratio affert. Ita fit, vt mediterranei mare esse non credant. Quæ sunt tantæ animi angustia, vt si Seriphi natus esses, nec vnquam egressus ex insula, in qua lepusculos, vulpeculasque sæpè vidisses: non crederes leones & pantheras esse, cum tibi quales essent, diceretur? Si verò de Elephanto quis diceret, etiam irrideri te putares? Basilii quidem doctè, Nihil est (ait) quòd dubites credere Deum esse inuisibilem, mox vbi tuam ipsius cognoueris animam, cum nec ipsa quidem corporeis oculis comprehendi possit. Nullo enim est picturata colore, nulla tincta schemate, nullo comprehensa corporeo caractere: tantum ex suis actionibus dignoscitur. Itaque de Deo nullam per oculos aucuperis cognitionem, sed vni mentis iudicio fide permessa, sensu tantum spirituali ipsum apprehendito. Et libro primo contra Eunomium: Ipsam quidem (inquit) Dei substantiam omnibus præterquam vnigenito & Spiritui sancto inuisibilem esse: ab operationibus autem Dei nos subleuatos, & per ea quæ facta

Homil. in  
dictis, At-  
tende tibi  
ipse.

sunt, factorem intelligentes, de sapientia ipsius ac bonitate admoneri. Hoc enim est cognoscibile Dei, quòd cunctis Deus manifestauit. Nam quæcunque apud Theologos de substantia Dei conscripta videntur, tropologia quædam vel allegoria ad alias sententias pergunt. Quare si quis subtiliori examine secundum promptiorem sensum nudis insistere literis contendet, ad Iudaicas & aniles fabulas deuolutus, inops perpetuò dignæ de Deo intelligentiæ consenescet. Præterquam enim quòd materialem quandam substantiam Dei intelliget, & impiis hac re gentibus coaceruabitur, variam etiam & compositam suspicabitur. Sic Propheta Ezechiel. Ex electro supra lumbos igni inferiora conflata, rursus ignem esse audiet: & à Daniele in alias imaginationes deducetur. Corporeum enim Deum ipsæ scripturæ dicere videntur, cum manum Dei, oculos, pedes, & cæteras corporis humani partes in ipso Deo exprimunt. Ex quo factum est, vt simpliciores olim Ascetæ Deum corporalem esse crederent, & sectam Anthropomorphitarum inducerent, cum in humana specie Deum esse arbitrarentur. Verum hæc metaphoricè & per translationem dicta sunt, vt à rebus sensibilibus ad spirituales deducamur. Sic enim per manum Dei potentia, per oculum cognitio, per aurem exauditio, per pedes eius vbique præsentia, per verba ipsius voluntas significatur. Nam cum Deus simplicissimus sit, & ab  
*Hiero. l. 6.  
de diuinis  
nominibus.*



ndò corporeus est. Quomodo enim corpus ali-  
quod expers compositionis esse poterit? De-  
lusus est olim Epicurus, quòd Deum non om-  
nindò corporeum, sed nec omnindò corporis  
expertem putaret. Negabat quidem eius esse  
corpus, sed tanquam corpus: nec sanguinem,  
sed tanquam sanguinem. Hoc verò quale esse  
posset, nisi umbra? Ad umbram igitur, non au-  
tem veritatem, fidem nostram delabi oportet.  
*Contra Ci-  
ceronem pro  
Platone.* Sed neque probandus Cicero, cum Plato-  
nis dogma explodit, qui Deum voluit esse sine  
corpore, quod corpus est *ἀσώματον*. Id verò  
quale (inquit) esse possit, intelligi non potest.  
Careat enim sensu necesse est, careat prudentia,  
careat voluptate, quæ omnia cum Deorum  
notione comprehendimus: quasi verò nec po-  
tiores hominis facultates ad animam referan-  
tur, quæ tamen & ipsa incorporea est, ut ad-  
misit Plato. Hic enim in Epinomide: Non est  
aliud quicquam (inquit) quod incorporeum ef-  
se queat, & omnindò coloris expers extra diui-  
nissimum illud genus, in quo est anima. Cuius  
generi soli fingere & fabricare conuenit: cor-  
pori verò fingi, gigni, atque oculis cerni. Tan-  
to autem abest, ut ipsa prudentia careat, si sine  
corpore fuerit: quòd & ipsam tum demum sa-  
pere dicimus, cum corporeis vinculis eripitur.  
Quid enim est nisi

*--longi patientia carceris ætas?*

Hinc Sapiens: Corpus quod corrumpitur, ag-  
grauat animam. Tum scilicet quæ spiritualia  
sunt, magis apprehendit, cum corporeis sensi-

bus minimè detinetur. Defluit autè in obscu-  
ram ignorantia caliginem, cum ad corpus & *Incorporea  
sapietia.* carnem inclinatur. Satius enim est ipsum Pla-  
tonem Ciceroni Platonem impugnantem re-  
spondere. Hic ergo dialogo sexto de republi-  
ca: Quando animus illi inhæret, in quo veritas  
(inquit) & ipsum ens emicat, intelligit illud,  
cognoscitque, & intellectum habere videtur:  
sed cum ad id fertur, quod tenebris est permix-  
tum, quod videlicet generat atque corrumpi-  
tur, eius obtunditur acies, opinionésque ver-  
sat varias, ac mentis expers esse videtur. Iam  
cum anima tanto liberior sit, quanto minus  
corporis organis illigatur: illa demum eius  
summa libertas sit, si sapiat, ratiocinetur, præ-  
caueat, consulat. Quis non videt minimè illam  
corpore iuuari? Quis non intelligit id quod  
incorporeum est, tãto magis sapere? Hoc cum  
in anima, quanto magis in prima illa & æter-  
na causa concludi oportet? Nisi fortè qui cor-  
poreum Deum habere volunt, hunc etiam ut  
Deus sit, sensu communi seu corporeo, volu-  
ptate denique carnis illici oportere sentiat:  
quod & olim Gentiles in suis diis agnoscebãt:  
adulteros illos, & simul permixtas illis pellic-  
ces. Sic enim Iuno in Hercule:

*seneca.*

*Soror tonantis, semper alienum Iouem*

*Et templa summi vidua deserui ætheris,*

*Locumque cælo pulsa pellicibus dedi.*

*Tellus colenda est, pellices cælum tenent.*

Hoc quàm blasphemum sit, quàm impium,  
quis non intelligit? Quis non totus horrore

concutitur, si rursus hæc audiat? Quid ergo rursus ad voluptatem corpus Deo necessarium esse dicent? Si enim de voluptate animi id à Cicerone positum est, stabit utique illa in Deo incorporeo, & omnis compositionis experte: cum, ut doctè Tertullianus, nouerit etiam anima sine corpore dolere, aut gaudere.

*Quod Deus est incorporeus.*

*Lib. 1. ca. 4.*

1. Damascenus Deum incorporeum esse confirmat multis rationibus. Oportet enim id quod corporeum est, finitum esse, Deus autem infinitus est. Sed & corpus omne, quod ex quatuor elementis conflatur, dissolubile est: Compositio enim pugnae principium est, pugna uero separationis, separatio autem dissolutionis. Atqui solutio alienum quid penitus à Deo est.
2. Quomodo uero componitur, cum per omnia meet, & impleat omnia Deus? sicut dicit Scriptura, Nonne cælum & terram ego impleo, dicit Dominus? Impossibile siquidem est corpus corpora permeare: nisi hoc quidem diuidat, illud uero diuidatur, cedat, recurrat, ut quæcunque liquidorum miscentur atque confunduntur. Si autem ipse, ut nonnulli aiunt, immateriale corpus est, ueluti & id quod apud Græcorum sapientes quintum corpus nominatur: hoc quidem impossibile. Nam mobile erit omnino perinde ac cælum: hoc enim quintum corpus appellant: quis igitur ipsum mouet? Omne enim quod mouetur, ut ab alio moueatur necesse est, idque sine termino, donec in quippiam decumbamus immobile. Hoc enim primum mouens immobile est, quod re-

vera Deus est. Cæterum quomodo non est loco circumscriptum quod mouetur? Sola igitur immobilis diuinitas: ipsa etiam sine corpore est. Cum itaque Deus incorporeus sit, rectè nos in eum credere profiteamur, ut quem non melius quàm fide apprehendamus: nam

*Tangere nec tangi, nisi corpus, nulla potest res.*

Ita cum Deus spiritus sit, ipsum nulli externorum sensuum subiici credendum est. Hoc testimonium Ioannes perhibuit: Deum nemo uidit unquam: Unigenitus qui est in sinu patris, ipse enarravit nobis. Si quo modo enim uisus est Iacob, Abrahæ & Prophetis, utique ex indulgentia Dei per uisiones & externas alias species. Ex iis efficitur, ut cum Deus incorporeus & immobilis sit, nec ipse ad locum communem, nec ad proprium terminatur. Verum legimus illum in cælis esse, quodque cælum illius sedes est, terra autem scabellum pedum eius est. Augustinus in epistola ad Hieronymum de origine anime: Ut anima (inquit) per omnes corporis particulas tota adest simul, nec minor in minoribus nec maior in maioribus: sed tamen in aliis intensius, in aliis remissius operatur, cum in singulis particulis corporis tota sit: ita & Deus cum sit in omnibus essentialiter, & totus, in illis tamen esse plenius dicitur, quos inhabitat, id est, in quibus ita est, ut faciat eos templum suum: & hi tales cum eo sunt iam ex parte, sed in beatitudine perfectè. Mali uero etsi sint ibi ubi ipse est qui nusquam deest, non tamen sunt in eo. Ergo ubi quid est, & ipse est. Verum quomo-

*Lucretius.*

*Quomodo Deus alicubi esse dicitur.*

*Augustin.*

Lib. de di-  
minis nomi.

3 ap. 8.

Cap. 18.

Lib. de in-  
comprehen-  
sibili Dei  
natura.

do ubi mali sunt? In eo quod non sunt. Malum enim nihil est, cum eius quod est, boni scilicet, priuatio sit, ut doctè scribit Dionysius Areopagita. Vnde & Sapiens, sapientiam pertingere dicit à fine vsque ad finem fortiter, & disponere omnia suauiter. Seuerianus Gabalarum Episcopus, hanc Salomonis sententiam explicans: Nec ipsum (inquit) solem, etsi in loca fœtencia luceat, fœtere & corrumpi videmus. Quid ergo contumeliæ Deo accidere arbitramur, si omnibus etiam malis adsit? In hoc enim illum adesse necesse est, quòd cuncta corrucere oporteret, nisi sua ille prouidentia omnia releuaret. Augustinus libro de agone Christiano: Nam (inquit) ut anima ablata ruit corpus, ita si Dei prouidentia ex vniuerso tollatur. Quomodo enim quid staret, nisi ei adesset Deus? Verùm (ut docet Chrysostomus) variis modis Deus esse dicitur. Adest enim omni creaturæ per essentiam & potentiam: quia in ipso viuimus, mouemur, & sumus. Adest & electis per gratiam, & beatis per gloriam: adest & Christo per hypostaticam vnionem. Placuit enim in ipso omnem plenitudinem diuinitatis inhabitare corporaliter. Cùm igitur audis Patrem illum nostrum in cœlis esse, ne illum non ubique esse arbitrere, sed maximè eius maiestatem in cœlis dignosci: nisi etiam (ut Gregorius in Canticis) per cœlos sanctos viros intelligas: nam & in ipsis est, & per gratiam, & tandem per gloriam. Neque interim vniuersum cœli & terræ Dei domicilium puta, quasi

qui

qui eo opus habeat ut sit. Æternus enim Deus est, cœtera verò initiū sortita sunt. Nec Deum implere sic omnia credas, ut & ea quæ locata sunt. Non includitur omnibus, aut in singula diuiditur, quasi suppositis indigeat ut esse dicatur. Exclamat enim Salomon: Ergone cœli cœlorum capere te possunt? Idem etiam Stephanus, quòd non in manufactis habitet, id est, circumscribatur. Hæc contra Gentiles, apud quos

*Iupiter augusta vix totus stabat in aede:*

qui totius orbis imperia partiti sunt, ut Ioui cœlum, Plutoni inferna, Neptuno verò mare Lib. de specederet. Deus, supra quem nihil (inquit Augu- culo ca. 33. stinus) extra quem nihil, sine quo nihil, vltra quem nihil, infra quem nihil. Deus, sub quo totum, cum quo totum, & à quo totum. Deus, à quo omnia, per quem omnia, & in quo omnia: nec tamen eum complectuntur omnia.

Quòd si quis obiecerit plenitudinem diuinitatis Christo inhabitasse: utique sanè, vnione suppositali, ita quidem, ut & ipsum diuinum suppositum incomprehensibile sit. Nam anima Christi in illo mortis triduo à corpore separata, supposito tamen vniebatur, quòd simul & in terra & in inferis esset. Sic enim cùm hîc inter homines versaretur, etiam & in sinu patris erat. Hoc scilicet testimonium perhibuit Ioannes Baptista, dicens: Deum nemo vidit vnquam: Vnigenitus filius, qui est in sinu patris, ipse enarrauit. Cùm itaque Deus incorporeus sit, nullo loco proprio circumscribi-

M

tur, quod omnibus corporibus accidit: sed neque loco communi dimeritur, quod tamen spiritibus creatis accidit. Nec enim Angeli, aut humana anima ubique sunt, aut non omnino alicubi esse dicuntur, quia loco proprio non circumscribuntur: sed illa tota in corpore, & illi in cœlo sunt, nisi hæc vinculis carnis absoluantur, & illi ad ministerium aliquod explendum mittantur. Neque etiam Deus in

2.

singula diuiditur, nec anima pars eius esse dicitur, quod nonnulli Philosophorum opinati sunt. Neque hoc vniuerso opus erat Deo, ut ipse esset: nec aliquid eorum omnium, quæ creata sunt, supposita diuina esse putantur.

3.

*Lib. 2. c. II.* Hinc & Augustinus contra Maximinum disputans, eludit quæstiones illas quæ à curiosis hominibus ingerebantur, ubi esset Deus, antequam vniuersa hæc crearentur. In se verò habitabat, inquit Augustinus. In te habitat, & apud se est. Hoc nos de prima illa & æterna omnium rerum causa fide apprehendimus, quæ omnem motum, locum, tempus, omnem denique rem præcedat. Verum nec satis est Deum agnoscere, nisi & ipsum vnum, id est, nisi in eum solum omnia tua coniicias, quæ aut à creaturæ, aut gratiæ bonitate dependent.

*Quod Deus vnus est, Pater, idemque omnipotens.*



ROPTER vnumquodque tale, & id ipsum magis, ut dicit Philosophus. Si enim aliquid lucere dicitur, quod lumen à sole accipiat: solem quoque ipsum lucidiorem esse manifestum erit. Itaque cum omnia à Deo, ut prima causa, pendeant: si quid est in creaturâ virtutis, si quid potestatis, si quid sapientiæ, si quid sanctitatis, ad Deum, ut fontem, omnia reuocare oportebit: qui ut summus in ratione essentiæ, ita & in cæteris omnibus primum & supremum gradum tenebit. Nec enim plures primæ causæ, non plures dii sunt, sed ad vnum omnia concurrere oportet. Vnus sol in cœlo, vnus Phœnix, vnum in animante caput, an non etiam Dei vnitatem commendat? Lactantius: Quid si (inquit) tot in exercitu fuerint imperatores, quot cohortes?

*Nulla fides regni sociis, omnisque potestas*

*Impatiens consortis erit.*

*Lucianus l.  
I. de bello  
Pharsal.*

Quid si ad vnum omnia humana imperia concurrunt, quant magis ad vnum Deum quicquid est, refluit? Hoc olim Erythræa Sibylla, in iis versibus quos legati Romam attulerunt.

*Εἰς Θεὸς ὁς μόνος ἔστιν, ὑπερμεγέθους ἀγέννητος:* id est,

*Vnus Deus est, qui supergreditur omnem magnitudinem, non factus.*

Illum etiam solū coli oportere docet, adiiciens,  
*Αὐτὸν τὸν μόνον ὄντα σεβέσθαι ἡγήτορα  
κόσμου,*

ὁς μόνος εἰς αἰῶνα καὶ ἐξ αἰῶνος ἔτυχε.  
 Ipsum solum colite rectorem mundi,  
 Qui solus in seculum & ex seculo extitit.

Item alia Sibylla, quæcunque est, cum perferre se ad homines Dei vocem diceret, sic ait,

Εἰς μόνος εἰ μὴ Θεός, καὶ ἄν ἐστὶ θεός ἄλλος.  
 Unus solus sum Deus & non est alius Deus.

Et hæc quidē sacris scripturis omninò respondent: vt cum Deuteronomij quarto dicitur, Scito hodie, & cogitato in corde tuo, quòd Dominus ipse est Deus in cælo sursum, & in terra deorsum, & non est alius. Et capite sexto: Audi Israël, Dominus Deus tuus, Deus vnus est. Et trigesimo secūdo: Videte quòd ego sum Deus, & non est alius Deus præter me. Hic enim est, qui apud Esaïam, Ego primus (inquit) & ego nouissimus, & absque me non est Deus. Quis similis mei? Numquid est Deus absque me? Quoniã (vt habet Psaltes) quis Deus præter Deū nostrū? Omnia ossa mea dicent, Domine, quis similis tibi? Quoniã Deus magnus Dominus, & rex magnus super omnes Deos: Quia in manu eius sunt omnes fines terræ, & altitudines montiū ipse conspicit. Quoniam ipsius est mare, & ipse fecit illud, & aridam fundauerunt manus eius. Et vt Exodi quintodecimo: Quis similis tui in fortibus, Domine, quis similis tui? Magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia. Ille enim & optimus, & potentissimus, ille sanctissimus & sapiētissimus est. Non ergo solum hunc vnum Deum agnoscimus, sed & Patrem omnipo-

Esai. 44.  
 & 45.

Psal. 8.  
 Psal. 35.

Psal. 95.

tentem, ad ipsam eius immensam potentiam reducētes omnia, quæ super excellere censentur. Petrus Chrysologus, Hæc vox (inquit) totum Trinitatis fatetur & aperit sacramentum. Deum, dicit, non Deos: quia vnum Deum Trinitate credit Christiana fides, scit patrem, scit filium, scit Spiritum sanctum: Deos nescit. Diuinitas quidem in personis est, & ipsa in Trinitate vnica, personis Trinitas distincta est, non est diuisa substantiis. Deus vnus est, sed in Trinitate, Deus solus est, sed non solitarius. Diuinitate nec Trinitate diuiditur, nec confunditur vnitate. Nam (vt Eusebius Emis-

Serm. 60.

Hom. 1. de  
 simbolo.

nus) per Dei appellationem commune adhuc Trinitatis nomen locurus es. Cum verò dicis, Credo in Deum patrem, ecce vnam iam expressisti de Trinitate personam. Credo in Deum dicere & Iudæi & Ariani possunt: Credo in Deum patrem, iam Iudæi dicere non possunt. Quare? Quia Dominus dicit in Euangelio, Qui filium non habet, nec patrem habet. Quomodo autem pater habetur, si filius cum quo patris nomen est, non credatur: sicut enim filius ex patre, ita paternitatis vocabulum ex filio est. Maximus verò, In Deo (inquit) natura innascibilis, in patre vnigeniti veritas, in omnipotente plenitudo virtutis ostenditur. Cæterum (vt adiicit Chrysologus) qui credit patrem & filium, ætates non sentiat, gradus non cogitet, non tempora suspicetur, non conceptum querat, nesciat partum. Qui Deum credit, diuina confessus est, non humana. Sed dicit hæreti-

\*  
 cus, Quomodo pater, si non præcedit? quomodo filius, si non sequitur? quomodo non dat initium qui generat? quomodo quod generatur, principium à generante non sumit? Hoc ratio docet, hoc natura probat. Erras, hæreticè: hoc habet humana ratio, non habet hoc diuina: hoc accipit natura mundi, non deitatis. Fragilitas humana concipitur, & concipit: parturitur, & parturit: generatur, & generat: accipit initium, & dat finem: mortem suscipit, & refundit, & reseruat in sobole quicquid suæ conditionis est & nature. Deus verò pater non genuit in tempore, quia tempus ignorat: non dedit initium, qui initium nescit: non transfudit finem, qui non habet finem: sed sic genuit ex se filium, ut totum quod in se erat, esset, & maneret in filio. Honor geniti, generantis honor est: perfectio geniti, generantis forma est: minoratio geniti recurrit ad generantis iniuriam. Sed hæc audiens hæreticè, non quæras quomodo ista sint. Dixisti Deum, credidisti patrem, omnipotentem confessus es: si dubitas, mentitus es. Credo si dicis, quomodo non credis, sed discutis? Si putas impossibile, omnipotentiam quam confessus es, sustulisti. Cæterum (ut habet Augustinus) omnipotens est ad facienda maiora & minora, omnipotens est ad cælestia & terrestria: omnipotens est ad facienda immortalia & mortalia, spiritualia & corporalia, visibilia & inuisibilia: sic magnus in magnis, nec paruus est in minimis. Postremò omnipotens est ad facienda omnia, quæ facere

*Quomodo  
 Deus est  
 omnipotens.  
 Tom. 10.  
 ser. 119. de  
 tempore.*

voluerit. Nam ego dico quanta non possit. Non potest mori, non potest peccare, non potest mentiri, non potest falli. Tanta non potest: quæ si posset, non esset omnipotens. Hæc enim non ad potestatis, sed defectus regulam referuntur. Ut qui hominem corpore potentem dixerit, non claudum, surdum, mancum, cæcum, coclitem, aut aliqua in parte mutilatum, sed sanum omnino: sunt enim cæcitas, & cætera illa, non ad bonam corporis valetudinem, sed infirmitatem referenda. Et qui timidum, ignauum, & stolidum dixerit, iam omnem animi magnitudinem sustulerit: ita qui posse mori, mentiri, seipsum negare, Deo inesse astruerent, ipsum omnipotentem esse negaret: sunt enim hæc in Deo contradictoria, cum summè bonus & perfectus sit. Facit quicquid vult (inquit Augustinus) ipsa est omnipotentia. Facit quicquid bene vult, quicquid iuste vult: quicquid autem malè fit, non vult. Nemo resistit omnipotenti, ut non quod vult, faciat. Hoc ille apud Abraham testatur, dicens, Ego Deus omnipotens, ambula coram me, & esto perfectus. Et in Iob legitur, Scio quia omnia potest. Sed & ait Sophar Naamathites, Forsitan Dei vestigia comprehendes, & ad perfectum omnipotentem reperies. Excelsior cælo est: quid facies? Profundior inferno: & vnde cognoscas? Longior terra mensura eius, & latior mari. Si subuerterit omnia, vel in vnum coarctauerit, quis contradicet, & dicet ei, Cur ita facis? Mirantur nonnulli hominum potentiam: maior

*Lib. 1. de  
 Symbolo ad  
 catech. c. 1.  
 Genes. 17.  
 Iob. 42.  
 Iob. 11.*

Tertullianus  
lib. I.  
contra Mar-  
cionem.

est autem potestas Angelorum: Dei autem maxima. Hanc etiam in minimis considerandam monet Tertullianus: sic enim magnitudinē in mediocritate probari docet, ut & virtus in infirmitate cognoscitur. Imitare, si potes, inquit) apis ædificia, formicæ stabula, araneæ retia, bombycis stamina: sustine, si potes, illas ipsas lectuli & tegetis tuæ bestias, cantharidis venena, muscæ spicula, culicis & tubam & lanceam. Qualia erunt maiora, cum tam modicis aut iuuaris, aut læderis, ut nec in modicis despicias creatorem? Nam si in minimis tantus est Deus, quantus quæso in semetipso erit? Si flumen exhauriri non potest, quomodo mare? Quis metietur vim granorum, naturas rerum, & vim innatam lapidibus? Norunt lapidarij, quanta vis sit gemmarum: simplicium etiam dixerim calculorum. Sed & quanta herbuscularum, radicum, foliorum, florum, fructuum, quis satis expendere possit? Minus autem influxus astrorum, planetarum, cometarum, cæterorumque omnium, quæ in cœlesti regione sunt. Hæc cum animo nostro dimetiri minimè valeamus, quis diuinam omnipotētiā mente complectetur? Quis eorum, qui se Christianos profitentur, potestatem hanc immensam certis limitibus circumscribere audebit, cum ipsi etiam Gentiles Poëtæ, vi rationum, & ordine naturæ coacti, omnipotentem illum summum Deum admittant? Hesiodus enim idem ferè sequitur argumentum, quod & sanctissima virgo in Cantico, cum ait,

Luc. I.  
Lib. I. de o-  
pere & die

Ρ'εῖα μὴ γὰρ βεῖαι, ρ'εῖα δὲ βεῖοντα χα-  
λέπει

Ρ'εῖα δ' ἀρίστον μινύθει, καὶ ἀδύλον ἀέξει.

Ρ'εῖα δὲ τ' ἰθαυεὶ σκολιόν, καὶ ἀγίον καί ρ'φαι  
Ζεὺς ὑψιθεμέτης.

Eadem enim ferè illa sonant atque hæc verba Cantici, Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles: Esurientes impleuit bonis, &c. quod & sequitur Horatius, vnum iam Deum agnoscens, quem prius contempserat. Ait enim

Lib. I. oda.

*Valet ima summis*

*Mutare, & insignem attenuat Deus,*

*Obscura promens.*

Quin & Homerus non alia ratione ab Ioue nutritos reges vocat, quàm quòd ut Rex Iosaphat agnouit, Illius est potentia, illius regnum & ipse est super omnes Gentes: siquidem ut in Iliade,

Θυμὸς δὲ μέγας ἐστὶ διοτρεφέος βασιλῆος,

Τιμὴ δ' ἐν Διὸς ἐστὶ.

*Ira quidem magna est ab Ioue nutriti regis,*

*Honor autem ab Ioue est.*

Porro Dei omnipotentia etiā & illius simplicitatem confirmat. Quid enim (ait Lactan-  
tius) multis opus est ad mundi regimen sustinendum? Nisi fortè arbitremur, si plures sint, minus habere singulos neruorum, atque virium. Quod quidem faciunt ij, qui esse multos volunt: quia necesse est imbecilles esse: siquidem singuli sine auxilio reliquorum, tātæ molis gubernaculum sustinere non possent. Deus

Lib. I. cap. 3

Unitas Dei  
probatur.

autem, qui est æterna mens, ex omni utique parte perfectæ consummatæque virtutis est. Quod si verum est, vnus sit necesse est. Potestas enim vel virtus absoluta retinet suam propriam firmitatem. Id autem solidū existimandum est, cui nihil decedere: id perfectū, cui nihil possit accedere. Quis dubitet potentissimū esse Regem, qui totius orbis habeat imperiū? Neque immeritò: cū illius sint, quæ vbiq̄ue sint omnia: cū ad solum omnes vndique copix congerantur. At si plures partiantur orbem, minus certè op̄m, minus virium singuli habebunt, cū intra præscriptam portionem se quisque contineat. Eodem etiam modo dij si plures sint, minus valebunt, aliis tantumdem in se habentibus. Virtutis autem perfecta natura non potest esse, nisi in eo in quo totum est, non in eo in quo pars exigua de toto est. Cū ergo Deus vnus sit, idem etiam & omnipotens est. Origines dialogo de recta in Deum fide, Marcionitarum errorem deludit, qui vt etiam Manichæi, Deum bonum, & alterum malum fingebant. Easdem rationes sequitur Cyrillus Hierosolymitanus in suis Catechesibus. Ausi sunt hæretici dicere duos Deos esse (inquit) & duos fontes, alterum boni, alterum mali, & eos ingenitos. Si ambo ingeniti, certum est omninò, quòd æquales habeant, vtrique vires. Quomodo igitur tollunt tenebræ lumen? Sed quid tandem? simulne sunt, an separatim? simul enim esse non possunt. Quæ enim communicatio luci cum

Catech. 6.

tenebris? Si autem procul sunt ab inuicē, omninò & locos proprios habent. Omninò alibi & vnum adorabimus: sic enim comparare oportet, vt ex eorum stultitia, quod vnum adorare necesse est, inferamus. Quæramus autem ex illis, quid dicunt de bono Deo? Potens est, an impotens? Si quidem potens, & quomodo ipso inuito factus est malus? Quomodo ingressa est mala substantia, ipso nolente? Si enim sciens prohibere non potuit, arguunt illum impotentie: si autem cū posset, non prohibuit, proditionis eum accusant. Ex his necessario consequitur, vnicum esse Deum omnipotentem. Hoc Angelus ad D. Virginem asseruit, quòd non est apud ipsum impossibile omne verbum. Nimirum inter Dei nomina, 70 Saddai celebratur, quod Omnipotentem sonat. Sicut & Genesios vigesimo octauo El Saddai, Deus omnipotens benedicat tibi: & trigesimo quinto, Ego (inquit ad Iacob) Elsaddai, Deus omnipotens, cresce & multiplicare: & quadragesimo tertio, El saddai, Deus omnipotens faciat vobis eum placabilem. Numquid enim manus Domini inualida est? Illum hac oratione prouocabat Hester: Domine, Rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita, & non est qui tuæ possit resistere voluntati. Basilius Homelia in Mamantem martyrem: Quantus sit Deus (inquit) & quanta illius mensura, & quæ illius essentia, talia sciscitanti sunt periculosa, ei qui rogatur perplexa, & taliū medi-

Num. 11.

Hester. 13.



cina est silētiū. Vnde enim periculosior hæresis emerfit, quàm vbi in Dei potentia quis hæsitauit? Eapropter Sara post ostiū risit, dubitans, possetne senio iā cōfecta sobolē habere. Sed & Moses in rupe Deū prouocauit, cū diceret, Poteritne vobis Deus educere aquam è petra? Populus etiam vindicem sibi Dei manum accersuit, clamans, Poteritne nobis Deus parare mensam in deserto? Rapsaces Dei potestatem deridebat, quasi populum suum à furore tyranni eruere non posset. Quinetiam Princeps, cui Rex Samariæ temporibus Helisæi incumbabat, irritauit Deum in se, quòd diceret Prophetæ: Etiam si fecerit Deus cataractas in cælo, num poterit esse quod dicis? Et quidem his maximè temporibus hæreticos Dei potentiam negare videmus, cū alij impossibilem mandatorum obseruantiam dicunt, quauis etiam Dei assistente gratia: alij nec quidem Christum suum ipsius corpus nobis in sacrosanctis Eucharistiæ mysteriis porrigere posse negant, Petrus Cluniacensis ad diuinæ potestatis meditationem prophanos illos reducit, dicens, Si voluit & potuit, fecit. Quis voluntatem negabit, cū verbum audierit? Quis potestatem, si fidelis fuerit? Nam (vt doctè Richardus de sancto Victore) qui fecit vt corpus esset in loco circumscriptiuè, facere potest vt & aliter existat. Nam & locum, & corpus fecit. Neque vero ad id quod fecit, necessitate adigitur, cū omnipotens sit. Latius vero sese hæc habet

*Contra Pe-  
trobrusian-  
nos.*

*Lib. 2. de  
fact.*

confessio. Nam vt Cyrillus Catechesi illuminatorum octaua Deum, inquit, omnipotentem dicimus, tam propter Græcos, quàm Iudæos, & hæreticos. Ex Græcis enim quidam fortunam Deum esse mundi dixerunt. Alij verò potestatem Dei in cælum, nō autem in terram extendi putarunt. Alij errantes simul cum illis, & dicto illo abutentes, quod dicit, Et veritas tua vsque ad nubes: ausi sunt Dei prouidentiam nubibus & cælo circumscribere, & terram ab illa alienare, obliui psalmi qui dicit, Si ascendero in cælum, tu illic es: si descendero in infernum, ades. Si enim nihil cælo excelsius, nihil inferno profundius est, qui dominatur extremis, attingit & terram mediam. Sunt & qui negant Deum in corpus & animam habere potestatem. Sed redarguit istos Dominus dicens, Timete eum qui potest & animam & corpus mittere in gehennam. Si enim vtriusque nō haberet potestatem, quomodo vtriusque pœnæ subiiceret Pater Domini nostri Iesu Christi? Verum non statim perdit impios, dixerit aliquis. Dissimulat verò peccata hominum propter pœnitentiam. Omnibus cum potestate dominatur, sed multa tolerat voluntate. Nam dominatur & idolatris, sed sustinet eos per multam patientiam: tolerat & hæreticos per longanimitatem. Tenet & imperium super diabolum: neq; enim tanquam non potēs, aut victus, illum sustinet. Permittit autem illi viuere duabus de causis: vt ille magis confundatur, homines verò magis coronentur.

O sapientissimam Dei prouidentiam: quæ malum etiam propositum in salutis occasionem conuertit. Nihil igitur Dei effugit potestatem.

*Quòd Deus omnia de nihilo creauit, & de creatione Angelorum & lapsu.*

**Q**UIS est, qui Principum fauorem magni faciat, quò contra aduersos tutior, & in prosperis stabilior euadat: quanto magis, si Deum quis propitium habuerit? si in eum omnem spem suam & fiduciam coniciat? Præterit enim figura huius mundi, Dominus autem manet in æternum. Liberè itaque quisq; fidelium clamare potest id Psaltis: Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus. Hoc itaque nos primum protestamur, cum quisque nostrum dicit, Credo in Deum patrem omnipotentem, creatorem cæli & terræ. Cum enim nihil maius Deo nouerimus, summam in eum fiduciam coniciamus. Tanto enim nostra seruitus, cultus & fiducia securior est, quãto à corruptione semotior. Non enim elementis, non cælo, non astris, non hominibus, sed soli Deo illum cultum exhibemus. Adorarunt olim Chaldæi ignem, alij Iouem, alij Belum, alij alia idola coluerunt, & creatori debitum honorem temerariè rebus creatis exhibuerunt: Nos autem in Deum omnium creatorem speramus. A uarus

adorat Plutonem & diuitias. Hinc scilicet & Paulus illam habendi cupiditatem, idolorum seruitutem vocat, cum qui se ei, Mammonæ etiam seruituti addixerit. Qui autè libidini deditus est, Venerem colit: qui gulæ, Bacchum pro summo numine sibi selegit: cum etiã Paulus quosdam scripserit, non Domino Iesu seruire, sed suo ventri. Nam (vt doctè Theodoretus in Græcis affectionibus) Gentiles olim vitia illa Deorum nomine insignibant: ne non longè ab huius vniuersi opifice descuuisse uiderentur. Nos verò neq; homines etiam Deo præferimus, nec ipsos sanctos, vt olim responderunt Christiani: cum creatorem à creatura, Dominum à seruis distinguamus. Honoramus quidem illos, cum gloria, honor & pax sit omni operanti bonum, vt monet Apostolus: ita tamen, vt honor ille redundet in Dominum. Si quid enim est in opere aliquo industriæ, si quid laudis, num ad artificem illa refertur? Ad Deum igitur creatorem cæli & terræ reducimus omnem vim, & perfectionem nature, siue illa in cælo sit, siue in terra.

Cæterum vt creare est ex nihilo aliquid facere, ita *Creatorem* intelligimus eum, qui nulla præexistente materia, omnia condidit. Nam sicut per trãsmutationem rerum, & ab eo quod sit, ad alium trãsitionem aliquid facere in creaturis situm est: ita ex nihilo aliquid condere Deo est propriissimum. Eapropter Iustinus Martyr in Apologetico contra Gentes, Platonem arguit, quò in Timæo Deum denomina-

*Euseb. lib.*

*4. Histor.*

*Eccles.*

*Cap. 16.*

*Damasc.*

*lib. 4. De fi-*

*de orthod.*

*Cap. 16.*

merit *ἀρχιτεκτονικόν*, architectum, non autem *πλασματικόν*, plasmatorum, & creatorem: quod ille coæternam ei materiam statuerit, è qua tandem omnia formarit. Et hoc quidem ille deprompsisse visus est ex male intellecto Mosai-  
cæ Geneseos exordio, ubi hæc leguntur. Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ ferebantur super faciem abyssi. Siquidem Platonica doctrinæ non contemnendus discipulus hæc cecinit post Hesiodum:

*Ovidius*  
*Lib. 1. Metamorph.*  
*Ante mare & terras, & quod tegit omnia cælum,*  
*Unus erat toto naturæ vultus in orbe,*  
*Quem dixere Chaos, rudis indigestaque moles,*  
*Et malè iunctarum discordia semina rerum,*  
*Nequicquam nisi pendus iners.*

*Sermo exhortatorio ad Gentes.* Justinus Martyr Platonis dogma quod fuerit, & unde profluxerit, explicat. Dum Plato (inquit) post Deum principia rerum facit materiam & idæam, non aliundè quàm à Mose occasionem nactus videtur: qui tametsi seu speciei seu idææ nomen è Mosai-  
cæ scriptis didicerat, nondùm tamen è peritis eorum audierat nullam ex his acquiri certam notitiam, absque contemplatione mystica. Scribit enim Moses Deum sic ad ipsum locutum de suo tabernaculo: Facies mihi tabernaculum per omnia simile exemplari, quod in monte præscriptum ostendi tibi. Ac rursus paulò post: Sic utique facies iuxta formam, quam in monte ostendi tibi. Hæc scripta nactus Plato, postquam diligenter pensitavit, ut debuit: existimavit esse quandam antiquiorem speciem, separatam ab  
ista

ista quæ sensu percipitur, illam etiam rerum exemplar nominare solitus. Ad eundem de terra, cælo, homine, in errorem lapsus videtur: nã & horum idæas esse putat. Moses scribit, In principio fecit Deus cælum & terram, deinde subiungit, Terra autem erat rudis, & inuisibilis. Id ita intellexit Philosophus, quasi dictum sit de antiquiore quadam terra inuisibili, secundum quam, terram sensibilem fecerit Deus. Ex Platonis dogmate Hermogenes his rationibus Deum ex præexistente materia, omnia fecisse dicebat, ut scribit Tertullianus: quod Deus omnia aut de semetipso, aut de aliquo, aut de nihilo fecisset. Si de semetipso, aut ergo ex sui parte, aut ex se toto. Non de sui parte: alioquin illa quæ fecisset, partes Dei dicerentur, cum tamen sit Deus indivisibilis: sed & illa, si ex Dei parte confecta essent, imperfecta censerentur. Quod si ex se toto fecisset omnia, tum esset totum & non totum: quia oporteret & totum esse, ut ipse operaretur, & totum non esse, si opus spectes quod fieret de semetipso. Sed & qui æternus est, non fit: non ergo ex semetipso toto, nec ex sui parte omnia fecit. Tum demùm progrediebatur hermogenes ad impugnandam illam fidei nostræ thesin, quod ex nihilo Deus fecerit cælum & terram, Hoc modo: Inter rerum creatarum genera, quædam mala facta sunt: quæ cum Deus optimus arbitrio suo minimè fecerit, intelligi oportet ex præexistentis alicuius materiæ vitio id emeruisse. Adiciebat etiã Deum simul & Dominum semper fuisse.

*Tertullia.*  
*Lib. 1. contra Hermog.*

Cap. 2. Aliquid igitur in quod dominaretur, semper fuisse, nimirum coæternam illi materiam. Sic concludebat quod tertio libro dixerat, Deum scilicet ex aliquo omnia fecisse. Verum pro Catholica Ecclesia respondit Tertullianus, Deum nec ex se toto, nec è sui parte, tanquam ex materia, aliquid fecisse: sed neque malum aliquid esse ex parte materiæ, ac si quid ei vitij annexum sit: & Dominum dici incepisse post creationem, semper autem fuisse Deum. Relinquitur igitur ipsum ex nihilo omnia creasse. Augustinus libro de fide & symbolo, docet omnino reiiciendum hoc dogma de coæterna Deo materia, quod ex ea consequatur Deum non esse omnipotentem. Carnali scilicet (ait) consuetudine videntes fabros & domorum structores, & quoslibet opifices, non nisi parata materia operari non posse. Atqui nihil est, cuius creator non sit: quia etsi fecit aliquid ex aliquo, sicut hominem ex limo, non utique fecit ex eo quod ipse non fecerat: quia terram, unde limus est, ex nihilo fecerat.

Epist. 141. ad Cesaria. nos. Hoc ergo quod in Symbolo protestamur, alludit ad initium Geneseos, In principio creavit Deus cælum & terram. Tria autem sunt creationum genera, ait Basilius: Vnum quidem ac primum eorum quæ ex nihilo, cum non essent, ad hoc ut essent, sunt condita. Alterum eorum quæ ex prioribus ad meliora immutantur, ut regeneratio per baptismum. Tertium, quod est in resurrectione mortuorum. Hic de primo genere, ut Deum rerum omnium causam & patrem agno-

scamus: vbi & præclarissima, & omnium optima edoceri sumus, teste Philone. Primum esse, & subsistere in rerum natura aliquod numen, idque propter impios, ostensum est: quod vnus etiam sit iste mundus, quia creator eius sit vnus: quod mundus is est creatus, propter eos qui statuerunt eum sempiternum: quod Deus sit vnus, ne multitudinem Deorum cum quibusdam inducamus: postremo, quod Deus gubernet & regat hunc ipsum quem fecit. Basilius de opere sex dierum, monet etiam nec dubitari posse, mundum, istum finem habiturum, ut qui principium sortitus sit: solus enim Deus æternus est. Attamen nec omnem mundi annihilationem putato, sed transitionem & mutationem: si quidem & ea ratione diceret animam perituram. Fatemur quidem illam mutabilem, sed & præterituras figuram huius mundi. Mitius tamen hæc dicuntur (ait Augustinus) quam si interituras censemus. Sic denique transitura omnia, solum autem Deum æternum protestamur. Ne verò arbitraris ex Symboli fide solum patrem creatorem, intelligi Trinitatis mysterium obiter notat Moses, dicens, בראשית ברא אלהים Beresith bara Elohim, hoc est, In principio creavit dij. Nā ברא seu ברא singulari est: pluraliter autem dicitur dij, cum tamē Bara in singulari Creavit designet, non autē Barea, quod est Creauerunt: ut discas tres personas, vnum autem Deum operantem. Hoc non præterierunt silentio Chaldæi, qui ייך Iaij vertunt per triplex Iod, quod tres personæ nomen vnus Dei habeant: sic nimirum creatio toti Trinita-

ti tribuitur. Vt cum apud Psaltē legimus, Verbo Domini cœli firmati sūt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum: ad vnū Dominum patrē, & Verbum eius filium, & Spiritum vtriusque rerum omnium opificium refertur. Nec enim sic patrem creatorem agnoscimus, vt idē nomen filio & spiritui conuenire negemus, cum Dei nomen patri etiam & toti Trinitati deferamus. De filio enim dicitur, inquit, Apostolus, Tu in principio, Domine, terrā fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli. Ipsi peribunt, tu autem permanebis, & omnes vt vestimentū veterascent. Et, Velut amictum mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. Primo tamē loco pater sic creator agnoscitur, vt qui sit rationalis origo filij, primus deniq; nostro intellectui occurrat. Nā communes esse externas operationes patris & filij Christus ipse testatur, his verbis, Pater meus vsque modō operatur, & ego operor. Et rursus, Sicut pater suscitāt mortuos & viuificat, sic & filius quos vult, viuificat. Et alibi, Non reliquit me solum, & quæ ei placita sunt, facio semper. Siquidem (vt Basilus libro quinto contra Eunomium asserit) vna planē & eadem operatio dei per filium in Spiritu videtur, & Trinitas dissepationem non suscipit: sed secundum veram Pauli doctrinam, diuisiones gratiarū sunt, idem autem spiritus: & diuisiones administrationum, idem autem dominus: & diuisiones operationum sunt, idē verō deus qui operatur omnia in omnibus.

Heb. i.  
 Psal. 101.

Ioan. 6.  
 Ioan. 5.

Porro Velleius apud Ciceronem, & simul cum illo curiosi nonnulli fortasse requirent, quo tandem pacto mundus hic ædificatus est. Quæ molitio? quæ ferramenta? qui vectes? quæ machinæ? qui ministri tanti muneris fuerunt? Quemadmodum autem obedire & parere voluntati architecti, aër, ignis, aqua, terra potuerunt? vnde verò ortæ illæ quinque formæ, ex quibus reliquæ formantur, aptè cadentes ad afficiendum animū, pariendosque sensus? At verò (vt respondet regius Psalter) dixit & facta sunt, mandauit & creata sunt. Vtque ex Sibyllinis oraculis ipse etiam Ouidius discere potuit:

*Institit & extendi campos, subsidere valles,  
 Fronde tegi sylvas, lapidosos surgere montes,  
 Ille opifex rerum, mundi melioris origo.*

Sic enim Erythræa Sibylla,

*Πρωτον δή κέχαιά με Θεός, ὡς ἐγενήθη  
 Ἀρεκέως κόσμος: quod est,*

*Primum quænam sit origo*

*Mundi, dicere me deus imperat. Et rursus,*

*Υψιστον βασιλῆα, ὃς ἐκπισε κόσμον ἀπαντα,  
 εἰπῶς γνάστω, ἃ γένατο: id est,*


*Excelsum Regem mundi, qui cuncta creauit,*

*Dicens, fiat, & est factum.*

Attribuere enim substantiam eorum quæ facta sunt, virtuti & voluntati eius, qui est omnium Deus (inquit Irenæus) & credibile, & acceptabile, & constans est: quoniam quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud deum: quodque homines quidem de ni-

Lib. 1. de natura  
 deor.

Lib. 2. in Irenæo  
 lent. cap. 11.



hilo possunt aliquid facere, sed de materia subiacenti. Deus autem quàm homines melior, eo quòd materiã fabricationis suæ, cùm antè non esset, ipse adinuenit. In principio, in ictu oculi creauit & cœlũ & terram, & quicquid illorum ambitu cõtinetur. Iunilius Africanus in Opere sex dierũ, hïc contẽplandam Dei maiestatem, illũq; à cõmuni opificũ ordine discernẽdũ monet. Nam si quando aliquid facimus, verbi gratia Domũ ædificamus, primũ materiã preparamus, demũ fodimus in altũ, deinde mittimus lapides in fundamentũ: sic deniq; lapides congerimus, vt parietes & tectũ erigamus, & paulatim ad perfectionẽ operis perueniamus. At verò Deus non eguit mora tẽporũ, sed fecit omnia in principio. Cæterũ quod in Genesi legimus, dixisse illum, Fiat lux, factamq; lucẽ, Basilius verbũ dixit pro volũtatis momẽto interpretatur. Aderat enim posse quando veller. Quãdo ergo voluit, omnia fecit. Si enim Centurio vni è domesticis ait, Vade, & vadit: si alteri, Veni, & venit: quanto maiore cum maiestate iubere potest Christus, & dicere, fiat tibi secundũ fidem tuã? Fiat, inquit. Imperat, & statim fit, nec habet alicuius opus adminiculo.

Ceterũ cùm credis Creatorẽ cœli & terre, includis omnia, vt ab vno fonte & summo bono proficiscatur. Hoc Nicenũ symbolũ fufius exprimit, cùm dicit, factorem cœli & terre, visibilibus omniũ & inuisibilibus. Siquidẽ olim nonnulli visibilia vni Deo, & inuisibilia alteri ribuebãt: sicut & in nostra Francia Luciabel-

liani, & pridẽ Gnostici, qui inuisibiles quasdã potestates à Deo secernebant. Augustinus per cœlum cœlestes omnes, per terrã terrenas omnes creaturas intelligit. Cœlestium autẽ precipui sunt Angeli, terrenorũ homines. De Angelis legimus: Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flãmã ignis. Et Dominũ dicẽtẽ ad Iob, Vbi eras cùm ponerẽ fundamenta terræ? cùm me collaudarẽt astra matutina, & magnificarent omnes Filij Dei? Per illa astra & filios Dei, Angelos intelligens (vt scribit Epiphanius) qui statim atque in principio creati sunt, Deum laudare cœperunt. Sic in ipso historię Iob exordio nuncupantur, cum hoc legitur: Cùm quadam die venissent Filij Dei, apparuit inter eos & Sathã. Et illi etiam Spiritus & exercitus cœli vocantur à Michæa, cùm ait: Vidi Dominum sedentem super solium suum, & omnem exercitum cœli assistentem ei à dextris & à sinistris. Et ait Dominus, Quis decipiet Achab, vt ascendat, & cadat in Ramoth Galaad. Egressus est autem spiritus, & ait, Ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum. Basilius in libro De Spiritu sancto ad Amphilochium, per cœlum Angelos intelligi his scripturis confirmat. Hinc (ait) Moses traditurus eloquia Dei populo, Testor (inquit) hodie cœlum & terram. Et rursus cãticum dicens, Attende cœlum, & loquar: & audiat terra verba ex ore meo. Et Esaias, Audi cœlum, & auribus percipe terra. Hieremias autem stuporem quẽdam cœli narrat, ob audita impia po-

*Lib. imperf.**De gen. ad**liter. & lib**11. De ciuit.**Dei. c. 33.**Iob. 38.**Heres. 6 5.**cõtra Pau-**lum Samo-**satem.**Iob. 1.**3. Reg. 22.**Cap. 13.**Deuter. 4.**& 31.**Esai. 1.**Hier. 2.*

puli facta. Obstupuit cœlum ob hoc, & inhorruit amplius vehemēter terra, dicit Dominus, quia duo mala fecit populus meus. Itaque & Apostolus sciens Angelos præfectos hominibus, velut pædagogos quosdam ac gubernatores, in testimonium ipsos vocauit. Huius cœli, huius speciei cœlestis & spiritualis creator vnus est Deus. Erat enim (ait Basilus in Opere sex dierum) status quidam mundi generatione superior, abstractis illis in concretione materiæ potētis mūdo potentioribus, pro decoro accommodatiūs, tēporis etiā cōditione anterior, & æternus. Et hæc substantiā cōplent mundi illius inuisibilis, teste Paulo. In ipso (ait) condita sunt omnia, siue visibilia, siue inuisibilia, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates, siue virtutes, siue Angelorū exercitus, siue Archangelorū præfecturæ. Idē etiā in Psalmū trigesimū secundū: Angelos (inquit) in initio cōdidit vt essent: sanctificationem verò impēdit ipsis Spiritus sanctus, his nimirum qui perstiterunt: cū in momēto nonnulli ex ipsis à Deo descuerint. Non enim in infantili statura sunt creati, deinde paulatim exercitati, atque perfecti: sed in prima cōstitutione, & quasi quadā conspersione suæ substantiæ, simul infusam habuere sanctitatem. Quapropter ad malitiam difficulter se poterant transmouere, nimirum in sibi inducta sanctitate, quasi tinctura quadam confirmati pene in momento, stabilitatemq; ad virtutē dono Spiritus sancti adepti. Quis enim substantias quasdam spirituales

Hom. 1. Hecæm.

Coloss. 1.

esse negauerit? Nec quidem nouum nomen est, inquit Tertullianus. Sciunt dæmones Philosophi, Socrate ipso à dæmonio arbitrium expectante. Quidni, cū & ipsi dæmoniū adhæsisse à pueritia dicatur, dehortando planè à bono? Omnes sciunt Poëtæ. Vulgus etiam indoctum in vsum maledictis frequentat. Nam & Sathanam principem huius mali generis, proinde de propria conscientia animæ eadem ex sacramenti voce pronuntiat. Nec quoque Angelos Plato negauit. Vtriusque nominis testes esse vel Magos asserunt. Sed quomodo de Angelis quibusdam sua sponte corruptior gēs dæmonum euaserit, damnata à Deo cum generis authoribus, & cum eo quē diximus principe, apud literas sanctas ordine cognoscitur. Sunt enim omnes Angeli boni natura (inquit Cyrillus) eorum tamen nonnulli mali sunt voluntate. In eo verò quòd boni sunt, etiam & Dei creaturæ sunt. Vnde & ipse in Apolline dæmon hoc responsum reddidit:

Μικρὰ δὲ Θεῷ μέγας ἄγγελοι ἡμεῖς,

At nos parua Dei pars sumus Angeli.

Nouit ipse etiam Hesiodus Angelos hominum Lib. 2. In-  
custodes, vtique ex nostris dogmatibus, cū *stitur. c. 15.*  
(vt obseruat Lactantius) ait,

Τοὶ μὲν δαίμονες εἰσὶ Διὸς μεγάλας ἀγέρας  
βυλάς

ἔσθλοὶ ὅπτι θρόνοι φύλακες θνητῶν ἀθρώ-  
πων,

Οἱ ῥα φυλάσσειν τε δίκας καὶ χέτλια  
ἔργα:

In Apolog.  
contra Ge-  
tes, cap. 22.

Lib. 2. In-  
stitur. c. 15.

Lib. de ope-  
re & die.

*Et quidem hi daemones sunt Iouis magni consilio,  
Boni terrestres, custodes mortalium hominum*

*Qui quidem observant iustitiam & improba facta.  
Subiiciuntur & mali daemones Dei flagello,  
vt & Apollo Smyntheus rogatus expressit,  
dicens,*

*Δαίμονες οἱ φοιτῶσι περὶ θρόνα, καὶ περὶ  
πάντου*

*Ἀχάματα δαίμωντων ὑπὸ μάτι Θεοῦ:*

*Dæmones qui ventitant circa terram & circa  
pontum*

*Indefessi, domantur sub flagello Dei.*

Hinc ex ipsorum dæmonum confessione lapsus & casus illorum colligitur. Methodius in suis Reuelationibus peccatum illorum superbiam fuisse probat, ex eo quod legitur apud Esaiam Lucifer dixisse, Ascendam super astra cæli, exaltabo solium meum, & similis ero altissimo. In Apocalypsi prælium magnum in cælo describitur. Michaël enim & Angeli eius præliabantur cum dracone, & deiectus est draco in terram. sic mali illi dæmones à bonis iusto Dei iudicio seiuncti sunt. Augustinus libro vndecimo de ciuitate Dei separationem illam intelligi monet per id quod dicitur: Et diuisit Deus lucem à tenebris. Sed & Petrus, Deus (inquit) Angelis peccantibus non pepercit, sed vinculis caliginis in tartaro tradidit in iudicium asseruatos.

Itaque hæc fides, qua credis in Deum creatorem cæli & terræ, vt te eleuat in cōfessionem creationis Angelicæ, ita te consolatur, te mu-

nit, & contra aduersarias potestates securiorem reddit. Si enim bonos illos Angelos spectes, cōfidis illos à Deo in tuum præsidium & auxilium designari, si quando cum firma fide inuocaueris. Nam (vt Petrus contra Simonem *Clem. lib. 2.* differuit) Deus in septuaginta duas partes di- *Recognitio-* uisit totius orbis nationes, cisque principes *num.* Angelos statuit: sed & cuique deputati sunt, velut pædagogi & prouidi viæ nostræ duces, vt scribit Clemēs Alexandrinus. Hi sunt enim *Lib. 6. Stro-* Angeli paruulorum, qui vident faciem illius *mat.* patris nostri qui in cælis est, vt docet Christus, qualem & eum esse putabant Apostoli, qui Petri nomine fores pulsaret, cum exclama- *Matth. 18.* rent, Angelus eius est. Nullus est autem ex his, *Act. 12.* qui non singula vbique consideret, inquit Basilius. Et si enim oculis carneis minimè conspi- *Lib. de vir-* cui sunt, incorporeis tamen obtutibus ad a- *ginitate.* gnitionem complectuntur omnia, & comprehendunt. Cùm itaque credas Deum Angelorum creatorem, quid est quòd timeas? Num ille te nutrire esurientē, vt & olim Helyam: num ducere errantem, vt Tobiam: num curare languidum, vt excæcatum patrem: num omnes aduersarios tuos prosternere, vt & Sennacherib exercitum, per ministros illos spiritus poterit? Nam Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.

Porrò si malos illos dæmones, summamque Dei in eos virtutem attendas, quomodo non in omnibus seuerus erit? Licet enim illi voluntatem nocendi habeant, non tamen potesta-

*Apoc. 12.*

*Cap. 33.  
Genes. 1.*



*Tertull. li. de fuga in persecut. Luc. 4.* tem, nisi in quantum Deus permiserit. Habes enim in Euangelio Christum dæmoni imperantem, Obmutefce, exi, vade retrò. Habes & eandem suis fidelibus, potestatem conferentem, cum ait: Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur: In nomine meo dæmonia eiciant. Hac fide omnes facillè dæmones prosterimus, cum illis fortior sit digitus Dei, fortior Christus, qui in hoc apparuit, vt dissolueret opera diaboli. Tantum igitur prodest credere in Deum creatorem cœli, cum simul illum & Angelos in tuam salutem deputare, & malorum dæmonum consilia euertere intelligas.

*Mat. 14.*

*De hominis creatione, & vt ille ad imaginem Dei formatus est.*



**E**LEBERRIMVM est Apollinis Oraculum, Nosce te ipsum: siquidem (vt canit Poëta)  
*Noscenda est mensura sui.*

*Tertull. in apolog. contra Gentes.* Vnde & apud Romanos olim in curru triumphati, ne propter præsentem gloriam nimium eleuaretur, præco proclamabat: Respice post te, hominem memento te: vt doctè Tertullianus obseruat. Nobis itaque primum occurrit, vt discutiamus,  
*Quid simus, aut quidnam victuri gignimur, ordo quis datus:*  
vt simul atque conditionis nostræ meminermus, Deum creatorem terræ agnoscamus. Nam & hîc nonnulli errarunt, qui Deo suum hono-

rem minimè reddiderunt, sed ipsi temeritate inflati, sibi quæ Deo debebantur, arrogarunt. Sic enim Pharaõ respondit Mofi, Quis est Dominus, vt audiam vocem eius, & dimittam Israël? Nescio Dominum, & Israël non dimittam. Sed & apud Iob impij dixisse Deo leguntur, Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. Quis est omnipotens, vt seruiamus ei? Et quid nobis prodest, si orauerimus illum? Sic & Antiochus ille, qui templum solo æquaturus erat, nisi Deus ausis tam temerariis vindici manu obstitisset. Tum enim miserimus ille exclamauit, Iustum est mortalè subditum esse Deo, & non paria Deo sentire. Hoc ergo primum quisq; nostrum protestatur, cum ait, *Credo in Deum creatorem terræ.* Agnoscis enim omnia quæ in prospectu sunt, montes, valles, aquas, aërem, plantas, arbores, & omnia pisciû, reptilium, volatiliû, & animantium genera, te ipsum etiam Dei creaturam esse: & tanto debere humiliter sapere, quâto non per cœlum, sed per terram significaris, quia terra es, & in terram reuertêris. Agnoscis originem tuam, & primum authorem: idèò in eum omnem tuam fiduciam collocas. Quid enim aliud quàm

*Exod. 5.*

*Iob. 21.*

*Puluis & vmbra sumus?*

Quidue melius terræ nomine, quam nos ipsos intelligamus, qui huius terreni opificij caput sumus? Et quidem frequenter scriptura terram, homines nuncupat. Sic in Genesi, Vidit Deus quod corrupta esset terra: quia corruerat  
*Genes. 6.*  
omnis caro viam suam super terram. quod

Genes. 18.

enim prius terram, statim carnem, id est, homines vocauit. Sic Abraham, Loquar (inquit) ad Dominum, cum sim puluis & cinis. Sic Pfalteres, Deus aduocauit terram, ait: cum illum homines conuocasse significaret. Interim verò cum nos eius creaturas esse profiteamur, qui est terræ conditor, in memoriam reuocamus historiam illam de formatione hominis, in qua vilem prius limum, tandem verò hominem factum legimus. Iam enim Deus cælum & terram condiderat:

*Iam cælo terras, terrisque absciderat undas,*

*Et liquidum spisso secreuerat aëre cælum:*

Iam firmamentum suis astris, terram plantis & arboribus, cælum luminaribus illustrauerat: iam aquas piscibus, alia verò aliis ditauerat: cum sexto demum die hominem formare decreuit, ut esset in cælo & in terra, ex primo & ultimo creationis die, visibilis & inuisibilis creatura, quæ ipsum laudaret, eum coleret, & tandem beatitudinis gloriam consequeretur. Ut ergo primæ diei, & cælestium omnium excellentissima est creatura Angelica: ita sextæ, terrestrium excellentior homo est. Neque verò (ut scribit Gregorius Nissenus) decuerat prius existere principem, quam illa quorum gereret principatum: sed ubi cuncta ei subiicienda parata sunt, iam consequens erat apparere rectorem. Propterea nouissimus in hunc mundum introductus est homo, non ut vilissimus in extremam partem proiectus, sed quem decebat genitum mox esse rectorem. Non

*Libr. de  
creat. homi-  
nis. cap. 2.*

enim prius conuiuas domum introducimus, quam parata sint & adornata omnia. Condita igitur erant omnia: verum, ut è veteribus quidam è nostris oraculis didicit,

*Sanctius his animal, mentisque capacius alia*

*Deerat adhuc, & quod dominari in cætera possit.*

Itaque de tanti operis formatione Deus optimus consilium hoc iniit, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Sol factus fuerat, nullo præcedente consilio (inquit Gregorius Nissenus:) cælum quoque, cui nihil in creaturis simile reperitur, solo verbo perficitur, & opus tam mirabile, nec unde fiat, nec qualiter, intimatur. sic singula creaturarum verbo solo producuntur. Ad hominis verò solius conditionem cum consilio quodammodo conditor vniuersitatis accedit. Non enim (ut obseruat Chrysofostomus) nunc dicit, fiat homo: sed quid? faciamus hominem. Quid hoc noui? quid rari? quis iam ille qui formandus est, ad quem faciendum tanto consilio opus est? Ne mireris dilecte. Homo enim inter visibilia omni dignitate præcellit: propter quem condita sunt hæc, cælum, terra, mare, sol, luna, stellæ, reptilia, brutaque animantia. Et quare tardius creatus est homo, si cætera dignitate superat? Merito. Nam ut ingressuro ciuitatem aliquam Rege præmittuntur satellites, aliisque omnes, ut benè adornato palatio, Rex ibi honestiùs agat: ita quasi Principem hominem rebus terrenis præfecturus, prius ornatum hunc fabricauit. Verum cum Deum creatorem ter-

Hom. 9.  
Hexaem.

ra, & factorē hominis agnoscamus, ad quem, quæso, dictum est, faciamus hominem? Cum quo consilium hoc habuit Dominus? Num quo consilio & circumspēctione opus habet? Absit. Quid ergo? Figura verborum declarare voluit Moses, quā excellentem honorē homini qui formabatur, impenderet Deus. Cæterum non ad Angelos hic sermo dirigitur, non ad ullam omnium creaturarū. Nec hīc Iudei audiendi sunt, qui ne Trinitatis mysterium agnoscant, temerè labuntur. Vt enim ferarum eæ, quæ summo odio hominem persequuntur, cum viuariis aut caueis includuntur, circum suæ illius caueæ sepimenta frendent dentibus, amarulentiam feritatēque naturæ ostentantes, cum quo non queant conceptum explere furorem: sic (inquit Basilius) inimica gens veritatis, Iudæi vi huius contextus in angustum intrusi: Multæ sunt (inquiunt) personæ, non vna, ad quas oratio Dei dirigitur. Angelus enim, faciamus hominem, dicit. Per hoc filium habent despiciatui, dum seruis ipsam consultationis tribuunt dignitatem: conseruōsque nostros, nostræ creationis authores efficiunt, ne vnum Christum admittāt. Homo enim vt primum statum suæ perfectionis assequitur, rectā ad Angelorum reducitur dignitatem. At, quænam vnquam creatura suo creatori adæquari possit? Sed & ait, Ad imaginem nostram. Quid ad hæc dicere paras? Num vna & Dei, & Angelorum imago est? Ait enim, Imaginem nostram. Cui, quæso, alij quā ei, qui est splendor gloriæ,

gloriæ, & figura substantiæ, & imago Dei inuisibilis? Nempe in hoc absurditas non mediocris est, nisi quid mystici intelligamus. Quis enim faber, aut excussor, aut sutor, instrumentis artis præsentibus dicit, solus ipse, socio nullo comitante, faciamus cultellum, conficiamus calciamentum, componamus aratrum? Quin potius hæc in silentio. Ibi ergo personarum pluralitas, vna tamen maiestas intelligenda est. Confundit interim Arianos, cum imaginem nostram dicit, & communia omnia docet, ne quis in diuinis patrem maiorem arbitretur. Verum obiectauerit aliquis, Si ad imaginem Dei facti sumus, consequi videtur Deum nobis esse conformem. Oculos ne habet, aures, caput, manus, denique & coxendicem quo nitatur sessitans? In ipsa enim scriptura sedere Deus astruitur. Pedesne sunt ei, quorum ministerio intus ambulet? A corde submoueto hæc cogitationes. Figuræ enim omnis expertus est. Ergo quod ad imaginem Dei facti sumus, non possidemus in corporis istius decidui forma, quæ cum corpore interit & mutatur, augetur & minuitur, malè & benè affectum est, hilarescit & metu contrahitur, colorem alium habet cum vigilarit aut dormierit: quod fugit more fluentis aque, non minus quā

*Alba lignstra cadunt, vaccinia nigra leguntur.*  
Cum igitur Deus ab omni alteratione secretus sit, consequitur hominem sui interna & constantiori ratione ad imaginem Dei factum es-

Basil. hom.  
10. He-  
xam.

se, ita quidem ut in sua ipsius anima quoddam Trinitatis vestigium habeat. Quod in nostris animaduertisse videtur is, qui ad Hesiodi regulam, qui nostra legerat, hæc de homine poëticè dixit:

*Natus homo est: siue hunc diuino semine fecit,  
siue recens tellus, seductaque nuper ab alto  
Aethere, cognati retinebat semina cæli,  
Quam satus Iapeto mistam fluminalibus undis  
Finxit in effigiem moderantum cuncta deorum.*

Hic enim & imaginem, & plures obseruasse visus est, qui dixerint, Faciamus hominem. Non quod plures sint creatores, cum vnum dixerit, qui sit

*--Opifex rerum, mundi melioris origo:*

sed plures nihilominus abstrusis & inuolutis quibusdam mysteriis, quibus nimirum Trinitatis fides includitur. Et hoc sanè Sibylla, quæ Gentibus familiaris extitit, docuerat, his verbis,

*Li. I. Orac. Καὶ τότε δὴ μετέπειτα πλάσεν πάλιν ἑμ-  
πνοον ἔργον,  
Εἰκότος ἐξ ἰδίας, hoc est,  
rursus plastes opus spirabile, imagine fixit  
sub propria.*

Ex quo efficitur, ut in ipsa nostræ fidei confessione, cum terram dicimus, materiam quidem vilem & abiectam, nosque interim quantum humiliari debeamus, agnoscamus: cum verò Deum creatorem suspicimus, ad cuius imaginem efficti simus, meditemur quantum cæteris præstemus, quantumque Deo debea-

mus. Itaque si terram spectes, habes cur primus homo  $\alpha\delta\alpha\mu$  Adam dictus sit, ab Adama, id est, terra: licet Iosephus ab Edom, rubro: quod terra agri Damasceni, ex qua homo effictus est, rubra fuerit. Hinc nimirum Mercurius Trismegistus homines  $\gamma\eta\gamma\omega\epsilon\iota\varsigma$  vocat: hinc & Apostolus, Primus (inquit) homo de terra terrenus: secundus de cælo, cælestis: quasi nomen Adæ in Græcam linguam verteret. Si tamen animam spectes, secundum quam homo ad imaginem Dei effictus dicitur, quomodo non in ea Dei vestigium comprehendes? Sic creatorem agnosces, ut in summo aliquo opere artificis industria facilè discernitur. Græci, & inter eos præcipuus Plato, hominem  $\alpha\upsilon\tau\omicron\rho\omega\tau\omicron\upsilon$  dictum monet, ut qui sit  $\alpha\upsilon\alpha\theta\omicron\rho\omega\upsilon$  à  $\omicron\pi\omega\pi\epsilon$ , contemplator eorum quæ vidit. Neque enim reliqua animantia ratione discutiunt ea quæ viderunt: quod tamen homini ex ipsa natura contingit. Itaque si creatoris in ipsa creatura, Dei in homine vestigium requiras, hoc primum statue: Imaginem *Greg. Nyss.* quidem Cæsaris, si ære exprimitur, à Cæsare *li. de creat. hom. cap. 7.* differre secundum materiam: ita quidem hominem à Deo. Esse tamen aliquam tremendæ illius maiestatis vmbra, secundum quam (ait Augustinus) ut Deus vnus vbique est, ita *lib. de vita solitaria.* anima vna in omni corpore: utque varios effectus producit Deus, ita & anima in omnibus sensibus. Quinetiam Deus est, viuit & sapit: sic secundum modum tuum viuis & sa- *lib. de interiori dono cap. 67.*

pis: Et sicut in anima tua tres vires sunt, intellectus, memoria, & voluntas, sic in Deo tres personæ sunt, Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Utque ex parte generatur filius, & ex utroque procedit Spiritus sanctus: ita ex intellectu generatur voluntas, & ex ambobus procedit memoria. Interim verò non tres, sed vna tantum est anima: sicut nec tres, sed vnus Deus & Dominus est. Verum sicut in te lumen vultus illius signatum, teque ad Dei imaginem signatum agnoscis: ita quoque enitere ut ad illius similitudinem formeris. Similitudo enim in vita, in conuersatione, in virtutibus est. Sancti estote (inquit) quoniam ego sanctus sum. Credis creatorem tuum: vide ut eius in corde tuo similitudinem feras. Ait enim Paulus: Sicut portauimus imaginem terreni, ita portemus & imaginem cœlestis. Quid degeneras ab illo, ut opera tenebrarum, & non lucis, cupiditates & desideria diaboli amplectaris, & non ipsum Deum? Credere enim creaturam in creatorem, est illam in omnibus ei complacere conari, in illo quiescere, illum attendere, & summam suam expectationem constituere.

*Quòd Deus non est creator peccati: quòd peccatum nihil est, & de lapsu primi hominis.*

**I**NDIGNVM vtrique, si degener filius in patrem piissimum & optimum suas impietates retorqueat: quas reiecta patris domo, contemptisque eius exhortationibus ab impiis exhaulit. Tales enim è sanctissimis prodierunt Cayn ex Adam, Cham ex Noe, Esau ex Isaac. Ecquis verò ipsum Christum accuset de proditione Iudæ, quem toties monuerit? Quis Deum arguet de peccato hominis, cui tantam gratiam contulerat, ut ad suam imaginem & similitudinem conderet? Rectè vtrique Mo. Deut. 32. ses in Cantico suo exclamat, Audite cœli que loquor, audiat terra verba oris mei. Dei perfecta sunt opera, & omnes viæ eius iudicia. Deus fidelis, & absque vlla iniquitate iustus & rectus. Peccauerunt ei, & non filij eius. Hęc cïne reddis Domino Deo tuo, popule stulte & insipiens? Numquid non ipse pater tuus, qui possedit te, fecit te, & creauit te? Dicis ergo te Credere in creatorem terræ: agnoscere te profiteris illum tui conditorem esse: cur ab illo desciscis? cur contra illius præcepta niteris? Peccatori enim dixit Deus, ut quid enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Tu verò odisti disciplinam. Si videbas furem, currebas cum eo: sedens aduersus fratrem tuum loquebaris. Hęc fecisti, & tacui. Existimasti iniquè quòd ero tui similis: arguam autem te, & statuam peccatum tuum contra faciem tuam. Quid enim? Clamas creatorem tuum esse Deum: verum

ille, Si ego Dominus, ubi est honor meus? Tum enim verè in Deum creatorem credis, cum illi toto corde adhæres, cum illum tota anima & tota mente tua diligis.

Nec omninò audiendi, quin potius vt blasphemamini eiiciendi sunt, qui peccata sua in Deum retorquent, qui illorum authorem Deum statuunt: quasi non potius peccatis suis Deum prouocent, & ab eo diuellantur. Porrò quæ conuentio luci ad tenebras? Christi ad Beliam? vitæ ad gratiam? Vitæ ad mortem, impietatis ad Deum? Colligit è Platone Theodoretus, nihil omninò magis impium esse, quàm Deum causam esse peccati censere: quòd tum omnia liberè in vitiorum sentinam defluxura sint, nec vlla lex in Republica supersit: sed & contradictio consequatur, cum Deus sit summè bonus. Vt enim quòd summum est, nisi mutabile, deprimi non potest, ita nec summum bonum malum fieri. Easdem etiam ex Platone conclusiones colligit Eusebius Cæsariensis, Deum à sua forma in aliam minimè mutari. Quod enim mutatur, vel à seipso, vel ab alio mutatur: sed quod

1. summum & potentissimum est, ab alio mutari non potest. Sed neque à seipso: aut enim in melius, aut in deterius. Non in melius, cum sit summus: non in deterius, cum omnium sit & constantissimus, & simplicissimus. Ex quo efficitur, vt nec malum velit, nec mentiatur, cum etià hæc odio habeantur in hominibus. Mundi sunt oculi tui, & ad iniquitatem respicere non poteris, quoniam non Deus volens iniqui-

Lib. 5. Affection. Græcar.

Lib. 13. de præpar. euāgel. cap. 3.

1.

2.

3.

tatem tu es (inquit Psalter.)

Hoc cum pependerent antiqui hæretici, maluerunt duos deos statuere: quòd vnus contrariorum causa esse non posset. sic enim Simon Magus blasphemabat in Deum creatorem terre, & Manichæi & Marcion sequuti sunt. Indignum verò prorsus hæc blasphemia est, hausta ex antiqua Blastii & Florini hæresi: contra quos Irenæus duas scripsit epistolas, vnam de schismate, ad Blastium, alteram de monarchia ad Florinum. Eusebius Cæsariensis hæc ex epistola ad Florinum refert: Tua doctrina, ô Florine, nihil sanum habet, contraria est Ecclesiæ, & in horrendam impietatem præcipitat. Nec vllus vnquam hæreticorum talia ausus est.

Vidi, cum iuuenis essem, cum Polycarpo in Asia minori, te in curia Imperatoris magnificentum, sæpius conatum esse, vt Polycarpi gratiam assequerere. Quid si ille nunc viueret, & talia blasphemantem audiret? Num aures obturaret, & diceret, ὦ καλὲ θεὲ, εἰς οἷός με χεῖρας τετήρηκας, ἵνα τῶτων ἀνέχωμαι; O bone Deus, in qualia me tempora reseruaisti, vt isthæc blasphema patiar? Cæterum impietas illa emerfit, quòd peccatum aliquid esse creatum putarent, vnde & creatorem illius requirerent. Alij autem, si Deus omnium creator est (inquiunt) nõne etiam & peccati? Credimus enim in creatorem cæli & terræ, visibilium omnium & inuisibilium. Num ad alicuius eorum rationem peccatum refertur?

Clemens li. 2. Recognition.

Lib. 5. Eccles. histor. cap. 20.

Minimè verò. Nec enim peccatum, aut creatura, aut natura est: imò ipsius est naturæ corruptio. Quod enim morbus est corpori, hoc peccatum est animæ. Infidelitas cæcam reddit animam: est ergo priuatio visus spiritualis. Ex dubitatione verò quidam claudicare dicuntur: vt ad quos Helyas, vt quid claudicatis in duas partes? Est ergo hæsitatio illa, rectitudinis priuatio. Est & paupertas spiritualis, qualis in eo ad quem hæc diriguntur, Dicis quòd diues sum, & pauper es & nudus. Est ergo miseria illa, priuatio bonorum spiritualium. Priuationem verò nemo inter rerum essentias notauerit, nec inter positiua numerauerit, sed inter negatiua. Itaque neque peccatum inter creata recenseri debet. Augustinus tractatu primo in Ioannem, hoc explicans quod legitur, Sine ipso factum esse nihil: Noli (inquit) putare, vt quidam, quòd nihil aliquid sit. Peccatum non per ipsum factum est, & manifestum est quòd peccatum nihil est, & nihil fiunt homines cum peccant. Et idolum non per verbum factum est. Habet quidem quandam formam humanam, & tamen nihil est in mundo. Nihil quidem in rerum significatione, cum ficta & mendacia sint illa numina, quæ per idola exprimuntur. Vbi scilicet Pan Deus Arcadiæ, & Nymphæ, Dryades, Hamadryades, Oreades? Vbi Neptunus, Theris, Tritones? Vbi denique Pluto, Proserpina, Rhadamanthus, & cæteræ dæmonum imposturæ? Diabolus quidem mendax est ab ini-

tio, idemque creator cœli & terræ, eorum omnium quæ verè nec mendaciter sunt, causa est. Vt autem mendacium veritatis, ita malum boni priuatio est. Est enim peccatum non natura, sed vitium naturæ, id appetens quod non est ordinis sui. Probat hoc multis rationibus Dionysius Areopagita. Nam contra *Lib. De dignis nominibus. cap. 4.* ignis naturam est vt infrigidet, & contra naturam boni, vt producat non bonum: sed homo & dæmō natura bonus est: facit ergo contra eorum naturam, non bonum. Neque verò bona arbor malos fructus producit, itaq; nec à Deo malum est. Ex quo efficitur, vt dæmones mali dicantur, non secundum quod sunt, sed secundum quod non sunt, ea nimirum ratione, qua illam creationis rectitudinem minimè seruauerunt. Et male sunt animæ in defectu bonarum operationum, sicut & ex luminis defectu, aërem obtenebrari dicimus.

Diuis Augustinus in Enchiridio ad Laurentium, vbi & quæ ad fidem & symboli intelligentiam necessaria sunt, explicat: Quid autem est aliud quod malum dicitur (inquit) nisi priuatio boni? Nam sicut in corporibus animalium nihil est aliud morbis & vulneribus affici, quàm sanitate priuari. Neque enim id agitur, cum adhibetur curatio, vt mala illa quæ inerant, id est, morbi & vulnera recedant hinc, & alibi sint, sed vtique vt non sint. Non enim vlla substantia, sed carnalis substantiæ vitium est vulnus, aut morbus. Cum autem caro sit ista substantia, profectò aliquod bonum est, cui accidunt

ista mala, id est, priuationes huius boni, quod dicitur sanitas. Ita & animorum quæcunque sunt vitia, naturalium sunt priuationes bonorum. Quæ cum sanantur, non aliquò transferuntur: sed etiam quæ ibi erant, nusquam erunt, quando in illa sanitate non erunt. Naturæ igitur omnes, quoniam naturarum summus conditor bonus est, bonæ sunt: sed quia non sicut earum conditor, summè ac incommutabiliter bonæ sunt, idèd in eis & minui bonum, & augeri potest. Sed bonum minui malum est, quamuis & ipsa adhuc natura, & per consequens bonum aliquod remaneat, nisi & ipsa consumatur. Eapropter quicumque Deum accusant (inquit Gregorius Nissenus) quòd hominem non fecerit vitiorum nequaquam susceptibilem, sed arbitrio liberum: ignorant se accusare Deum quòd rationalem fecerit hominem, & non rationis expertem. Necessè est enim horum duorum alterum, vel irrationalem productum esse, vel rationalem existentem, & circa agibilia versantem, arbitrio liberum esse. Ex necessitate igitur omnis natura rationalis libero arbitrio est, & secundum sui-ipsius naturam vertibilis. Porro naturæ quæ ex subiecta materia generantur, secundum duos modos vertibilitatem habent, tum secundum materiam, tum secundum hoc quod generantur. Quæcunque verò non ex subiecta materia generatæ sunt, secundum unum modum, qui est creationis, vertibiles existunt. Rursus horum immaterialium quæcunque in his sunt, quæ circa terrena versantur,

*Lib. 7. Philosophiæ, De libero arbitrio, cap. 3.*

communione ad homines circa agibilia occupatæ, magis sunt vertibiles. At quæcunque propter naturæ sublimitatem Deo secundum habitudinem appropinquant, per huius contemplationem beatitudine potiuntur, & ad seipsas, & ad Deum solum conuersæ ab agibilibus & materia omnifariam seipsas alienauerunt. Contemplationi autem & Deo familiares factæ, manent inuertibiles, liberæ quidem arbitrio existentes & vertibiles, quia rationales sunt: non tamè vertuntur propter prædictas causas. Ne quis itaque obiiciat Deum omnium creatorè esse, ex eo verò consequi ipsum peccati authorem esse. Nec enim peccatum aliquid. Si verò requirat unde illud prodeat, duo quidem attendemus, liberum arbitrium, & illud quidem flexibile. Si autem Deus arbitrium illud & voluntatem, profectò etiam rationem, ipsam quoque suam imaginem abstulisset: si verò flexibilitatem, tulisset etiam & conditionem creaturæ flexibilis in parte materiæ, tulisset meritum, sicque totum destruxisset hominem. Ex quo efficitur, ut cum hominem in manu consilij sui reliquerit, iustè etiam ipsum id eligere permiserit, quodcunque appetiit. Sed neque magnæ laudis homo futurus videbatur (inquit Augustinus) si benè vixisset, nullo suadente ut malè viueret: cum & in natura posse, & in potestate haberet velle non consentire suadenti, adiuvante tamen illo qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Neque verò (ut ait alibi) sineret Deus aliquod malum esse in operi-

*Tertull. l. 2. in Marcionem.*

*Lib. 4. De civitat. Dei cap. 26.*

*In Enchirid. ad Laurent. cap. 10.*



bus suis, nisi usque aded esset omnipotens & bonus, ut beneficeret etiam de malo. Permisit quidem Sathanam sub serpentis forma mulierem aggredi: permisit & ipsum virum per mulierem tentari, non tamen ipsum in peccatum induxit. Permisit ipsum in conflictum vocari: sed tamen eum prius ratione, & gratia armaverat, qua omnes insidias, omnes impetus declinare posset. At vero tanto abest, ut homo iis quae à Deo acceperat, bene usus fuerit, & intus monentem Deum agnouerit, quin potius ab eo, à precepto sibi facto penitus desciuit: quod uxorem potius quam Deum contristare vereretur. Quam impiè igitur nonnulli sua in Deum peccata retorquent, cum eo ipso peccare dicantur, quod à Deo recedant, & exhortationes eius illudant. Hoc etiam Gentilis Homerus omninò prophanum, & intolerandum esse scripsit, Iouè ipsum in Odyssæ initio hæc suis dicentem inducens,

ὣς πόποι, οἷον δὴ γυ θεῶς ἔροτοὶ ἀπιόωνται.  
ἐξ ἡμέων γὰρ φασὶ κακ' ἐμμεναί. οἷδ' ἐ καὶ αὐτοί

Σφῆσιν ἀτασθαλίῃσιν, ὡς μόνον ἀλγεῖ  
ἔχουσιν.

*E heu, qualiter mortales Deos accusant,  
Ex nobis enim dicunt mala esse: At vero ipsi  
sua insipientia prater fatum dolores incurrunt.*

*Peccatū est  
a voluntate*

Quid enim magis voluntarium est, quam peccatum? Itaque ex ipsa hominum electione procedit, quod huic illi potius quam Deo adherent: immò cui sese adiiciunt, quoties à Deo

declinant. Sic diabolus ab initio peccat, quia in veritate non stetit, inquit Christus. In veritate enim creatus erat, sed illam ipse reiecit, dum mendacium & peccatum amplexus est. Augustinus hoc ei ex prava conditione voluntatis, non naturæ contigisse, probat Esaiaë verbis, quibus sub figurata persona Principis Babylo-niæ sic diabolus notat. Quomodo cecidisti Lucifer, qui mane oriebaris? Per mane seu serenum, claritatem illam matutinam, in qua creatus erat, intelligens. Sed & Ezechiel primum illius statum explicat, dicens: In deliciis Paradisi Dei fuisti, omni lapide pretioso ornatus. Vbi intelligitur aliquando fuisse sine peccato. Nā expressius ei paulò post dicitur: Ambulasti in diebus tuis sine vitio. Quis enim unquam diceret insitum ei à natura Dei contemptum? Num potius ut opus factorem suum laudaret, contra quem sese superbus erexit? Atqui homo creatus est, ut eius beatitudinis participaret, à qua Sathan deiectus est. Hæc homo assequatur per humilitatem, quam Sathan amisit per superbiam: habeat illam per cultum, à qua deiectus est ille per contemptum. Ideo vero ut timeret, & tanto humilia saperet, de limo terræ formato est, etiam ut maiora mereretur, multis exercitatus modis, in frigore & siti, in fame & nuditate. Sed neque ab eo tempore, quo caro formata est, peccavit homo (inquit Epiphanius) Ut ne plastes causa peccati putetur, qui hominem creavit. Verum invidia Diaboli mors introiit in orbem terrarum.

*Ioanni. 8.*

*Augustin. Lib. 11. De civitat. Dei*

*Cap. 15.*

*Esa. 14.*

*Ezech. 28.*

*Sathan nō fuit creatus in peccato.*

*Cur homo creatus est.*

*Cur de limo terre.*

*Epiphanius*

*Lib. 1. tom 3 in heres. 42*

*Marcionitarum.*

Sap. 2.  
 Augustin.  
 lib. In Ge-  
 nes. cap. 5.  
 Præcessit in  
 hominis a-  
 nima ali-  
 qua elatio.  
 Proverb. 16  
 Psal. 29.  
 Psal. 118.  
 Rupertus in  
 Genes.

Iac. 1.

Inuidebat enim, quòd vermisculum hominem in tantam gloriam vocari videret, à qua deciderat per gloriam. Neque tamen (vt scribit Augustinus) arbitrandum est, quòd esset hominem deiecturus tentator, nisi præcessisset in anima hominis quædam elatio comprimenda: vt per humiliationem peccati disceret, quam de se falso præsumpsisset. Verissimè enim dicitur, Ante ruinam exaltatur cor, & ante gloriam humiliatur. Vnde & huius fortè hominis hæc vox est, Ego dixi in abundantia mea, non mouebor in æternum. Et alibi, Priusquam humiliarer, ego deliqui. Nò quòd iuxta quosdam hæreticos anima cuiusq; nostrum, priusquam in corpore humiliaretur, sublimis fuerit in celo, & ibi deliquerit, vnde sit in corpore humiliata: sed quòd Adam priusquam cum iumentis comparatus sit per pœnam, deliquerit in Deum.

Iam ergo quoties Deum creatorem omnium confessi fuerimus, nostræ conditionis memores erimus: nimirum, diuinæ bonitatis & iustitiæ, nostræ autem infirmitatis & miseræ. Nos accusemus quòd peccamus: Deum autem inuocemus, à quo omne bonum, & non solùm nostra creatio, sed primæ illius in nobis imaginis restitutio. Eapropter enim Christus missus est, vt in consequentibus audiemus.

*De nominibus Christi, & maxime de nomine quod uni Christo debebatur.*



**S**OLUM quidem istum nemo à suo lumine secernit, vt qua ratione *Filius simul* creatus sit, perfectè intelligat. Ne *cum patre* que sanè patrem aliquis fideliter *cognoscitur* agnoscere potest, nisi simul & filium eius vnigenitum profiteatur. Qui enim negat filium, neque patrem habet, vt differit *Cyrill. Hie-* Cyrillus. Ego sum ostium, inquit Iesus: nemo *rosolymit.* venit ad Patrem, nisi per me. Si negaueris o- *catech. 10.* stiũ, ptecludetur tibi & patris cognitio. Nemo enim nouit patrẽ, nisi filius, & cui voluerit filius reuelare. Si negaueris reuelantẽ, manes in ignorantia. Itaque postquam Deũ vnũ esse co- *Psal. 2.* gnoueris, scias quòd filius Dei est vnigenitus. Non ego primus hoc dixi, sed Psaltes in persona filij: Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te. Itaq; potestetur vnusquisque nostrum, se credere *in Iesum Christum filium Dei unicum Dominum nostrum: Deum de Deo, lumina de lumine, Deum verum de Deo vero: Genitum, non factum, consubstantialem patri, per quem omnia facta sunt.* Est enim (vt inquit Augustinus) fides ca- *Athanas.* tholica, vt credamus & confiteamur, quia Do- *in Symbolo.* minus noster Iesus Christus, Dei filius, Deus & homo est. Deus est ex substantia patris ante secula genitus, & homo, ex substantia matris in seculo natus. Qui licet Deus sit, & homo: non duo tamen, sed vnus est Christus. Vnde vnum dicimus, vt non cogites alium, inquit Cyril- *Cyrillus.* lus. Vnum dicimus, vt multorum nominum illius potentiam, in multos impiè non diffundas. Dicitur enim Ostium: sed non putes li-

gncam esse appellationem: quin potius ostium viuū, rationale, discernēs ingredientēs. Via vocatur, non pedibus calcata, sed quæ ducit ad illum Dominum qui in cœlis est. Ovis dicitur, nō irrationalis, sed quæ per pretiosum sanguinem suum mundum à peccatis purgat, quæ ducitur coram tondente se, & scit quandiu tacere oporteat. Hæc ovis etiam se pastorem nuncupat: Ovis enim est propter incarnationem, pastor propter benignitatē deitatis. Leo quoque vocatur, non hominum vorator, sed regiū quiddam & solidum, ex aduerso Leoni illi nostro aduersario rugienti, & aberrantes deuoranti. Venit enim Saluator, non mutās suæ naturæ mansuetudinem, sed tanquam Leo fortis de tribu Iuda, seruens quidem credentes, concalcās autem aduersarium. Lapis vocatur, non inanimatus, manibus hominū excisus: sed lapis angularis, vt qui credit in eum, non confundatur. Sic multæ quidē sunt illius appellationes: vnus tamen est saluator, & nostrę naturę reparator, Deus & homo. Cæterum ne quis ad alios animum deflectat, quibus temerariē Iudæi nomen Messię detulerūt: nomen illud celeberrimū producimus & annuntiamus, nomē Iesu, quo flectitur genu, cœlestium, & infernorum. cū non sit aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo nos saluos fieri oporteat. Itaq; antequam de tremenda Christi nostri maiestate, & incarnationis dispēsatione aliquid dicamus, prius quibus reparator ille noster nominibus agnoscat, ex ipsis scripturis depromamus.

mus. Sunt enim quę veritatē carnis delineant: vt quod Psaltes, Homo natus est in Syō, ait, & *Psal. 87.* ipse fundauit eam altissimus: nunc quasi filius hominis venisse dicitur à Daniele: nunc Vir oriens nomē eius apud Zachariam: qui primū *Daniel. 10. Zachar. 6.* semen mulieris à Domino dictus est, semen Abrahamæ, semen Isaac, semen & Iacob: modò autem puer, flos è radice Iesse ab Esaia, germē iustum Dauid ab Hieremia, dux de femore Iuda à Iacob Patriarcha nūcupatus est. Sunt & alia, quib. eius diuinitas satis intelligitur, vt quod *Genes. 3. 22. 26. & 28. Esai. 9. Hierem. 23. Genes. 49.* יהוה Iehoua frequenter in scripturis appellatur. Sic enim Hieremias, Et hoc est nomē, quo vocabūt eum, Iehoua iustitia nostra: & Esaia, Eleuabitur Iehoua in die illo. & alibi, cū de præcurfore vaticinatur, Parate viam Iehoua. & Ioel, Iehoua de Syon rugiet: quòd Christus de monte Syon de tēplo Hierosolymitano audiendus esset. Quin & Esaia, Redemptor noster (ait) Iehoua Tsebaoth, id est, Deus exercituum nomen illius sanctus Israël. & alibi, Ecce Adonai Iehoua in fortitudine. Et ne quis omnindè de diuinitate eius ambigeret, apud Esaia, Vocatum est nomen eius יהוה El, Deus & dictū est, Ecce Deus saluator meus. simulque vnico nomine vtraque natura expressa est, vt cū *Hiere. 23. Esai. 2. 40. Ioel. 3. Esai. 47. Esai. 40. Esai. 9. & 12. Esai. 7.* יהוה עםנו Immanu-el, id est, Nobiscum Deus vocatur: quòd simul cū nostra natura diuinitas Christo inhabitatura esset. At verò Iesum ipsū dicimus, rationē illius nominis habētes, quod ei impositū est ab Angelo, antequam in utero cōciperetur. Ille enim Ioseph dubitāti, in som-

nis apparens, Noli timere (inquit) Mariā accipere in coniugem. Quod enim in ea natū est, de Spiritu sancto est. Pariet autē tibi filiū, & vocabis nomen eius Iesum. Hoc etiam nomen in ipsa circuncisione obseruatum est, ne quo modo à diuina institutione deflecteretur. Hoc nimirum ipse saluator agnosci debuit, cum Iesus idem sit atque saluator. Hoc nomē illud est, de quo Esaias dixit, Et vocabitur tibi nomen nouum, quod os Dei nominabit. Cū enim ab Angelo impositum est, utique ut Dei ministro. Sed & nouū illud dicitur, quia neminante Messiam impositū legitur. Falluntur enim ij, qui hoc nomine Iosue, Iesum Syrach, & Ioscedek, donatos esse censent, licet nostri Messiae figuram gesserint. Hoc ex Hebraicarum literarum ignorantia prouenisse certum est, ut re-

*Esai. 61.*

*Lib. 3. De arcanis fidei in Talmud. Cap. 20.*

ctē Galatinus. Vnusquisque enim eorum, quos hoc nomine Iesu appellatos asserūt, nō Iesua, id est, Iesus vocatus est, sed Ichosua, quod longē aliud significat. Nam Iesua, siue Iesus, idem est quod saluator, siue salus, seu saluatio: Iehosua verò, Deus saluabit, interpretatur, ut ex ipso nomine manifestum esset, quòd saluare nullius eorum intererat, sed solius Dei, qui humanæ naturæ hypostaticè vnitus esset, humani generis verus Iesus, id est saluator. Hoc nomē etiam ab Erythræa Sibylla ex literarum numero prænuntiatum fuerat. Sic enim ait,

*Δὴ τότε γὰρ μέγαλοιο θεῶ παῖς ἀνθρώποισιν  
ἦξει σαρκόφορος θνητοῖς ὁμοίε μῦθος ἐν γῆ,  
Τέσσαρα φωνήεντα φέρων, τὸ δ' ἀφωγον ἐν*

*αὐτῷ.*

Quod est,

*Ipsa Dei soboles magni ventura parentis,  
Mortali similis sub carne videbitur agra:  
Quattuor ergo feret vocales, consonat vna.*

Nam in isto nomine *ἰησοῦς* vocales quattuor sunt *i, n, o, u,* & consona vna *σ,* sed bis repetita. Expressum etiā per Prophetas fuerat, Abacuk capite tertio: Ego autem in Deo gaudebo, exultabo in Deo Iesu meo. & apud Esdram, *Re-3. Esd. 3.* uelabitur filius meus Iesus, cum his qui cum eo lætabuntur. & rursus, Morietur filius meus Iesus, & conuertetur ad me seculum. Et apud Esaiam, *Es. 12.* Ecce Deus saluator meus: fiducialiter agam, & non timebo. Quia fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutē. Haurietis aquas in gaudio de fontibus saluatoris, & dicetis in die illa, Confitemini Domino, & inuocate nomen eius. Vbi magna est ad nomen Iesu allusio, cū Deus saluator meus *יהושוע* El Iesuathi dicatur, quod septuaginta vertunt *ὁ θεὸς σωτήρ:* quodq; legimus In salutem, *εἰς σωτηρίαν,* Hebræa dictio nomē Iesu sonat *יהושוע* Lisuah: ut tandem saluator Iesuah nuncupatur, cū additur, Haurietis de fontibus saluatoris. In Canticis vero spōsa inquit, Oleum effusum est nomen tuū. Nam cū multa eius nomina maiestatē sonent, & terrorem pronuntiantibus incutiant, hoc maximè pietatē notat, & animis nostris, licet cōsciētiae reatu perturbatis, certam remissionis fiduciam confert, ut meditatur Bernardus. Iesus (inquit) mel in ore, in aure melos, in corde iubilus. *Serm. 15. in Cantica cā. tritorum.*

statu aliquis nostrū? Veniat in cor Iesus, & inde saliat in os: & ecce ad exortum nominis lumen, nubilū omne diffugit, redit serenū. Labitur quis in crimen: currit insuper ad laqueum mortis desperādo: nōne si inuocet nomen vitæ, cōfestim respirabit vitā? Cui aliquādo ante faciē salutaris nominis, stetit vt assolet, duritia cordis, ignauitæ torpor, rancor animi, languor aciditæ? Cui fons fortè siccatus lachrymarū, inuocato Iesu, nō cōtinuò erupit vberior, fluxit suauior? Cui in periculis trepidāti & palpitāti inuocatū non statim fiducia præstitit, metū depulit? Iesus enim apud Hebræos Saluatorē significat: in lingua verò Græca Medicum sonat (inquit Cyrillus Hierosolymitanus:) quandoquidē & corporū medicus est, & animarū curator. Cæcorū sensiliū sanator, & mentiū illuminator: claudorū curator, & peccatorū dux ad pœnitentiā. Eapropter enim Paralytico dixit, Noli amplius peccare: &, Tolle grabatum tuū, & ambula. Cū enim propter animi morbum langueret corpus, prius animā curauit, vt corporis etiā induceret sanitatē. Cuius itaq; anima peccatis affecta est, habet medicū: habet & saluatorē. Inde est, quod Paulus toties eius nominis in suis Epistolis meminit, vt in quā tantā suauitatē & cōsolationē deprehendisset. Et hoc vnū se scire professus est, Iesum Christū & hunc crucifixū. Claudus quidā ex vtero matris Hierosolymis erat: hunc Petrus in virtute nominis Iesu sanauit. Ait enim, In nomine Iesu Nazareni surge & ambula. Eadē virtute Tabi-

Catech. 10.

tha excitatur, & Aneas octo annis paralyticus lecto decumbēs restituitur, dicente Petro, Anea, sanet te Dominus noster Iesus Christus: surge, & sterne tibi. Paulus etiā in Macedonia spiritū Pythonicum è puella his verbis eiecit, Præcipio tibi in nomine Iesu Christi exire ab ea: & cōfestim egressus est. Quid quod in nomine Iesu baptisma primū conferebatur, vt tanto maiore in honore nomē istud fidelibus esset? quodq; hæc signa credētibus data sunt, vt in nomine Iesu dæmonia eiiciant? Quid enim dæmonibus hoc nomine terribilius est, quā si nomen hoc Iesu inuocetur, vt scribit Gregorius Nanzanzenus? Qua verò virtute Hilarion In defensione demonum abegit, & illorū illusiones excidit, nisi nomē Christi? Verū iam satis est, quod nomen hoc à Prophetis & Sibyllis prænūtiatum est, à Deo promissum, ab Angelo impositū est nostro reparatori & saluatori. In Iesum itaque credimus, in eum qui hoc nomine donatus est, priusquā in vtero conciperetur, qui saluauit populum suum à peccatis eorum: qui & ipso nomine quātam in eum spem & fiduciam collocare debeamus, testatur: cū salutem, gratiam, peccatorum remissionem, & omnem nobis sanctificationem repromittat.

Quid significat nomen Christi, quodque vt reparatori nostro debeatur, ita ille & Rex, & Sacerdos, & Propheta futurus erat.

**M**ISERRIMA utique tempora  
Scripturę exprimunt, quibus Rex,  
Pontifex, & Propheta defuerit.  
Sic enim Iudicum decimosеп-  
timo dicitur, quod in illis turbu-  
lentis diebus, quibus Israēl à circumuicinis na-  
tionibus opprimebatur, & seditionibus inter  
se se collidebatur, non erat Rex in Israēl, sed  
vnusquisque quod sibi rectum videbatur, hoc  
faciebat: utique in suam ipsorum, & proximi,  
etiam & diuini cultus iacturam, cū Deos  
Gentium & sculptilia adorarent, & mille vitia  
sectarentur. Quid verò denegatis Prophetis  
populo Dei superesset, cecinit Psaltes: Iam nō  
est Propheta, & nos non cognoscet amplius.  
Quid autem si Pontifex defuerit? si oues pasto-  
re destituātur? Dispersę sunt oues meę (inquit  
Dominus) eò quod non esset pastor.

Iam verò quàm magna nobis in vnico  
Christo succurrit consolatio, cū ille ipse  
idem sit Rex noster, Pontifex, & Propheta?  
Nam ei inscriptū est, Rex regum & Dominus  
dominantium. Et, Nunc qui prius eramus o-  
ues errantes, conuersi sumus ad pastorem &  
episcopum animarum nostrarum. Hic deniq;  
omnium Prophetarum princeps est, in quem  
conspirant Lex & Prophetę.

Cæterum tria hæc Christi nomine signifi-  
cantur: ex quo efficitur, vt cū crediderimus  
in Christum, ipsum etiam Regem, Pontificem,  
& summum Prophetam fateamur. Christus

enim nomen est officij, non personę, inquit  
Tertullianus: Vnctum autem sonat, quod Re-  
ges, Sacerdotes & Prophetę ab vnctione pro-  
ficiscerentur, Vnde & Vncti vocarentur.  
Christus enim dictio Gręca est, ab eo quod  
veteres dicebant χρίσται, vngi, quod nunc di-  
citur ἀλείφεται: sicut indicat Homericus ille  
versus,

Αὐτῶς δὲ δμῶαί λῆσαν, ἢ χρίσαν ἐλάω,  
*Ipsos verò famula lauerunt, & unxerunt oleo.*

Hoc significat Hebraica dictio Mas-  
sia, quę vnctum sonat, & legitur Danielis no-  
no, vbi de vngendo sancto sanctorū multa di-  
cuntur. Erat enim (inquit Lactantius) Iudęis  
antè præceptum, vt sacrum conficerent vn-  
guentum, quo perungi possent ij qui vocaban-  
tur ad sacerdotiū, vel ad regnum. Et sicut nūc

Romanis indumentum purpurę insignę est re-  
gię dignitatis assumptę, sic illis vnctio sacri  
vnguenti nomen ac potestatem pontificiam  
aut regiam conferebat. Reges itaque & Sacer-  
dotes, Christi, id est vncti dicebantur. Sic in  
primo Regum, Num coram Domino est Chri-  
stus eius? Et alibi, Propitius sit mihi Dominus,  
ne faciam hanc rem Christo meo. Et in alio li-  
bro, cū de morte Saulis differitur, qui eum  
occiderat, hæc dicebat. Ego interfeci Christum  
Domini. Quin & Cyrus Christus apud Esaiam  
vocatur: Hęc dicit Dominus Christo meo  
Cyro. Nam quod & Pontifices, & Reges vn-  
gerentur, sacre testantur historię. De cōsecran-  
do quidē Pontifice, hæc in Leuitico habētur:

Dixit Dominus ad Moysen, Tolle Aaron cum filiis suis, vestes eorum, & vnctionis oleum, vitulum pro peccato, duos arietes, canistrum cum azimis, & congregabis omnem cœtum Israël ad ostium tabernaculi, &c. Paucis demum interiectis: Fundens autem oleum super caput Aaron unxit & consecrauit, vestiuitque tunicis lineis, & cinxit baltheis, imposuitque mithras, ut iusserat Dominus. At verò de vnctione regia hæc leguntur. Iudicum nono: Ierunt ligna, ut vngerent super se regem. & primi Regum decimo de Saule: Unxit te Dominus super hæreditatem suam in Principem. Et paulò post de Davide: Tulit ergo Samuel cornu olei, & unxit eum in medio eorum. Sed & unxerunt David in Hebron, ut regnaret super Iuda. Et de Salomone. Unxit eum ibi Sadoch sacerdos. Ait & Helisæus vni ex filiis Prophetarum, Ungete Asahel Regem super Syriam.

1. Reg. 16.

2. Reg. 2.

3. Reg. 1.

1. Reg. 2.

Psal. 2.

Psal. 82.

Psal. 131.

Porro nomen hoc promissum esse Saluatori nostro, facile ex Prophetis colligitur: Ut ex eo quòd ad Eli vir Dei dixit, Sublimabit cornu Christi sui, & ambulabit coram Christo meo cunctis diebus. Ex Psalteris vaticinio. Astiterunt Reges terre, & Principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius. Et alibi, Respice in faciem Christi tui. Et alibi, Propter David seruum tuum non auertas faciem Christi tui. Et ne quis ille sit, dubitetur, addit: Iurauit Dominus, & non frustrabitur eum. De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Illucã produc cornu David

parauit lucernam Christo meo. Et Danieli dicitur, Scito: ab exitu sermonis ut ædificetur Hierusalem, vsque ad Christum ducem hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ erunt. Et rursum, Ædificabitur platea, & muri in angustia temporum. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus, & non erit eius populus, qui cum negaturus est. In Threnis verò: Spiritus oris nostri Christus Thren. 4. captiuus ductus est in peccatis nostris, cui diximus, Sub umbra tua viuimus in Gentibus. Sibylla Erythræa hoc etiam nomen agnouit, sibylla. cum in primo oraculorum hæc habet:

-σὺ δ' ἐνὶ φρεσὶ σῆσι νόητος

Ἀθανάτοιο Θεῷ Χειρὸν καὶ δ' ὑψίστοιο: id est,

- Tu verò mente teneto

*Aeterni natum Christum, summique parentis.*

Quinetiam Redemptoris nostri vnctio reuelata fuerat his verbis Danieli: Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum, & super urbem sanctam, ut consumetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio & Prophetia, & ungetur sanctus sanctorum. Psalteres verò hæc cecinit: Sedes tua Deus in seculum seculi, virga directionis, virga regni tui. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Verum (ut scribit Augustinus) dixerint nobis Iudæi, Quis est iste Deus vnctus à Deo? Quo oleo? Spirituali. Intus vnctus est. Ait enim per

Daniel. 9.

Psal. 45.

Enarrat.

in Psal. 45.

*Esai. 61.* Esaiam: Spiritus Domini super me, eò quòd vnixerit me. Præ cõsortibus vnctus est. Quando consortes nominantur, naturam carnis intellige (ait Hieronymus) quia Deus consortes suæ substantiæ non habet. Et quia vnctio erat spiritualis, nequaquam humani corporis, vt fuit in sacerdotibus Iudæorum: id est, præ cõsortibus, id est, cæteris sanctis, vnctus esse memoratur. Cuius vnctio illo expleta est tempore, quando baptisatus est in Iordane, & spiritus sanctus in specie columbæ descendit super eum & mansit in illo. De quo nimirum Esaias: Exiet virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum spiritus Domini. Vnde & Saluator cum in Nazareth venisset, librum Esaiæ, & locum hunc legit, quo conuoluto, ait hæc iam completa esse in auribus eorum. Ab illo chrismate spirituali Christiani vocamur, ideòque statim baptisati vn-  
*Lib. Eccles. Hierarch. c. 2. par. 2.* gimur (inquit Dionysius Arcopagita) vt quasi fortes athletæ Christum sequamur. A Christo quoque venturo, vt ab exemplari, chrisma visibile & inuisibili sumptum est (vt scribit Eusebius Cæsariensis) præsertim cum Moyse diceret Dominus, Omnia facito secundum exemplar, quod tibi datum est in monte. Nam prophético spiritu ducebatur Moses, vt in spiritu apprehenderet spiritualem illam Christi vnctio-  
*Lib. 4. De monstr. E- uangel. c. 15. Exod. 25. Act. 7.* nem. Cum enim vnum perfectum Pontificem Christum agnouisset, iussus est in terra imagines & notas eorum conficere, quæ in illis Dei visionibus intellexerat. Perfectior au-

tem tanto fuit vnctio Christi, quanto non ab homine, sed immediatè à Spiritu sancto Deo collata est. Nam (vt ait Basilus) quoniam christina typicum, & typici Pontifices & Reges Christum figurarunt, ideò caro Domini vero chrismate vncta est, adueniente super eam spiritu sancto, qui & oleum exultationis vocatur. Et bene exultationis, namque gaudium inter fructus numeratur, quos in nobis gignit Spiritus sanctus.

Cæterum vnctus est & Helisæus in Prophetam: ex quo Christus Prophetarum Dominus prælagiebatur, imò & Propheta, quem de fratribus nostris suscitandum Moses prædixerat. Regem autem illum futurum Prophetæ cecinerant. Dauid quidem, Ego autem constitutus sum Rex ab eo super montem Syon. Et in alio Psalmo, Commoueatur à facie eius vniuersa terra. Dicite in Gëtibus, quia Dominus regnauit. E quo Psalmo scribit Iustinus Martyr, Iudæos malitiosè rescidisse dictionem, quæ significaret à ligno: nimirum quòd per crucem sibi Christus regnũ promereretur. Nam propterea Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen quod est super omne nomen. In alio etiam Psalmo, Dominus virtutum, ipse est Rex gloriæ: quod Hippolytus martyr & Origenes traducunt ad interrogationem Angelorum, Christo in cælum ascendente. Esaias quoque, vbi sic Christi aduentum exoptauit, Domine, miserere nostri: te enim expectauimus, &c. Regem (inquit) in decore suo videbunt oculi eius: cernent terram

*In Psal. 45.**Psal. 95.**Psal. 2.**Psal. 23.**Esai. 33.*



1. Cor. 1.

de longè: cor tuum meditabitur timorem. Vbi est literatus? Vbi legis verba ponderans? Vbi doctor paruulorum? Et paulo post: Dominus enim iudex noster, Dominus legifer noster, Dominus Rex noster, ipse saluabit nos. Zacharias autem, Ecce Rex tuus venit tibi iustus. Clemens Romanus libro primo Recognitionum ad Iacobum fratrem Domini, inducit Petrum dicentem, Christum eximio quodam religionis ritu Regem nuncupari. Nam Regum (inquit) sunt quædam communia nomina, vt apud Persas Arfaces, apud Romanos Cæsares, apud Ægyptios Pharaones dicantur: ita apud Iudæos Christus communi nomine Rex nuncupatur. Hinc Angelus, Regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Regnum autem habuit, non successionem, et si è domo Iuda, & familia Dauid, sed summo merito: Nec carnale, sed spirituale: non de hoc mundo, vt ipse attestatus est, sed de summa & æterna patris institutione. Denique (vt scribit Basilus) Rex dicitur ob multiplicem in nos beneficentiam, & diuitias bonitatis suæ, quas egētibus præstat: vt non modò medicus, sponfus, via, petra, fons & panis nuncupetur. Non enim ista naturam declarant, sed gratiæ varietatē, modis omnibus in nobis operātis, quam ex affectu, quem gerit in suum figmentum, vt cuique opus est, impartit. Dominus regit me, & nihil mihi deerit (inquit Psaltes) in loco pascuæ ibi me collocauit. Sariat ille nos sacrosancta Eucharistia, & posuit in conspectu no-

Luc. 1.

Lib. de spiritibus, ca. 8.

stro hanc mensam, aduersus eos qui tribulant nos. Denique super aquam refectionis, aquam sacrosancti baptismatis, super doctrinæ Evangelicæ fluenta educauit nos, animas nostras conuertit. Huius amœnitatis scintillam cum percepisset turba ex ea panum & piscium multiplicatione, qua quinque hominum millia refecta fuerant, ipsum in Regem rapere destinarunt. Postremò si quam Regis constituendi occasionem accepit Israël, vt esset qui duceret eorum prælia: quis quæso pugnat pro nobis, quis pro Ecclesia contra tot hæreticorum & schismaticorum monstra dimicat, nisi Christus noster? Meritò sanè ad eum quem vnctum dixerat, exclamat Dauid: Accingere gladio tuo *Psal. 45.* super femur tuum potentissime. Hoc in visione obseruauit Ioannes discipulus ille dilectus. *Apoc. 19.* Vidi cælum apertum (inquit) & ecce equus albus, & qui sedebat super eum, vocabatur fidelis & verax, & cū iustitia iudicat & pugnat. Oculi eius sicut flamma ignis, & in capite eius diademata multa, habens nomen scriptum, quod nemo nouit, nisi ipse. Et vestitus erat veste aspersa sanguine, & vocabatur verbū Dei. Et exercitus qui sunt in cælo, sequebātur eum in equis albis. Hic est in cuius signo vicit *Euseb. hist. Eccles. lib. 9. cap. 9.* Maxentium Tyrannum Constantinus: cum nauibus, quas ille ad decipulam componi iusserat, subito quodam furore cōscensis, in ipso Miluio fonte submersus est. Regiam itaque in Iesu nostro maiestatem tanto digniorem agnoscimus, quanto non sensibili, sed diuina vn-

atione illa collata est, & diuinæ virtuti inni-  
titur.

Quòd autem Christi nomen ratione Ponti-  
ficiæ dignitatis merito quodam summo reful-  
geat, facile assequemur, si ad ipsum omnē Pon-  
tificum & sacerdotum ordinē, omne denique  
ministerium contendisse intelligamus. Ponti-  
fex enim noster est, cū offerat dona & sacri-  
ficia pro peccatis, qui quanto maioris est &  
melioris tabernaculi, ita & meliores & perfe-  
ctiores hostias habet, quæ possint perfectos  
reddere credentes. Paulus per omnem illam  
epistolam quam ad Hebræos scripsit, ipsum  
non è Leui, neque ex Aaron dici debuisse de-  
monstrat, cū scriptum sit, Tu es sacerdos in  
æternum secundum ordinem Melchisedech:  
ex alia nimirum tribu, quæ non subseruisset  
altari. Translato enim sacerdotio, necesse fuit  
vt legis translatio fieret, & translata lege, sa-  
cerdotium transferri oportebat. Atqui iam ex  
aduerso legis, quæ per Moysen data est, stetit  
gratia per Christum Iesum: aliud quoque sa-  
cerdotium in Christo successisse oportuit. Et  
quidem aliud, seu ipsius sacerdotij primordia,  
seu sacrificij speciem cum Paulo obseruemus.  
Ille enim non secundum humanam genera-  
tionis seriem, non è cornu legalis olei, sed spiri-  
rituali & excellentissima vnctione perfusus, à  
Patre etiam electus, sacerdos factus est: neque  
vt plures propter insufficientiam offerret ho-  
stias, sed vnam & simplicissimam, corpus scili-  
cet suum, quod omne mundi pretiū superaret.

*Psal. 109.*

Ex quo efficitur (inquit Ambrosius) vt anti-  
quiora sint mysteria Christianorum & diui-  
niora, quàm Iudæorum. Iudæi enim quando  
esse cœperunt? Ex Iuda vtique pronepote A-  
brahæ. Et si verò ipsis Moysi temporibus Deus  
Iudæis murmurantibus Manna pluit è cœlo:  
tibi quidem sacramentorum horum figura præ-  
cessit, quando Abraham erat, quando verna-  
culos trecentos decem & octo collegit, & ibi  
persecutus est aduersarios, de captiuitate eruēs  
nepotem suum. Tunc victor venit, occurrit illi  
Melchisedek sacerdos, & obtulit panem & vi-  
num. Quis habuit panem & vinum? Abraham  
non habuit, sed Melchisedek: qui significatur  
Rex iustitiæ, Rex pacis. Quis est iste Rex iusti-  
tiæ? Numquid homo quisquā potest esse Rex  
iustitiæ? Quis est ergo Rex iustitiæ, nisi iustitia  
Dei, qui est Dei pax, Dei sapientia? Qui potuit  
dicere, Pacem meam do vobis, pacem relin-  
quo vobis. Sic & priora sunt sacramenta no-  
stra, & prius cœpit populus Christianorum,  
quàm Iudæorum: sed nos in prædestinatione,  
illi in nomine. Quin & Melchisedek sine pa-  
tre, sine matre legitur, sine generationis ordi-  
ne, neque initium dierum, neque habens finem  
vitæ. Similis ergo filio Dei, vt scribit Paulus.  
Ille enim sine matre natus est generatione cœ-  
lesti, quia ex solo Deo patre natus est: & iterum  
sine patre natus est, quando natus est ex virgi-  
ne. Non enim ex virili semine generatus est,  
sed natus est de spiritu sancto, vtero editus  
virginali. Epiphanius in hæresim Melchisede-  
55.

*Libr. 4. de  
sacra. c. 3.*

*Exod. 16.*

*Genes. 14.*

*Ioann. 14.*

*Heb. 7.*

*Lib. 2. tom. 2. in hæres.*

chianorum, Primum (ait) sacerdotium in Abel perficitur in præputio, secundum in Noé, tertium in Melchisedek. In omnibus autem Christus præfigurabatur. Nam ille agnus occisus est ab Abel in mysterio à mundi initio, ut legitur in Apocalypsi: sed & à fratribus occisus est, & extra portam passus est, ita ut & in ipso sacerdote Abele, & in eius victima adumbraretur. Amplius verò & in Noé mysterium Domini nostri Iesu præfulsit, qui egressus de illa synagogæ arca, in qua per passionem suam mundi salutem acquisiuit, nouum altare, nouumque sacrificij ritum instituit: & quod illic seruatum est, hîc in holocaustum Deo patri tam per semetipsum, quàm per manus sacerdotum suorum offerre non desinit, inquit Rupertus. Ipsum denique corpus quod illic in ligno pependit, ipsum sanguinem qui illic effusus est, cum honorifica gratiarum actione illi offerimus, qui eum à morte saluauit. Sed & de cunctis animantibus mundis, id est, hominibus, quos ille suo sanguine purificauit. Quod enim Deus sanctificauit, tu ne commune dixeris. Oblit ergo, quia & offerre facit, eos qui in Ecclesia salutem acquisierunt. Si autem Melchisedek attendas, præter id quod Regem iustitiæ Christum figurabat: quomodo non in suo sacrificio illa quæ per Christum adimpleta sunt, præter-

*Genes. 8.*

*Rupertus in Genes.*

*Act. 10.*

*Hieron. ad Euagrium. Lib. 4. Stro- mat.*

xuit? Nam (ut Hieronymus ait) non sanguinem & carnes victimarum, aut sanguinem brutorum, sed panem & vinum in purum sacrificium Christi dedicauit: Et (ut Clemens Alexandrinus)

vinum

vinum & panem sanctificatum dedit nutrimentum, in typum Eucharistiæ: Proponite scilicet vobis ante oculos duo sacrificia (inquit Augustinus) vnum secundum ordinem Aaron, alterum secundum ordinem Melchisedek. Erat enim, ut nostis, sacrificium Iudæorum antea in victimis pecorum, & hoc in mysterio: nondum enim erat sacrificium corporis & sanguinis Domini, quod fideles norunt, & qui Euangelium legerunt: quod sacrificium nunc diffusum est toto orbe terrarum, sub panis vini que speciebus. Sic enim sapientia, Verbum patris, filius Dei, Christus Iesus, ædificauit sibi domum, & in se qui omnium est firmissima petra, confirmauit: excidit columnas septem: septem sacramenta, iuxta septem Apocalypseos candelabrorum numerum, & septiformem Spiritus sancti gratiam instituit: immolauit victimas suas, suum ipsius sacrificium, cum posuit mensam, & simplices Apostolos ad esum carnis & potum sanguinis sui inuitauit, dicens, Venite, comedite panem meum, & bibite vinum quod miscui vobis. Iam cum Dei sapientia has victimas immolare debuerit, an non & ipsum Christum sacerdotem secundum Melchisedek dici oportuit? Hunc ad Heli vir Dei prædixerat, suscitandum sacerdotem fidelem, ad quem ipsæ etiam Iudæorum reliquiæ aliquando confluerent, dicentes: Iacta me in vnam partem sacerdotij manducare panem. Id enim sacrificij genus eleganter expressit (inquit Augustinus) de quo dicit sacerdos ipse, Panis quem

*Enarrat. in Psal. 33.*

*1. Reg. 2.*

*Lib. 16. de ciuit. de i. c.*

Q

ego dabo, caro mea est pro seculi vita. Ipsum est sacrificium, non secundum ordinem Aaron, sed secundum Melchisedek. Qui legit, intelligat. Hæc enim ex Melchisedek obseruantur in Christo perfecta: quod simul Rex sit, &

1. Sacerdos: Rex, inquam Hierusalem spiritualis,
2. vtriusque scilicet Ecclesiæ. Rex etiam iustitiæ,
3. non qui Deum peccatis suis prouocaret, vt Saul, Dauid, Salomon, & Regum sapientissimi. Quis enim eorum sine peccato est? Sed re-

gnabit Rex (inquit Hieremias) & sapiens erit, & faciet iudicium & iustitiam in terra. Nec vero sacerdotium suum circumcisioni, sed præputio adiunxit, vt legem naturæ scriptam in cordibus ad nos redire testaretur.

Hunc sacerdotē spiritualibus oculis viderat Zacharias: Ostendit enim mihi Dominus Iesum sacerdotem magnum, & Sathan stabat à dextris eius, vt aduersaretur ei. Quod in Christo impletum docet Hieronymus, eo nimirum tempore, quo Sathan Christū in deserto, post exactum quadragesimale ieiunium aggressus est. Sic enim rursus typicè de eo apud Zachariam: factum est verbum Domini ad me dicēs, Sume à transmigratioe ab Holdai, & à Tobia, & Idaia: & venies, & intrabis domum Iosif, filij Sophoniæ, qui venerunt de Babylone. Et sumes aurum & argentum, & facies coronas, & pones in capite Iesu filij Iosedek sacerdotis magni, & loquēris ad eum, dicens, Hæc dicit Dominus exercituum: Ecce vir oriens nomen eius, & subter eum orietur, & ædificabit

templum Domino, & portabit gloriam, & sedebit, & dominabitur super folio suo, & erit sacerdos super folio suo, & consilium pacis erit inter illos duos. Denique Hieronymus id Ezechielis exponens, Aufer cidarim, & tolle coronam. Iniquitatem, iniquitatem, iniquitatem ponam eam: & hoc non fiet, donec veniat cuius est iudicium, & tradam ei: Id (inquit) nihil aliud est, quàm quod Christi temporibus regnum & sacerdotium Iudæorum cessaturum erat. Vnde qui postea vsque ad aduentum Reges fuerunt, pariter & sacerdotes, quorum vnus Hyrcanus Pontifex diadema capiti suo imposuit, frustra sibi & hoc & illud vindicare voluit, cum regnum ei non deberetur post Sedechiam, sed illi cui repositum erat, qui erat expectatio Gentium. Ad Christum ergo summa Pontificij & regij nominis conuolui debuit. Ex quo efficitur, vt illum Christum profiteamur, qui dignissima & excellentissima vnctione Rex noster & sacerdos consecratus sit. In quibus Ecclesiam illius regnum, corpus & sanguinem eius in tremendis sacrosanctæ liturgiæ mysteriis illius verum sacrificium agnoscimus. Quod enim Christus est, excellentissimo quodam gradu datam ei omnem cæli terræque potestatem protestamur.

*Quod Christus est Dei Filius, Deus de Deo.*

Q ij

*Lib. 7. Comment. c. 21.*

*Cap. 6.*

*Hierem. 23.*



VM hominis iustificatio à Deo sit, illa autem nobis in Christo sit reposita, illum quoque Deum esse oportuit, qui (vt scribit Gregorius Nyssenus) infirmæ nostræ naturæ mederetur, lapsum hominem erigeret, mortuum viuificaret, boni desertorem ad bonum reduceret: qui in tenebris agentibus lumen, captiuus redemptor, vincis vindex, seruitutis iugo oppressis liberator adesset. Hæc enim omnia quis hominum conferre potuisset, cum omnes declinauissent, simul inutiles facti essent, nec esset qui faceret bonum, nec vsque ad vnum? cum omne caput languidum, & omne cor mœrens, vt ait Esaias? Nam (vt Paulus) omnes peccauerunt, & egent gratia Dei. Deum itaq; nostrum redemptorem credimus, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Illum filium Dei vnicum Dominum nostrum profiteamur. Filium quidem Dei, non per adoptionem, quemadmodum & nos qui plures sumus: de quibus psaltes, Ego dixi, dij estis, & filij excelsi omnes: sed per naturam & substantiam, eundemque vnicum. Cui enim, aliquando Angelorum dixit, Filius meus es tu, ego hodie genui te? & rursus, Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium? Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit, Et adorēt eum omnes Angeli Dei. Et ad Angelos quidem dicit, Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis. Ad filium autem, Thronus tuus Deus in seculum seculi. Sic tan-

Serm. cate-  
ch. de diu.  
sacra. c. 13.

Esai. 1.  
Rom. 3.

Heb. 1.  
Psal. 2.

2. Reg. 7.  
Psal. 103.

Psal. 44.

to Angelis melior effectus est, quanto differentius præ illis nomen hæreditauit. Hic est qui quartus in fornace Babylonica apparebat, similis filio Dei. Vnde & in typo vnigeniti filij adumbratus est, dicente Domino ad Abraham, Tolle filium tuum vnigenitum quem diligis Isaac, & vade in vnum montium quem monstrauero tibi, vt offeras mihi illum in holocaustum. Hic est, ad quem pater ille cœlestis, Ex vtero (inquit) & ante luciferum genui te: & de quo apud Oseam, Ex Ægypto vocavi filium meum. cui etiam Pater in baptismo & transfiguratione attestatus est voce à magnifica illa gloria delata, Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui. Quod & Angelus prænuntiabat virgini dicens, Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. Hunc ipsi dæmones confessi sunt, siue etiam an is ipse esset qui in carne apparebat, hæsitarent: vt cum Sathan diceret, Si Filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant. Filium enim Dei in singulari, non nisi per antonomasiam, & summum illum naturæ gradum intelligebat, cum ad eum transmutationis lapidum in panes facultatem deferret. Hunc Petrus agnouit, dicens, Tu es Christus, Filius Dei viui. Cui quidē cōfessionem Martha & Maria subscripserunt. Hunc confessus est & Centurio viso terramotu, & his quæ Christo moriente fiebant: Verè enim (inquit) filius Dei erat iste. Hunc etiam Sibylla, cuius carmen adfert Lactantius, fals. sap.

Daniel. 3.

Psal. 109.

Ose. 11.

Lib. 4. de

fals. sap.

cap. 6.

Αὐτὸν σὸν γέγνωσε Θεὸν Θεὸς υἱὸν ἑόντα,

Q iij

*Ipsum tum cognosce Deum, Dei filium existentem.*

*Lib. 1. ca. 5.*

Orpheum quoq; scribit, non alia ratione Deū verum *πρωτόγονον ἢ φάντα* apparentem vocasse, quā quod aliquid de Dei filio intellexisset: cuius originem atq; naturam quia concipere animo non poterat, ex aëre immenso natum esse dixit, his verbis,

*Πρωτόγονος φάειων περιμήκεος ἕρος υἱός. i.*  
*Primogenitus phaëthon circumiacentis aëris Filius.*

Aliud enim quod diceret, non habebat. Eodem prorsus modo Plato, cum scripturas nostras legisset, ut *λόγον*, ita mentem quandā primam asseruit, quam Poëtæ, inter quos celeberrimus est Hesiodus, Pallada vocarunt. Hic enim Iouis partū in Theogonia exprimens, primam cæsis oculis Tritoniam, equalis cum patre virtutis è cerebro natam prudentem Bulē, id est, cō filium, ut qui observare potuerit quæ de æterna Dei sapientia dicuntur: Ego ex ore altissimi prodij, primogenita ante omnē creaturam. Hanc Plotinus & Philo diuinum vocarunt intellectum, qui à patre manuerit, ut abs loquēte verbum, & à lumine lumen. Nec est, ut doctè peroravit Athenagoras, quod aliquis ridiculum id ducat, aut sic nos Deo filium tribuere arbitretur, ut Poëtæ, qui nihilo meliores hominibus suos Deos faciūt. Sed filius Dei, est Verbum patris in idæa & efficacia. Primigenia hic est patris progenies, quæ non ut facta, sed ut rerum omnium perfectio foret, progressa est. A principio enim Deus, qui est mens æterna, ipse in seipso *λόγον*, id est, verbū & ra-

*In legatione pro Christianis.*

tionē habet, cū ab æterno rationalis ipse sit. Hunc credimus esse Deum de Deo, lumen de lumine, Deū verum de Deo vero. Quæ omnia fusiùs per Nicenum symbolū explicata sunt, ut Arianorum impietas collideretur, qui Christi diuinitatem negabant. Porro (ut scribit Augustinus, si verus est Dei Filius, hoc etiā est quod pater. Mortales enim & terrenas creaturas atrendite. Quod est res quæq; hoc generat. Non generat homo bouē, non ouis canē, nec canis ouem: quin potius ut ouis ouem, ita homo generat hominē. Sic genuit Adam filium ad imaginem suam. Num eiusdem secum substantiæ? num hominē? In plantis deniq; ex grano granum, & ex fructu arboris eadem arbor secundum substantiam enascitur. Et quidē rectè secundum substantiam & naturam: non enim secundum indiuiduum & personam. Alia enim est persona & substantia Adæ, & alia filij eius Seth. Ita & in diuinis licet vnica sit & simplicissima natura, alia tamen est persona patris, alia filij, alia Spiritus sancti. Si autem homo ex homine est, quid miraris Deū esse de Deo? Verūm obiicis, Duos homines dici, non duos tamen Deos. Hoc sanè. At verò in Actibus Apostolorum legimus, credentium animam fuisse vnā, & cor vnum. Multæ animæ erant, fides verò eadem vnā fecerat: tot millia erant, & charitate fiunt vnum. sic etiā fiunt duo in carne vnā. Si tam multas animas fecit animā vnā charitas, qualis charitas est apud Deum, vbi summa bonitas, & integra æqualitas: quomo-

*Lib. 1. de Symbol. ad catech. c. 2.*

*Act. 4.*

do ergo nō maior hīc vnitas erit, si naturæ simplicitatē spectes? Rursus obiicis, Pater non gignit filium sibi corpore æqualē, sed maiorem. Hoc fanè: quia senescit ille, crescit iste, & ad formam patris sui vel crescendo peruenit. At filius Dei non crescit, quia non potest Deus senescere: idè perfectus natus est: & minor non remāsit, sed æqualis est. Itaq; Deus est de Deo: qui autē Deum dicit, omnipotētem, æternum, immensum, incomprehensibilem, creatorem, summè bonū dicit. Hæc enim omnia non minus filio conueniunt, quàm patri. Vnde & ille ait, Omnia quæ habet pater, mea sunt. Et rursus, Omnia mea tua sunt, & tua mea sunt. Cùm enim in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deum, inquit Paulus. Hoc olim impugnabat Arius ex malè intellectis scripturis: quas, cùm de humana natura intelligi deberent, ad diuinā eludendā concludebat. Legebat ille, Pater maior me: quod Christus sic expēdebat, vt se in ratione humanę naturę patre minorem astrueret. hoc ille sic inferbat, quasi diuinitatem à se exploderet. Nec enim istud legebat, Ego & pater vnum sumus. Aut si quando legerat, ad voluntatem referebat, & non ad substantiam. Serpserat hæc hæresis in Constantio, Valente, Valentiniano, & quibusdam aliis Imperatoribus, in Oriente & Occidente. Infecerat Gothos, Scythas, Vandalos, magnam etiam partem Græciæ: Vnde contra eā multum laboratum est. Celebratissimam illam Nicænā synodū congregari

Iean. 16.

oportuit sub Constantino Principe, ad quam trecenti decem & octo Episcopi conueniunt, qui omnes vno ore Arii impietatē damnarunt. Ille itaque in exilium pulsus est: tādē reuocatus, cùm confessionem, vt apparebat, Nicenæ proximam edidisset, sed rectam tamen & subdolam, vt scribit Eusebius. Constantio *Lib. 10. hist. Eccles. Cap. 11.* enim eo, qui Arii partibus fauebat, in Imperiū suscepto, Arius restitui non difficulter potuit. Verùm non sine magni iudicij & diuinæ sententiæ testimonio. Nam cum ille ad magnum Alexandriae templum properaret, vt ab Episcopo Alexandro admitteretur ad communionem, cumque summa Arianorum esset expectatio, quasi iam securè per omnes Ecclesias & templa, sua postmodum dogmata disseminare possent: Orabat Alexander cum Clero, fufisq; lachrymis coram altari summo prouolutus, Dei misericordiā inuocabat, ne sineret à prophanis hominibus nomen suum pollui. Tum verò Eusebius apud Imperatorem instabat, vt reciperetur Arius. Dum ergo ille procidit, necessitate naturæ coactus, in locum publicum diuertit, vbi omnia effudit intestina. Inde locus ille omnibus detestabilis redditus est. Hic *Theodor. lib. 1. cap. 14.* finis dignus impio illo, qui in filium Dei blasphemarat, non minus quàm is qui traditori Iudæ contigit, cuius omnia viscera simul effusa sunt. Si quis enim filium Regis exhonorarit, *Act. 1.* quid meretur? Hoc nimirum stratagemate Amphilocheus Iconij Episcopus, cùm de eiciendis Arianis ageretur, apud Theodosium

Imperatorem docuit, quantum profligandi, & *Niceph. cal.* à ciuitatibus abigēdi essent. Cū enim consul. *list. hist. Ec-* tō Arcadium Cæsarem in salutatam Amphilo- *clesiast.* chius præteriisset, transferri senem à Palatio Theodosius iusserat, ut qui parum filium suum vereretur. At verò conuersus ille, Si tu inquit) me abigendum censes, qui filio tuo parem tecū honorē minimè detulerim: quomodo quæso tu illos admittendos censes, qui in supremi Dei vnigenitum filium blasphemāt? Qua verò potiori ratione illos vrbibus admittēdos censes, cū etiam me tuo palatio excludas? Ut tanta igitur blasphemia profligaretur, armauit Deus & Episcopos & Imperatores, qui causam hanc pietatis amplecterentur. Quid enim manifestius esse potest, statim atque Deum vnum esse cognoueris, quàm Christum Deum esse, & æqualem cum patre potestatem habere? Nam præter ea quæ superius annotauimus, hæc habet Esaias: Deus ipse veniet, & saluabit nos. *Cap. 35.* Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebūt. Tunc saliet sicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorum: quia scissæ sunt in deserto aquæ, & torrētes in solitudine. Quando verò hæc, nisi Christo adueniente adimpleta sunt? Tunc enim aqua Iordanis in Ioannis baptismo, locis in solitariis celeberrima fuit: tunc & illa miracula patrata sunt, quæ per Esaiam promittebantur. Denique hoc de Christo Esaias iudicium tulit: Verè tu es Deus absconditus, Deus Israël saluator. Cum enim caro assumpta velaretur, & omnes nostræ na-

*Cap. 45.*

turæ infirmitates sustineret, ipso interim in summo maiestatis gradu constituro, quomodo non Deus absconditus esse dicatur?

Porro Manichæi Deum de Deo procedere negarunt, ne admitterent, ut dicebāt, substantiæ diuinæ diuisionem. Illos verò pura Ecclesiæ fides condemnat, cū Deum totum à Deo toto, non diuiso, sed integro genitum esse profiteretur, multo sanè magis quàm lumen è lumine proficiscitur. Est enim (ut scribit Eusebius) splendor luminis sempiterni, speculum-que immaculatum diuinæ euentiæ. Splendor enim est gloriæ, & figura substantiæ patris, ut docet Apostolus. Atqui simul cum lumine splendor, simul quoque cum patre filius. Nec potest splendor à lumine separari, nec à patre filius. Nec plura lumina sunt, sed vnum & vnus splendor: nec aliquid è lumine splendorem producente decidit, ita nec quid à patre in ipsa filij generatione. Accedit & luminis cum splendore naturæ similitudo, quæ diuinæ patris & filij essentiæ simplicitatem confirmet. Basiliius ex hac luminis similitudine Eunomium eludit, patris ad filium esse naturæ communicationem confirmans. Etsi nec imaginem eius, cui nihil potest comparari, possibile est intelligere, nec splendore ipsius, quæ communicari natura nõ potest. Attamē qui imaginē videt, quodammodo videt imaginatū, & qui splendorem videt, videt & lumen: ita Christus, Philippe (inquit) qui videt me, videt & patrē.

*Lib. 4. De-*  
*mōstr. euāg.*  
*Cap. 3.*

1.

2.

3.

4.

5.

*Lib. 1. cōtra*  
*Eunomium*



An nescis quia ego in patre, & pater in me est? Idcirco nimirum splendor dicitur, ut cōiūctio. nem intelligamus: & character substantiæ, ut consubstantialitatem fateamur: sic lumen est de lumine, Deus verus de Deo vero. Hic quidem ordo est, qualis in lumine & splendore: nō quidem artificiosus, ut in iis contingit, quorū unum altero prius est tempore: sed rationalis, qui in his etiam secundum rationem obseruatur, quæ simul natura sunt, ut docet Basilius. Nec enim pater filio prior est, nec filius posterior patre, licet in ordine cognitionis prius pater occurrat quàm filius. Quis enim non intelligit simul cum lumine splendorem esse, licet primū lumen attingamus, quàm ad splendoris rationem deueniamus?

Porro olim Hierarchas hæreticus obiectabat diuisionem luminis fieri in duas tædas. Respondit autem Hilarius, diuisionem illam minime à nobis attendi, sed quod vtrumque sit eiusdem substantiæ. Contendentibus demum Arianis, & ut ad se mulierculas pertraherent, quærentibus, Num in humanis Pater prior sit filio? Num & gravidæ matres sint ante partus suos? Atqui (ut inquit Gregorius Nanzanzenus) non est corporeus Deus, ut à corporea generatione ratiocinemur: sed & inter homines nullus aliquando pater est, qui non habeat filium. Cum ergo ab æterno Deus pater sit, etiā ab æterno filium esse necesse est. Athanasius hoc confirmat ex solis & ipsius luminis similitudine, ex subiecto & eius innata virtute: quod

*Lib. 6. De Trinitate.*

*Lib. 3. Theolog.*

*Lib. 2. & 3. contra Arianos.*

hæc simul sint, nec diuidantur. Iustinus quoque Martyr in eo libro quem de Trinitate scripsit, hanc splendoris & luminis similitudinem sic diuinis personis comparat: quod splendor luminis contemporaneus sit, filius verò patri cō-æternus: gignatur splendor à lumine, filius quoque à patre: sitque hæc in vtrisque generatio, sine sui iactura, decissione, fractura, & diminutione: quodque talis in his ordo admittatur, ut lumen generet, splendor autem sit generitus: & tamen neque sol splendor est, nec splendor sol esse dicitur, cum sint interim eiusdem substantiæ. Eadem ferè sequitur Athanasius in oratione quarta, quam contra Arianos habuit. Et quidem conueniens est similitudo, cum Christus se lucem huius mundi nuncuparit, seque à patre exiisse, & in mundum venisse dixerit, nimirum ut lux à sole. Est enim quædam emanatio substantiæ, ut probat diuus Hilarius. Nec temerè dicitur Deus verus de Deo vero. Num scilicet verum lumē de vero lumine? Par igitur, immò vnica & simplicissima est maiestas patris & filij. Hæc in Christo nostro agnosci debuisse prædixit David. Sedes tua Deus in seculum seculi, virga directionis. virga regni tui. Quis enim ille Deus, nisi Christus? Addit enim, Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem: propterea vnxit te Deus Deus tuus, oleo lætitiæ præ participibus tuis. Idem ergo Deus & Christus, id est vnctus. Et paulò post, ad Ecclesiam dicitur, Concupiscet Rex decorem tuum. Quoniam ipse est Dominus Deus

*Lib. De Trinitate.*

*Lib. 5. De Trinitate.*

*Iustin. Mart. dialog. cum Tryphone.*

*Psalm. 45.*

psal. 71.

tuus, & adorabunt eum. Nam Ecclesiā concupiuit Christus, qui tradidit semetipsum pro ea, ut eā redderet sine macula & ruga, & sibi desponsaret. Ille ergo est Deus noster, cui summa adoratio debetur. In alio autē Psalmo hæc leguntur, Deus iudiciū tuū Regi da, & iustitiam tuā filio Regis. Iudicare populos in iudicio, & pauperes tuos in iustitia. Suscipiant mōtes pacem populo, & colles iustitiam. Hoc Iudæi de Salomone dici existimant, cū non intelligāt Christum longè Salomone superiorē esse. Nec enim ad Salomonem referri potest, quod sequitur, Et permanebit cū sole, & ante lunam: ante solem permanet nomen eius. Quid enim hoc aliud est, nisi quod creator est, & Deus? Et ipse tamen filius, regis filius Dei. Hic est quem cōtra Arianos fatemur Genitum non factum. Nam quod fit, alterius est naturæ à factore, & contemptibilis: ut in his manifestum est, quæ per homines fiunt. At verò quæ gignantur, eiusdem sunt substantiæ cum genitore, ut diximus. Illa denique quæ fieri dicuntur, ex aliqua corruptibili materia emergunt. Quin & initiū habent, & interitura sunt: cū interim ut simplicissimus, ita & æternus sit Dei filius. Hunc credimus Consubstantialem patri, per quem omnia facta sunt. Hæc vox licet non scripturis expressa, facilè tamen ex his elicitur, ut doctè contra Arium disputavit Athanasius. Quæ enim vnum sunt, quomodo non consubstantialia esse credantur? At verò, Ego & Pater vnum sumus, inquit Christus. Sed & (ut Ioannes ait)

tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt. Hæc dictio Ecclesiæ in vsu fuit, contra Ariani impietatem, maximè à celeberrimo illo Niceno concilio: ad eò ut nostri Homoufiani, id est, consubstantiales dicerentur. Fuerunt verò postmodum in Ariminensi & Seleuciano conciliabulo, qui nostris imponere conarentur, allusione & vicinitate alterius dictionis, quæ etsi τὸ ὁμοούσιον consubstantiale sonare videretur, nihil aliud tamen esset quàm τὸ ὁμοιοούσιον; æqui substantiale. Quæ vox in Sirmientiensi concilio contra Photinum condemnata est. Nec enim aliqua tantum patri cum filio similitudo intercedit, sed & essentiæ idēitas. Hoc enim pater est quod filius, licet non hic pater sit qui & filius. Personis enim distinguuntur, qui in vnam concurrunt naturam.

Niceph. lib.  
9. hist. Ec-  
cles. c. 31.

*Quomodo Dei filius de cælis descendisse dicitur, & de virgine nasci debuit.*

**E**X TREMA non nisi per media colligantur, ut anima corpori per personam, tectum fundamento per parietem. Deus verò quomodo coniungi homini potuit, nisi per Christum? Ut enim Deus omnium supremus est, & optimus: ita & miserrimus homo, & abiectissimus, maximè si cuiusque animam ab illa gratia quæ per Christum nobis communicatur, secernamus.

At verò cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo: & qui eramus longè, per Christum propiores facti sumus. Nam cum olim Dominus sceleribus hominum prouocatus dixisset, Non permanebit Spiritus meus cum homine, quia caro est: nunc pace per Christum facta, misit Deus spiritum filij sui in corda nostra, clamantem, Abba, pater. Nam (vt scribit Apostolus) *εἰς θεός, εἰς καὶ μεσίτης Ἰησοῦ καὶ ἀνθρώπων, ἀψωπτος γενεῶν ἰσθῆς*: Unus est Deus, vnus & mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum redemptionem pro multis. Fuit enim Deus & homo, inter Deum atque hominem medius constitutus, ait Lactantius. *Μεσίτης* enim dicitur, vt hominem perducere ad Deum posset, id est, ad immortalitatem: quia si Deus tantum, non posset homines ad iustitiam cogere, nisi auctoritas ac virtus homine maior accederet. Etenim cum constet homo ex carne & spiritu, & oporteat spiritum iustitiæ operibus emereri, vt fiat æternus: caro quoniam terrena, ideoque mortalis, copulatum sibi spiritum trahit secum, & ab immortalitate ducit ad vitam. Ergo spiritus, carnis expers, dux esse homini ad immortalitatem nullo pacto poterat, quoniam caro impedit spiritum, quamuis Deum sequatur. Est enim fragilis & subiecta peccato, peccatum autem pabulum mortis est. Itaque idcirco mediator aduenit, id est, Deus in carne, vt caro eum sequi posset, & eriperet morti hominem, cuius est dominatio in carne. Ided carne se induit,

Gen. 8.

1. ad Timoth. 2.

Lib. 4. De vera sapientia cap. 25.

duit, vt desideris carnis edomitis, doceret nõ necessitatis esse peccare, sed propositi ac voluntatis. Mediator etiam noster est, vt qui hominem Deo recõciliauerit, accessum ad Deum habens, cum Deus sit: ad homines autem, cum verus homo sit ex Virgine natus. Quanta sit autem mediatoris necessitas & vtilitas, apud Ezechielem legitur. Cum enim ille ruinam Hierusalem propter homicidia, & parentibus negatum honorem, & alia scelera prædiceret, conqueritur Dominus his verbis: Quæsiui de eis virum, qui interponeret sapem, & staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam, & non inueni: & effudi super eos indignationem meam. Nunc verò quomodo non erit propitius nobis Dominus, cum pro vniuerso hominũ genere Christus ad Deum mediator accedat? Quis est qui cõdēnet? inquit Apostolus. Christus Iesus, qui & mortuus est, & resurrexit: qui etiã interpellat pro nobis? Et quidem olim cum grauissimè populus peccasset, Moses montem ascendit, intercessit, & iram Domini placauit. Hinc ait, Ego medius & sequester fui inter vos & Deum. Quid nunc non possit ille noster mediator, cum altissimũ gloriæ montem ascēderit, & federit à dextris Dei? Obtulit Aaron inter viuos & mortuos: orauit Samuel, & Deum propitium reddidit: quanto igitur pro nobis poterit Christus? Hic est enim, qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cœlis. Magnum est huius Christi in nos delectionis argumen-

Ezech. 22.

Exod. 32.  
Deut. 5.

rum: si quid ipse ab eterno est, cum eo quod assumpsit, cumque assumptionis ratione conferamus. Quid enim ipse? Deus de Deo. Quid nisi nostram naturam, simulque varias nostre conditionis miseras assumpsit? Quorsum verò se tantum humiliavit, nisi propter nos homines, nos carnales, peccatores, vermifculos? Quid enim est homo, quia magnificas eum, aut filius hominis, quia reputas eum? Inimici eramus, rebelles, filij iræ, filij diaboli, & tamen propter nos homines descendit de cœlis. Si consideremus quid fecit, hoc maximum est. Quid enim maius est, quod humilitatis genus & beneficij potius est, quàm quod descendit de cœlis? Cur autem id fecerit, maius habet admirationis argumētū. Nā propter nos, creator pro creatura, iustus pro iniustis, Rex pro subditis, æternus pro evanescentibus, descendit de cœlis. Et benè propter nos homines, non propter Angelos, quibus peccantibus Deus non pepercit, sed rudētib. inferni tradidit eos in æternum cruciandos. Ideò non Angelos apprehendit, sed semen Abrahamæ. Propter nostram salutem, iustificationem, sanctificationem, & gloriam, descendit de cœlis. Nam ægri eramus, & opus erat medico, exules, & opus patrone, qui in æternam gloriam nos induceret. Quis vero Regis filius pro rebelli subdito, de throno maiestatis descendat, vestem rebellis induatur, & propter illius salutem, ea opprobria perferat quæ iustè illi debentur? Atqui hæc pro nobis subiit Christus. Nec enim aliud

est descendisse de cœlis, quàm omnes nostræ carnis infirmitates assumpsisse, vt apud Deum pro nostris peccatis satisfaceret. Neque enim hic Apollinares audiendi sunt, quasi Christus carnem suam è cœlo attulerit, nec eam à puris diuæ Virginis sanguinibus assumpserit. Ait scilicet Esaias, Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum: aperiatur terra, & germinet saluatorem. Terra enim nostra, diua Virgo dedit fructum suum: cum veritas de terra orta est, & iustitia de cœlo prospexit. Quid autem est fructum suum dedisse, nisi quod ex illa purissima terra Christus carnem suam assumpsit? Dixit enim Propheta, Exurget virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet. Non ergo de cœlo, sed de illa radice, de illa virgine sacratissimum illud corpus formatum est. Nascetur enim ex te (inquit Angelus) sed tamen Spiritu sancto obubrante, quirebus fœcunditatē primā contulit, & à quo omniū rerū virtus depēdet.

Porro neque sic descendisse illum putemus, quasi suæ maiestati cesserit, qui vt ab æterno Deus est, ita semper in sinu patris resedit. Sed (vt scribit Augustinus) descendere Deus dicitur, cum aliquid facit in terra, quod præter vsitatum naturæ cursum mirabiliter factum, præsentiam quodammodò eius ostendit. Itaque (vt ait alibi) descendere dicitur, cum aliquid nouū in creatura humana operatur, quod antea non fuerat: sicut & filius Dei descendisse narratur, quādo incarnatus est, non amittendo quod erat, sed assumēdo quod non erat. De

cuius descensione, hoc est, incarnatione, scriptum est in Psalmo decimosextimo, Inclinauit cœlos, quia antequam adueniret, prænuntios Angelos & Prophetas misit, qui eius aduentum hominibus nuntiarent. Tunc autem caligo sub pedibus eius, cum impij quique homines sua malitia excæcati, eius incarnationem capere minimè possent. Tādē verò peracta humanæ carnis dispensatione in cœlū assumptus, ascendit super Cherubim, & volauit, cum omnes cœlos penetrauit, & sedit à dextris Dei omnipotentis. Eusebius libro sexto demonstrationis Euangelicæ, hoc etiam ab alio Psalmo illustrat. Legitur enī. Domine, quid est homo quia innotuisti ei, aut filius hominis, quia reputas eum? Domine, inclina cœlos tuos, & descende: range montes, & fumigabunt. Deus, canticum nouum cantabo tibi. Montes enim Gentilium superstitiones designāt, qui in locis excelsis & vmbrosis, in lucis maximè frequentabantur. Fumigarunt quidē illi, cum prostrata omni Sathanæ industria, aut solo æquata omnia, aut igni consumpta sunt. Hinc canticum nouum, noui testamenti noua gratiarum actio, qua ad Angelorum instar Christum iam aduenisse fatemur. sic enim illi, Gloria in altissimis Deo & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

Descensum illum optabat Esaias, cum diceret: Vtinam dirumperes cœlos, & descenderes: à facie tua mōtes defluerent. quasi id ipsum oraret (vt obseruat Hieronymus.) Quoniā hostes nostri conculcauerunt sanctuarium tuum,

Cap. 9.

Psal. 143.

Hier. lib. 17  
in Esai.

& facti sumus sicut in principio, quando non inuocabatur nomen tuum super nos: idē dicimus, Vtinam dirumperes cœlos, & promissa compleres. Hoc autem eo tempore dicebatur, quando necdū saluator aduenerat, nec de vtero virginis, naturæ nostræ atq; substatię assumpserat hominem, quem saluaret. Quod si faceres, tremor apprehenderet montes (superbos:) & quasi cœra, à facie ignis ita defluerent.

Neque verò sic intelligi debet ille descensus, quasi cœlum reliquerit: sed propter nouum assumptæ naturæ mysteriū. Sicut enim Raphael Angelus, Videbar (inquit) à vobis comedere, sed inuisibili cibo vtebar: ita dicere poterat, videri quidē, quod corpore cōcluderetur nō minus quàm anima, quæ extra corpus suas functiones minimè habebat, licet cum beatus esset, clara Dei perfrueretur visione, qua in mortali corpore frui non cōtingit. Ergo sicut Angelus erat quidē in corpore præsens, quo minimè includebatur, & descēdebat nō loco proprio circūscriptus: quāto minus diuina illa maiestas corpore cōcludebatur, licet illud replet, eiq; hypostaticè vniretur? Grægorius Nyssenus in Catechetico sermone de diuinis sacramentis: Quis (inquit) carnis circumscriptione, quasi quodā vase, immēsam diuinitatē cōprehēsam esse cōtēdat? Neq; enim hac in vita nostra, ea natura quæ intelligentiæ particeps est, intra carnis fines coërcetur: sed corporis quidē tumor suis partibus circūscribitur, anima verò cogitationis motibus & potentia, ad omnes

creaturas penetrat, & cum ad cœlos vsq; ascēderit, atq; ad abyssos descēderit, & terrarū latitudinem peruagata fuerit, vel ad inferos etiam præ curiositate se demiserit: non rarò singulari quadam cogitatione cœlestia miracula percurrit, nec vlla ei corporis saburra obstat, quominus id præstet. Iam hominis anima, quia ex naturæ necessitate corpori commiscetur, idcirco vbiq; potentia est. Qua verò necessitate diuinitatem naturâ carneâ comprehendere dicamus, non autem exemplis accommodis idoneam quampiam de diuina dispensatione coniecturam faciamus? Quemadmodum enim in lucerna ignem, qui materiam circumplectitur, aspiciamus, eumque à materia, quæ ipsum attingit, ratione distingimus, quæ tamen re ipsa distinguui nō possunt, vt flāma per se à materia seiuncta ostendatur, sed vtraq; vnū est: (Nullus autē id mihi in exemplo sumat, quòd ignis corrumpitur, sed eo solo assumpto quod similitudini conuenit, ea repudiet, quæ aliena ab illa sunt:) quid prohibet, quo minus eodem modo, quo cernimus materiam subiectam à flamma contingi, nec in ea tamen includi: Deo dignam cogitationem suscipiamus, naturamque diuinam ita cōiungi credamus, atque vnum cum humana natura fieri, vt in ipsa coniunctione atque vnitate, quamuis in homine Deus sit, nulla tamen circumscriptioe concludatur?

*Psal. 71.* Cæterum huius descensus similitudinem expressit Dauid, dicens: Descendet sicut pluuia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super ter-

ram. Vbi & meminisse oportet velleris illius, quod in signum victoriæ Gedoni datū est contra Madian. Dubitanti enim illi, humor in vellere datus est, cum interim arida esset circūvicina terra. Sic ergo descendit Christus. Nam cum sterilis sit virginitas, ille foecunditatem sacratissimæ virgini contulit, vt certissimam contra Sathanam nobis victoriam reponeret. Hoc nimirum illud est signum, quo & Rasin Syriæ, & Phaceam filium Romeliæ se prostaturum confidere debuit Acham: cum ei per *Esai. 7.* Prophetam dictum est, Propter hoc dabit Dominus signum: Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Immanuel, Quæ si ad spiritualem & Propheticum sensum conuertas, quomodo nos nō contra principes tenebrarum securos rddit? Huius etiam descensus ex aliis typis argumentum depromere licet. Flente nimirum Israëlitico populo, quòd tantum Man illis è cœlo deplueret, cum magno interim carnum desiderio tenerentur: Moses sic ad Dominū cōquestus est, Nunquid ego concepi multitudinē hāc? non possum solus sustinere: alioquin interficias me. Iussit autem Dominus septuaginta seniores cōgregari. Tunc autem per nubē descendisse legitur, cum *Numer. 12.* locutus est ad eum, auferens de spiritu qui in eo erat, vt septuaginta viris communicaretur. In sequenti etiam capite, cum Aaron & Maria cōtra Moysen murmurassent, propter uxorem Æthiopissam, iratus Dominus, præcepit Moysen, Aaron, & Mariā egredi ad tabernacu-

lum fœderis: Cumq; hîc fuissent, descendit ille in columna nubis, & stetit in introitu tabernaculi, vocâs Aaron & Mariam. Tum quidem descēdisse, & in visibili creatura apparuisse dicitur. Nū relicto cœlo? Atqui & nubes & columna figuræ assumptæ carnis erant. Quod etiam perspexisse & annotasse videtur Helias, teste Ioanne Hierosolymitano. Siquidem holocausto cœlitus concremato, & occisis Prophetis Baal, cū iam propitiationis tēpus instaret, quo Deus vberimam in terras pluuiam demitteret, ascendit ille in verticē Carmeli, & pronus posuit faciē suam inter genua, iussitq; puerū suū ascendere, & prospicere cōtra mare. Ascendit itaq; puer, cumq; sex vicibus nihil omninò animaduertisset, septima tandem vice, quasi vestigium filij hominis apparuit, idq; in nubecula, quæ ascendebat de mari. Ut autem ad Propheticam veritatem hæc reducatur, septima vice signum propitiationis datum esse, quietem & fœlicitatem præsignabat. Relictus est enim sabbatismus populo Dei. Nubecula virginem exprimebat, quæ de hoc seculo per carnis propaginem ascendit: ipsa interim mari, hoc nimirum seculo altior, & leuior, ut quæ carnis illecebris deprimi non posset. De illa enim dici potest id quod in Canticis legitur: Quæ est ista quæ ascendit de deserto, deliciis affluens? In illa verò vestigium filij hominis, in illa veritas carnis illius qui se filium hominis dixit. Hinc Propheta & venturum Messiam, & de Virgine nasci-

*Lib. De institut. Monastices. 3. Reg. 19.*

*Nubes visa ab Helia in typum Virginis.*

turum præuidit, idq; signum posteris magnopere commendauit. Hæc nimirum illa nubes est, de qua Esaias, Ecce (inquit) Dominus ascēdet super nubem leuem, & ingreditur Ægyptum, & commouebuntur simulachra Ægypti à facie eius, & cor Ægypti tabescet in medio eius. Hoc enim & Cyrillus Alexandrinus & Nicephorus Callistus, ad Christum in Ægyptum translatum referunt, donec Archelaus regnaret. Tum enim nubes illa leuis, sacratissima virgo illum ferebat: ruebant & Ægypti simulachra. Nubes, inquam, leuis, non quæ caligo tenebrarum reseruetur, sed quæ minimè peccatorum onere grauaretur. sic enim Nubes dicuntur Apostoli, quorum doctrina vniuersus orbis illustrari debebat. Nam cū Esaias Hierusalem conuocasset, ut surgeret, & illuminaretur, quòd & Gentes ad eius lumen processuræ essent: quibus tandem ductoribus illud fiat aperiens, exclamat: Qui sunt isti qui ut nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas? Quoniam (ut ait Psaltes) quis in nubibus æquabitur Domino, similis erit Deo in filiis Dei? Sunt enim illi & nubes, & filij Dei, è quibus diuinum Euangelij lumen in nos radiauit. Sic ergo Deum audimus in nube descendisse, in ipsa apparuisse, cū interim nec loco moueretur, qui replebat omnia: sed propter nouum mysterium, quo hominibus illucescebat, utq; tandem suam in carne manifestationem doceret. Descendit enim de cœlis, non cœlos relinquens, sed tamen nouo modo sese

*Esai. 19.*

*Cyrillus comment. in Esaiam.*

*Niceph. lib. 10. hist. Eccl. cap. 30.*

*Esai. 60.*

hominibus communicans. Nam, vt in Aposto-  
lico symbolo legimus, *conceptus est de Spiritu san-  
cto, natus ex Maria Virgine*. Noua illa fœcunditas,  
& naturæ ignota, à Spiritu sancto proficisce-  
batur: quod & illæ, quas diximus, figuræ do-  
cuerunt. Quæ enim illa columna nubis, quæ  
nubes in qua vestigium hominis, nisi diuinitus  
instituta, & non ex illa cõmuni serie nubium?  
Nam & ascendebat & descendebat nubes, &  
mouebatur, & quiescebat, aut in illa loqueba-  
tur Deus. Erant & illæ puræ, vt rerum authori  
subseruirent. Ergo nubes hæc nostra, sanctissi-  
ma Virgo, seligi, purgari, fœcundari, & omni  
benedictione repleri debuit, vt tandem ex ea  
rerum omnium opifex progredetur, & ad  
nos loqueretur. Dei enim est rebus perfectio-  
nem influere, & ab his argumenta sterilitatis  
rescindere. Veruntamen (vt differit Augusti-  
nus in Enchiridio ad Laurentium) quomodo  
Christus de Spiritu sancto conceptus  
Num Spiritus sanctus eius pater est? Num san-  
ctissimæ Trinitatis communia sunt opera? Sed  
modus iste (inquit) non sic intelligendus est,  
quasi vt filius à Spiritu, proficiscatur: verum  
nobis gratiam insinuat, qua homo nullis præ-  
cedentibus meritis, in ipso exordio naturæ suæ,  
quo esse cœpit, verbo Dei copulareretur in tan-  
tam personæ vnitatem, vt idem ipse est Filius  
Dei, qui & filius hominis: ac sic in naturæ hu-  
manæ susceptione, fieret quodammodò ipsa  
gratia illi homini naturalis, quæ nullum pec-  
catum possit admittere. Denique de Spiritu

*Quomodo  
Christus de  
Spiritu san-  
cto conceptus  
Cap. 38.*

*Cap. 40.*

*I.*

sancto conceptus dicitur, quia virtus naturæ  
viuentis Spiritui sancto tribuitur, cum sit vi-  
uificans: ita tamen, vt sicut ille à patre filioque  
procedit, ita vita hæc in patre filioque agno-  
scatur. Demum illius est conseruare integra:  
vnde & fons viuus, ignis, charitas, & spiritalis  
vnctio nuncupatur. Denique summa & diui-  
na, quæ in creaturis fiunt, illi tribuuntur, opus  
Beseleel, Prophetiæ, & cœtera omnia. At verò  
summa & diuina illa sunt, quæ in sacratissimæ  
Virginis partu agnoscimus. Quid enim illa  
vnione maius, qua in vna hypostasi vnus Chri-  
stus Deus & homo cognoscitur? Quanta verò  
puritas Virginis: quàm subita & in instanti sa-  
cri corporis Christi formatio? Hanc enim si-  
gnificabat Hieremias, cum diceret, Nouum fa-  
ciet Dominus super terram, fœmina circum-  
dabit virum. Statim enim atque conceptus est,  
etsi non corporea magnitudine, saltem tamen  
rationis & mentis acumine in virum perfe-  
ctum euasit. Porro si quis est qui hoc in partu  
hæreat, hoc etiam ipsum cum Cyrillo Hiero-  
solymitano perquirere licebit: Vtrum diffici-  
lius sit senem & sterilem, muliebribus iam de-  
ficientibus parere, aut virginem iuuenem ge-  
nerare? Sterilis erat Sara, cumque muliebria  
defecissent, præter naturam peperit. Rursus  
quæ natura manum hominis in diuersas spe-  
cies mutare potest, & rursus restituere? Quo-  
modo igitur Mosis manus sicut nix alba appa-  
ruit, & rursus statim illa albedine destituta est?  
Sed dices, Quia Deus voluit, mutata est. Illic

*Non fuit  
Deo impos-  
sibile virgi-  
nem fœcun-  
dari.*

*Catech. 12.*

*Gen. 18.*

*Exod. 4.*



Deus volens potest, hinc autem numquid potest? Ac illud quidem signum ad Aegyptios tantum, hoc autem datum erat signum vniuerso orbi. Demum vtrum difficilius est virginem parere, an virgam in animal mutari? Si quidem Mosis tempore rectissima virga, serpentina specie facta est, & horrenda fuit etiam illam proiicienti: Et qui antea tenebat virgam, statim fugiebat illam tanquam draconem. Re vera enim draco erat. Fugiebat autem, non metuens id quod tenuit, sed timens mutatum. Dentes habuit virga, & draconis oculos, de virga itaque oculi pullularunt, & de utero Virginis puer non nasceretur, Deo volente? Taceo hinc quod & Virga Aaron, quod reliquae arbores per annos plures faciunt, hoc per vnam noctem fecit.

Quis enim nescit, quod virga cortice destituta, etiam si in mediis fluminibus plātetur, numquam florebit? Sed cum Deus non naturam arborum sequatur, verum naturae sit factor, fecit vt infructuosa siccaque virga, etiam sine cortice floresceret, & nuces proferret. Qui igitur virgae propter typicum sacerdotem praeter naturam fructum tulit: numquid virgini, vt verum sacerdotem summum pareret, hoc non conferret? Bonae sunt huiusmodi sermonum commemorationes: nihilominus contradicunt Iudaei: neque his quae de virga protulimus, persuaderi sibi patiuntur, nisi similibus & paradoxis partibus, quae praeter naturam sint, conuincantur. Quaero igitur sic ab illis. Eua ab

Exod. 3.

Numer. 7.

initio de quo nata est? Quae mater conceperat illam, quae matrem non habuit? Dicit enim scriptura, quod de latere Adami facta est. Numquid igitur Eua quidem de latere viri, sine matre nascitur: de virginali autem utero sine viro nihil nasceretur? Mutuata est à viris foemineo generi gratia. Eua enim ex viro nata est, & non ex matre concepta, sed ex solo viro tanquam partu edita. Reddidit igitur Maria gratiae huius mutuuum beneficium, & non ex viro, sed ex seipsa sola, impollute, ex Spiritu sancto, & Dei virtute peperit. Accipiamus porro aliud longe maius. Ex corporibus enim corpora gigni, quamuis sit aliquando paradoxon, possibile tamen est: sed puluerem terrae hominem fieri, hoc multo mirabilius. Lutum confusum, oculorum tunicas & splendores accipere, hoc longe mirabilius. At verò vnde Adam factus est? Nonne Deus accepit puluerem de terra, & creauit creaturam hanc admirandam? Quid igitur? Lutum quidem in oculum mutatur, & virgo non generabit? Quod apud homines maxime est impossibile, numquid Deus praestare non poterit? An non contrariis argumentis Gabriel Angelus satisfecit, cum ad virginem inquit, Non erit impossibile apud Deum omne verbum? Hoc etiam ab Erythraea Sibylla praedictum legimus. Sic enim libro octauo Oraculorum habet,

ὑστατίοις δὲ χρόνοις θόνα ἡμεί-λατο:

Temporibusque petit postremis terram.

Et statim haec adiicit,

Gen. 3.

Καὶ βραχὺς ἐλθὼν παρθένου ἐκ Μαρίας λα-  
γύων τε

Ἐξάνειλε νέων φάος.

Οὐρανόθεν δὲ μολῶν βροτείω ἀνεδύσατο  
μορφῶν: id est,

Et brevis egressus Mariæ de virginis aluo

Exorta est noua lux,

E caelo veniens mortales indidit artus.

Tandem verò vbi Gabrielis ad Virginem le-  
gationem expressit, addit,

--ἔπος δ' εἰσέπειτα τοῦ θεοῦ,

Σαρκώθεν δὲ γρόνω καὶ γαστέρι ζωογόνησεν,

ἐπλάσθη βροτείω ἰδέλω, καὶ κόρυς ἐτύχθη

Παρθενικοῖς τοκετοῖς. τότε γὰρ μέγα θαῦμα  
βροτοῖσιν.

Ἄλλ' ἴδεν μέγα θαῦμα Θεῷ πατρὶ, καὶ  
Θεῷ υἱῷ. id est,

--Verbumque volauit in aluum,

Idque suo factum, at que animatum tempore, corpus  
mortali facile cretum est. Puer inde creatus

Virgineo partu. Mira est mortalibus hæc res!

Sed res nulla Deo patri, natoque stupenda.

Quinetiam Constantinus Imperator in ea o-  
ratione, quam ad Sanctorum cœtum habuit,  
Vergilij versus è Cumæa Sibylla depromptos  
recenset, qui Christi aduentum, eiusdemque è  
virgine natiuitatem exprimerent. Ille enim  
cùm in Christi natiuitatis tempora incidisset,  
& pacem toto orbe celebrem conspiceret, vt  
Pollioni pro Salonino filio congratularetur,  
hæc scribit.

Ultima Cumæi venit iam carminis ætas.

Vergil. 4.  
Egloga.

significans videlicet Cumæam Sibyllam. Nec  
his contentus, vlteriùs progressus est, ac si ipsa  
necessitas testimonium eius desideraret.

Magnus ab integro seclorum nascitur ordo,

Iam redit & virgo, redeunt saturnia regna.

Etsi enim virginem ille Astræam intelligeret,  
altius tamen & melius Sibylla eam exprime-  
bat, quæ plena ac fœta facta est de Spiritu san-  
cto. Eius autem qui nasciturus erat, beneficia  
breuiter explicat.

Tu modo nascenti puero, quo ferrea primum

Desinet, & toto surget gens aurea mundo

Castæ fauæ Lucinæ, tuus iam regnat Apollo.

Te duce si qua manent sceleris vestigia nostri,

Irrita perpetua soluent formidine terra.

Quid enim castæ Lucinæ nomine, nisi virgi-  
nem illam, de qua Sibylla cecinerat, figmentis  
poëticis inuoluit? Iam si ad Prophetas ani-  
mum conuertas, quomodo non facile virginis  
partum intelligas? Ait enim Esaias, quod &  
Matthæus in idem argumentum protulit: Ecce  
virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen  
eius Immanu-el. Vbi mira omnia & matris, & fi-  
lij, eius conditione attendimus. Mater e-  
nim virgo est filius Deus, cùm sit Immanu-el,  
id est, nobiscum Deus. Textus quidem He-  
braicus talis est בְּרִיאת הַקֹּדֶם הַקֹּדֶם הַקֹּדֶם, Hinc  
haalma hada, veideth ben. Quid ibi impij Iu-  
dæi præterdere possunt, vt matrem Messæ vir-  
ginem esse inficientur? האלמה (in-  
quiunt) absconditam significat, quasi verò nec  
virginem. Imò tanto magis virginem, quanto

Esai. 7.

Matth. 1.

Expandi-

tur Esaiæ

Vaticiniū.

Contra Iu-  
deos.

illam quæ in abscondito purissima erat. Sunt enim quædam virgines corpore, mente pro- caces & lasciuæ. At in intimis animæ recessi- bus, in abscondito etiam sanctissima & puris- sima erat Maria. Abscondita itaque, quia in cordis penetralibus, è quo omne bonum pro- ficisci solet. Porrò tria apud Hebræos voca- bula idem ferè significat נארה Naara, בתולה Bethula, אמה Alma. Naara, solius ætatis te- neræ ratione puellam & adolescētulam signi- ficat, siue illa virgo sit, aut corrupta: Bethula, virginem, siue iuuenis sit, aut anus: Alma verò dicitur & adolescentiæ & virginitatis respec- tu: nec vlla hoc nomine designari potest, nisi simul & iuuenula sit, & virgo intacta, vt ex vocabuli interpretatione facilè colligitur. De- ducitur enim ab אָמַר Alam, quod absconde- re siue celare significat. Quin & vbi in Genesi dicit seruus Abrahæ, Puella quæ venerit ad hauriendum, nomen Alma vsurpatur: quod intactam, & viris prorsus ignotam, id est, scili- cet absconditam virginem intelligebat. Adde quòd litera ה He, præcedens, excellentissimam aliquam virginem designat, cum dictionem magis afficere soleat. Nec enim Haalma cum He legimus, nisi in tribus locis. Primùm qui- dem, cum de Rebecca diceret Abrahæ seruus, Ecce sto iuxta fontem aquæ, & erit Haalma, id est, virgo egrediens ad hauriendum, & dicam ei, Da mihi de hydria tua vt bibam. Legitur & Exodi secundo, cum de Maria sorore Mosis ita scribitur: Et perrexit Haalma, id est, virgo, &

Genes. 24.

VOC2-

vocauit matrē ipsius infantis. Tertio demum loco dictionem hanc legimus in Esaiæ Pro- phetia. Iam cum & Rebecca, & soror Moyfi virgines tū fuerint, & adolescētulæ, cum hoc nomine designarentur: quis non intelligit etiā *Septuaginta* hoc loco pro iuuenula virgine ab Esaiā repo- ni? Adde quòd ipsi etiam septuaginta interpre- tes virginem transferunt, ἰδὲ ἡ παρθένος ἐν γαστρὶ λήψεται υἱόν.

Lactantius hoc Salomonis etiam testimo- nium profert, in Ode vnde uigesima: Infirma- tus est uterus virginis, & accepit foetū, & gra- uata est, & facta est in multa miseratione ma- ter virgo. Eusebius verò hæc etiam ex Esaiæ va- ticinio producit: Dixit Dominus, Accipe tibi ipsi nouum librum grandem, & scribe in eo stilo hominis, vt celeriter direptionem spo- liorum facias: adest enim. Et testes mihi facito fideles homines, Vriam sacerdotem, & Zacha- riam filium Barachiz. Et accessi ad Prophetis- sam, & in vtero accepit, & peperit Filium. Et dixit Dominus ad me, Voca nomen eius: Acce- lera, spolia detrahe, citò prædare. Quia ante- quam sciat puer vocare patrem aut matrem, accipiet potestatem Damasci, & spolia Sama- riæ coram Rege Assyriorum. Hæc autem sic explicat, vt liber nonus grandis, nouum sit Testamentum, grandi quidem, si mysterio ob- seruemus: stilo autem hominis Christi in eo scribatur, cum ipse suos dirigat, flectat, & in spem æternam erigat: Testes fideles sunt Pro- pheta & sacerdos, lex nimirum & Prophetæ,

Lib. 4. In-  
firmit. cap. 12.

Lib. 7. de-  
monstrat.  
Euang. c. 2.  
Esai. 8.

S

- qui Christi ortum, & dispensationis corporeæ sacramenta fideliter explicent: Vrias sit lumen Dei, sine quo diuina hæc minimè capiamus.
4. Nisi enim crediderimus, non intelligemus. Zacharias Dei memoriam, Barachias benedictionem Domini mysticè designet, quibus in nobis tantarum rerum veritas confirmetur. Porro raptu quodam spiritus, Propheta accessit ad Prophetissam: ad diuam Virginē, quæ prophético spiritu, futura illa de Messia intellexit, quin & de se prædixit, Beatam me dicent omnes generationes. Accessit & ad eam Spiritus sanctus ille, qui in Propheta loquebatur, cum etiam Angelum replet, qui tanti apud eam mysterij paranymphum egit. Tunc autem
  8. in utero accepit: statim enim atq; nuntio credidit, Dei filium concepit. cui & ab Elizabeth dictum est, Beata quæ credidisti, quoniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi à Domino. Peperit autem filium Christum, eo nimirum obumbrante, à quo fœcunditatem illam accepit.
  9. Porro nomen eius, Accelera, spolia detrahe.
  10. Cum enim multa sint Christi attributa, quæ à virtute promūtur, vt quoddam saluator, redemptor, & Petra dicitur: his vocabulis ex omnibus regnis spolia accepturus, omnesque suæ doctrinæ submissurus prænuntiabatur. Denique potestatem accepit Damasci & Samariæ,
  11. cum dissolutis his regnis per Romanos ipsis aduentus Christi temporibus, Romano verò imperio tandem Christum agnoscente: summa quadam prouidentia, & diuino numine, omne

regnum terrenum labile, Christi verò imperium solidum & stabile significabatur. Atqui iam horum omnium potestatem habebat Christus, etiam antequàm sciret vocare matrem virginem, id est, priusquàm carnem sumeret, cum de eo dicatur, Regnum tuum, regnū omnium seculorum, & dominatio tua à generatione in generationem. Quin & natus puer, vt scribit Hieronymus, & Iustinus Martyr, velociter spolia detractus erat, & prædatus. cum nec ultra regnum diaboli passurus esset, sed ipse in propria descendens appareret, vt ipsius imperium subuerteret. Nomen eius igitur, Prædare, cum ascendens in cælum, captiuam duxerit captiuitatem, & de Principibus potestatum palàm triumpharit. Et quoniam Damascus & Samaria domum David ipsis Acham Regis & Esaiæ temporibus persequebantur: ipse antequàm corpus assumeret, & iuxta infantiam patrem vocaret, vtriusque fortitudinem per Reges Assyriorum abstulit: vt necdum natus domum David, populum suum sola inuocatione saluaret. Ex his manifestissimè Christi aduentus, & virginis partus colligitur, vt nemini iam dubium sit, nostræ naturæ reparatorem conceptum esse de Spiritu sancto, natum ex Maria virgine.

*Quod Christus verè passus sit in corpore  
& anima, cum interim diuina  
eius natura esset impassibilis.*



2. Reg. 18.

Paulus Nolanus (e pro filio viduæ vendidit.

Phil. 2.

AGNUM quidem est charitatis opus, si quis redimendo homicidæ aut scelerato pecuniam erogat: maior autem, si seipsum etiam pro illo commutat. Sic verò Absalon parricidam & incestuosum, statim atque percussus est, lugens David, Quis det (inquit) ut moriar pro te Absalon, fili mi, fili mi Absalon: Elegans est historia apud Gregorium Papam de Paulino Nolano, qui ut viduæ filium in Africa per Vandalos captivum erueret, quod iam omnis pecunia piis erogationibus insumpta esset, seipsum commutavit. Hoc etiam ut vidit Barbarus, & captivos tradidit, & onerarias frumento naues liberalissimè indulgit. Magna hæc quidem: at verò maiora sunt ea, quæ Christus pro nobis miseris subiit. Mirandum sanè, quòd Episcopus, doctus, senex, se pro iuvene barbaris hominibus traderet, captivum, hortulanum, seruum. Sed quid nos, si Christi Iesu maiestatem cum illa, quam pro sceleratissimis nobis suscepit humilitate & ignominia conferamus? In forma Dei erat (inquit Paulus) semetipsum autem exinaniuit, factus patri obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Frater non redimit. Redemit autem homo, qui & ea ratione homo factus est, ut peccata nostra portaret in corpore suo, eiusque liuoribus sanaremur. *Passus enim est, sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus est.* Hic ille (inquam) quem Filium Dei unicum Dominum nostrum confessi sumus. Nam cum

ob delicias & Adamum, & omne hominum genus peccatis immersum videret, ille ut lapsa omnia repararet, vitam rudem & molestis plenam subiit, &

*Legit inauditum fati genus, illita fuso*

*Sanguine, & ardenti liuentia verberare membra.*

Homini quidem dictum fuerat, In sudore vultus tui vesceris pane tuo: ille, ut quæ non rapuerat, exolveret. Pauper sum (inquit) & in laboribus à iuventute mea. Statim ipsi nato Herodes insidiatus est, grandiori Scribæ & Pharisæi, imò & contribules insultarunt. Num ergo sapius, num continuè passus est? Sed hæc celebratissima & acerbissima passio est, quam sub Pontio Pilato subiit. Quod quia difficile credi potuit ab his quibus recenter Euangelium promulgabatur: idèd Pontij Pilati nomen exprimitur, qui præses fuerit, qui mortis sententiã tulerit. Sic autem hic qui verè Deus est, pati voluit, ut quemadmodum ignis aquam, ita in se nostra peccata absorberet: & duobus extremis, homine & Deo, incommutabili & extrema patiente supplicia, in vnum Christum concurrentibus, etiam Deo peccator homo appropinquaret, pro quo ipse satisfaceret. Sed & (ut scribit Gregorius Nissenus) qui semel homo fieri decreuerat, ei proprietates omnes naturæ subeundæ erant. Itaque cum duo sint extrema vitæ humanæ, si alterum expertus ab altero temperasset, semiperfectum eius institutum mansisset, quippè quod proprietatum naturæ alteram non attigisset. Sed & quispiam

*Cur passus  
Christus.*

*Serm. cate-  
ch. de divi.  
sacra. c. 32.*

rectè dixerit, mortem non ratione natiuitatis accidisse, verùm è conuerso natiuitatem ratione mortis assumptam esse. Nec enim æternus ille corpoream idcirco generationem subiit, quia vita egeret, sed vt nos à morte ad vitam reuocaret.

*Quomodo  
pati potuit  
Christus  
Deus.  
Theodoret.  
in Epitome  
diuinorum  
decretorum  
Heb. 2.*

*1. Cor. 15.*

*1. Petr. 4.*

*Lib. de ani-  
ma.*

*I.*

Quærunt autem nonnulli, quomodo pati potuit, cùm Deus esset? At verò non modò Deus erat, sed & homo. Ad naturam igitur humanam esuries, sitis, defatigatio, fletus, dolor, passio, & mors, reuocanda sunt. Vt enim ille verè naturam nostram, ita & passiones suscepit illas, quæ nostræ naturæ contingunt. Quod confirmans diuinus Apostolus, clamat. Quia pueri communicarunt carni & sanguini, & ipse quoque communicauit eisdem, vt per mortem destrueret eum, qui mortis habebat imperium. Et ad Corinthios scribens, Tradidi (inquit) vobis quod & accepi, quia Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum scripturas, & quòd sepultus est. Christum verò in carne passum dicit Petrus, ne quid detrimenti diuinitati cõtigisse putemus. Quid autem mirum videri debet, quod verè Christus passus est in carne, solida interim & semper incommutabili diuinitate: cùm nouerit anima in corpore sine corpore aliquando dolere aut gaudere? Respice (inquit Tertullianus) & attende Mutij animam, cùm manus eius igni ad-moueretur, quomodo non anima eius interim exultabat. Si in ipso corpore sana est anima, incorrupta, immortalis: si exultat languente

corpore, integra est rescisso corpore, nec omninò carnis passionibus obstringitur: quanto minus ipsa in Christo diuinitas etiam corporaliter habitans, corporis passionibus detinetur? Nec enim longè hæc similitudo sumpta est, cùm in Athanasij symbolo hæc legantur. Sicut anima rationalis & caro vnus est homo, ita Deus & homo vnus est Christus. Et in ipso tamen homine vnum est immortale, alterum morti obnoxium. Perit, putrescit corpus, cùm interim tanto liberior sit anima. Quanto minus ergo diuinitas Christo patiēte languescebat? Si enim, vt scribit Eustachius Antiochenus, virginis vterum ingressus non minuit potestatem: nec corpore ligno crucis affixus diuinus ille sapientiæ spiritus, & æterna maiestas polluitur. Corpus enim sublime cruci affigebatur, cùm tamen interim maiestas illa & intra corpus versaretur, & cœlestibus insideret, & omnem terram contineret, & abyssus imperaret, & singulorum animas perscrutans discerneret, & omnia, vt cōsueuerat, tanquam Deus faceret. Non enim intra moles corporeas suprema sapientia inclusa continetur, quemadmodum humidæ & siccæ materiæ intra vasa recluduntur: sed quæ est quidem diuina & inexplicabilis potentia, & quæ intra & quæ extra templum sunt, comprehendit, & illinc vltèrius procedens, omnes simul moles ac magnitudines coërcet ac moderatur. Si autem sol, cùm sit corpus quod cadit sub visum, qui sensu potest comprehendi, tot & tantas vbi-

*Orat. in illud, Dominus creauit me initium viarum suarum.*

que terrarum iniurias & probra ferens, non mutat ordinem, nec paruum vel magnum impactum sentit: incorpoream sapientiam pollui existimas, & mutare naturam, si eius templum cruci affigitur, vel solutionem suscipit, vel vulnera patitur, vel corruptionem & interitum admittit? Sed templum quidem patitur, substantia autem immaculata, & omni ex parte impolluta remanet. Si enim (vt docet Seuerianus Gabalarum Episcopus) scripto, quod est verborum indumentum, mea verba non pereunt: quomodo Deus verbum, fons vitæ, vnà cum carne interiit? Passio est in corpore, impatibilitas autem in dignitate. Nam neque, verbi gratia (inquit Eusebius Cæsariensis) dum lyra pulsatur, aut nerui conuelluntur, pati verisimile est eum qui ita præludit: neque dum viri cuiusdam sapientis corpus torquetur, illius sapientiam, aut quam in corpore gerit animam, cedi aut puniri merito dicere possumus. Vt enim solaris luminis radij licet omnia compleant, & corpora mortua sordentiâque attingant, ipsi tamen nihil patiuntur: multo minus vnus Dei incorporea maiestas, etsi corpori afflicto, & patienti coniuncta, in sua integritate perseuerabit. Et quidem si quis in aërem lapides, mittit, discindit quidem hoc apparatus, cum semper hoc elementum integrum sit: & qui aquas verberat, non proinde earum substantiam subuertit: quanto minus subruì potuit in Christo diuinitas? Theodoretus dialogum edidit, cui de impatibili titulum fecit, quo idem argu-

Orat. de signaculis.

3.  
Lib. 4. de monstr. Evangel. c. 13.

4.

5.  
Hilarius in lib. de Trinitate.  
Theodoretus.

mentum sectatur: etiam ex præcedentibus figuris quæ Christum præfigebant. Siquidem Abrahamo Patriarchæ diem Christi passionis præostensum fuisse nemo dubitabit, qui conditionem sacrificij illius expenderit. Pater enim est hic & illic, & filius similiter dilectus, ferens vterque materiam sacrificij. Hic enim ligna, ille verò crucem portauit humeris. Dicunt & montis verticem vtriusque sacrificij operatione esse dignatum, cõuenitque dierum & noctium numerus, & quæ post eos facta est resurrectio. Etenim Isaac paterni animi præoptitudine interfectus est, & tertio demum die à mado sibi facto, eiusdem benignissimi voce vitæ restitutus est. Visus est autem Aries ab arbore pendens, & crucis imaginem ostendens, qui loco pueri mortem subiit. Nec enim mortem vnigenitus in diuinitate sustinuit: vt impassibilem Christi maiestatem intelligeres. Passus est ergo Christus, sed in carne (inquit) Origenes cuius hic Aries figuræ est, sicut & Ioanes dicebat, Ecce agnus Dei, Verbum verò in incorruptione permansit, quod est secundum spiritum Christus, cuius imago est Isaac. Ceterum si eius humilitatem attendamus, quæ non pertulit? Nam & in anima & corpore passus est, vt vtrique parti redemptionem repromitteret. Nec enim audiendi sunt, qui diuinitatem in Christo vices anime suppleuisse dixerunt: quasi non totum ille hominem assumpsisset, aut non saluaturus esset. Per vnionem enim nostram cum eo, iustificatio & salus in nos deriuatur. Si autem solum corpus, & non animam nostram assumpsisset, solius profecto corporis cum

Gen. 22.  
Sacrificium  
Abrahamæ.

Augustin.  
serm. 71. De  
tempore.

Passus est  
Christus acerbissime.

Veram habuit animam  
Christus.

Christo unio, solius ipsius & vita sperari posse: At verò potior hominis pars anima est. quomodò igitur non illa diuinitati in Christo primùm hypostaticè cõiuncta est, vt nostrã cū eo & gratiæ & integrę naturę vnionē speraremus? Theodoretus in Epitome diuinorum decretorum: Quòd autem animam ratione præditam filius Dei susceperit (inquit) docet Lucas, cùm Iesum profecisse etate & gratia apud Deum & homines scribit, Proficit enim etate corpus, sapientia autem anima. Diuinitas autem neutrum incrementum suscipit. Quinetiam Christus, Potestatem (inquit) habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Nemo tollit animam meam à me, sed ego tollo eam, & rursus accipio eam. Et alibi, Propterea pater diligit me, quia ego pono animam meam pro ouibus. Illam autem animam passioni obnoxiam fuisse docuit, dicens, Nunc anima mea turbata est. Et quid dico? Pater, serua me ex hac hora, sed propterea veni ad hanc horam. Per has autem cogitationes, nunc quidem passionem reformidantes, nunc autem merum abiicientes, tristitiam & angorem ostendit, qui non diuinitati, sed animæ creatæ solet accidere, sic enim ait, Tristis est anima mea vsque ad mortem. Hinc tãdem cùm in illa esset agonia, factus est sudor eius tanquã guttæ sanguinis decurrentis in terram. An non hæc animæ assumptæ veritatem confirmant? Sed cùm sic oraret, Pater, in manus tuas commendo spiritum meum, quid illius spiritus no-

Luc. 2.

Iou. 10.

Ioa. 12.

mine, nisi animam intelligebat?

Itaque in omnibus humanæ cõditionis partibus passus est, dempto tamē peccato. Si enim corpus eius attendas, quid aliud in eo quàm horrendum ignominie & crudelitatis spectaculum perspicias? Sic enim Sibylla apud Latantium,

Ὁ κατὸς ἀπιμος, ἀμορφος, ἐν ὀκτροῖς ἐλπίδα  
δῶσει,

Miserabilis, inhonoratus, sine vlla specie, vt spem reponat miserabilibus.

Et hoc quidem Esaias. Quis credidit auditui nostro, & brachium nostrum cui reuelatum est? Et ascēdet sicut virgultū coram eo, & sicut radix de terra sitienti. Non est species ei neque decor: vidimus eum, & non erat aspectus, & desiderauimus eum, despectū, & nouissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem. Et quasi absconditus est vultus eius, & despectus, vnde nec reputauimus eum. Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit, & nos reputauimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo, & humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostræ super eum, cuius liuore sanati sumus. Omnes quasi oues errauimus: vnusquisque in viam suam declinauit, & posuit in eo Dominus iniquitates omnium nostrum. Hæc quis apertius explicare potuisset, quæ tamen multis annis ante Christi aduentum prædicta sunt? Quis verò quos ille dolores porta-

Christus  
passus in corpore & anima.  
Lib. 4. cap. 16.

Esai. 53.



tulit, animo complectatur, cum secundum rationem delicti fuerit & plagarum modus? Cum enim in eo Deus omnes iniquitates expurgari voluerit, illae vero infinite sint & innumerabiles, quomodo non immensa tormenta sustinuerit? Vnus ex omnibus peccatoribus Manasses, Peccaui (inquit) super numerum arenae maris, & non sum dignus respicere altitudinem caeli praemultitudine iniquitatum mearum. Alius vero, Iniquitates meae sicut onus graue, grauatae sunt super me. Quod si omnium peccata appenderentur, quae suppliciorum grauitas illis conferri posset? Ecce enim exigentibus delictis, primus homo est paradiso eiectus est, maledicta terra in opere eius, maledictus Cayn super terram, profugus, & utique proprio conscientiae reatu & iudicio condemnatus: magnum & illud diluuium omnem carnem consumpsit: igne, sulphure, & tonitru quinque ciuitates absorptae sunt: tot bella, tot fames, tot pestes, ut iusta diuinae iracundiae flagella, in homines peccatores immissa sunt. quid ergo si poenarum magnitudo peccatis hominum aequari potest, illam autem subire debuit Christus, quis quae nec etiam Angelorum illa quae passus est, complectetur? Iuste quidem apud Hieremiam, O vos omnes (inquit) qui transitis per viam, attendite & videte, si est dolor similis sicut dolor meus. Tanto enim maior dolor fuit, quanto pro omnibus patiebatur: quanto nec vlla perturbatio ei contigit: cum soleat illa afflictionem minuere, sicut & apprehensionem obscurare. Duabus enim ratio-

Ihren.

Quomodo  
passio fue-  
rit in Chri-  
sto acerbis-  
sima.

nibus grauissimam poenam attendimus, nimirum si illa nobilissimum subiectum agat, & si ab impiis toto crudelitatis spiritu debacchetur. Quid autem Christi anima & corpore nobilior? Si quid animo obtuso & ignaui, si quid corpori eneruato, leproso & caduco accidat, minorem sane passionem ingerit. Quid vero Christo purius & excellentius est? Iam si aduersariorum in eum impetus & contumelias intendas, quid illi in eum moliri potuerunt, quod non tentarint? Vinxerunt illum, & traxerunt, alapis caeciderunt, sputis infecerunt, faciem velarunt, flagellarunt, deriserunt, spinis coronarunt, caput eius arundine percusserunt, felle & aceto potarunt, nudarunt, crucifixerunt. Si quis est qui possit addere, addat. Haec Erythraea Sibylla,

Εἰς ἀνόμοις χεῖρας ἔπιπτον ὑπερον ἤξει,  
Δώσασι δὲ τῶν παπῶν χερσὶν ἀναγροῖς:  
In impiorum & infidelium manus postea veniet,  
Et manibus immanis dabitur Deo alapas.

Hic enim est qui per Psalterium ait, Congregata sunt super me flagella, & ignoravi. Ipsi vero compuncti tentauerunt me, locuti sunt labiis, & mouerunt caput. Striderunt super me dentibus suis. Tot & tanta passus est, & ut Deo patri obedientiam redderet, & ut nos miserimos a poenis liberaret. Ait enim per Esaiam *Es. cap. 58.* Dominus Deus aperuit mihi aurem (nimirum ut obediret) ego autem non contradico, retrorsum non abij. Corpus meum dedi percutientibus & genas meas vellentibus. Faciem meam

non auerti ab increpantibus & conspuentibus. Quæ verò, à quibus non passus est? Reliquerunt cum discipuli, & ab vno eorum proditus est. Amici mei & noti mei (inquit) quasi alieni recesserunt à me. A gente propria, ab ipsis Iudæis Pilato traditus est. Hunc milites flagris cæciderunt, latrones & turbæ deriserunt; hunc Pilatus condemnauit, & crudeles homines crucifixerunt. Consolantem me (inquit) quæsiui, & non inueni. Passio vtique magna, quam cælum obstupuit, quam terra horruit, quam collisi lapides testati sunt.

*Cur Christus elegit mortem crucis: vt que cõstantissimus fuerit inter tormenta, & diabolum morte sua vicerit.*



**C**ONTRARIA quidem contrariis dispunguntur, seu rerum non modò qualitates, seu animorum dispositiones & habitus cõsideremus. Deus ergo superbiam humilitate, delicias tormentis, rebellionem summa obedientia, peccatum summa iustitia, per Christum exclusit, vt sicut per vnum hominem mors, ita & per vnum esset resurrectio mortuorum: & sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificarentur. Idcirco nimirum Christus humiliavit semetipsum, summa tormenta pertulit: cumque omnium esset iustissimus, mortem ignominiosissimam subiit, Crucifixus pro nobis. Hoc genus mortis elegit, qui vitæ mortis-

que potestatem habebat, vt per mudi stultitiã saluos faceret credentes. Cùm enim aliquando Nazareorum synagogam ingressus esset, hunc illi è montis supercilio deiicere tentarunt, neque tamen potuerunt: siquidem transiens ille per medium illorum ibat, & vanos temerariorum hominum conatus illudebat. Cumque aliquando Iudæi illum lapidibus obruere tentassent, minimè potuerunt, quòd ille aliud mortis opprobrium selegisset. Non enim hoc omninò voluntatis Iudæorum fuit, quòd crucifixus est, cùm iam & lapides in eum sustulissent, & alia in ipsum moliti essent: sed diuinæ indulgentiæ, quæ sic Christum passurum, & gloriam suam ingressurum decreuerat. Vt enim ille affectus suos, ita vitæ suæ periodos moderabatur, vt non inuitus pateretur, & moreretur. Oblatus est enim, quia voluit, sic enim diabolum vincere: sic in cruce de illo triumphare statuerat. Siquidem (vt diuus Augustinus scribit) in ligno salutem erexit, vt mortem quæ prius è ligno in nos dimanarat, excluderet, & per crucis ignominiam superbiam mundi domaret: crucem etiam prior ascenderet, nobis iter salutis per varias passiones & afflictiones assignans. Denique cùm signum mortis eius, signum quoque nostræ iustificationis esse debuerit, facilius illud in cruce designatum est, vt quod frõti inprimi possit, & ad omnem progressum & exitum, quæcunque nos exercitatio promoueret, præcedere. Gregorius Nysenus per quatuor crucis cornua, quatuor or-

Luc. 4.

Ioh. 10.

Cur crucem  
elegit Christus.

1.

Serm. 1. in

vigil. Pen-

tecost.

2.

3.

Tertul. lib.

De corona.

bis partes designari monet, ut & sūma & ima,  
 & quæ à dextris & sinistris, omnia denique  
*signū cru-* Christi celsura intelligeremus: seu eorum alia  
*is celebra-* salutem consequutura essent, seu alia ipse sua  
*risimum.* potestate obstricturus esset. Eam ob rem signū  
 hoc inter cæteros characteres & typos fuit  
 commendatissimum, ut tanto magis illud ve-  
 reremur, quo veritatem nostræ salutis in ea pe-  
 pendisse audiremus. Cū enim Iacob filios Io-  
 seph benedicturus esset, manus cancellatas in  
 modum crucis eis imposuit: quas nec, aliter  
 fieri suadente Iosepho, mutare voluit. Prophe-  
*Genes. 49.* tico quippè spiritu illum Angelum attēdebat,  
 qui ab omnibus periculis eū eripuerat. Quid  
*Exod. 12.* verò aliud signum Thau, quàm crucem præli-  
 gnabat, quæ agni immaculati sanguine tincta,  
 securos nos contra principes tenebrarum red-  
 dit? Quid enim, si postibus Israëlitarum impo-  
*Ezech. 4.* situm, illos ab Ægypti clade eripuit, & impres-  
 sum frontibus virorum dolentium ab inter-  
 necione eos liberavit: quomodo non maiora  
*In Ezechie* poterit signum Christi? Nam (ut scribit Hiero-  
*lem.* nymus) extrema litera in antiquis Hebræorum  
 literis, quam Tau dicunt, crucis habet simili-  
 tudinem, ut ex ipsis Samaritanorum caracte-  
 ribus, qui ab Hebræis desumpti sunt, facile col-  
 ligitur. Fuit & olim serpens æneus in deserto,  
*Iustin. Mar* à Moyse expresso Dei mandato erectus, non  
*tyr Dialog.* sine magno futuræ in cruce nostræ reparatio-  
*ni Tryphon* nis argumento. Nam quicumque serpentem il-  
 lum magna fide attendissent, etiamsi moribus  
 serpentum ad extremas mortis angustias per-  
 duci

duci viderentur, respirabant tamen, & ab illis  
 doloribus liberabātur. Atqui sicut Moyse ex-  
 altavit serpentem in deserto, ita exaltari oport-  
 tui filium hominis, inquit Christus. Tum autē *10.3.*  
 exaltatus est, cū cruci affixus, inter iniquos  
 deputatus est. Tanto magis igitur ad nostram  
 salutem crucis signum accedit, quanto melio- *Typ.*  
 rem serpente hostiam in ea pependisse intelli-  
 gimus. Legimus denique Moysen eo tempore, *Exod. 17.*  
 quo populus Israël in Amalechitas dimica-  
 bat, sese in montem subtraxisse, extensisque  
 manibus Dominum orasse, & victoriam ade-  
 ptum esse. Quando verò (ut ait Tertullianus)  
 in rebus tam artonitis, magis utique genibus  
 positus, & manibus cædētibus pectus, & facie *Libr. contra*  
 humi volutata orationem commendare de- *Iudeos.*  
 buisset: nisi quia illic nomen Iesu, sub typo Io-  
 sue, qui interim copias ductabat, præfagieba-  
 tur: dimicaturis quoque aduersus diabolium  
 crucis habitus esset necessarius, per quam Iesus  
 quoque esset victoriam relaturus? Itaque cū  
 in præcedētibus figuris signū hoc diuino quo-  
 dam numine nobis salutem repromitteret, iu-  
 stum utique fuit, saluatorem nostrum in cruce  
 mortem pro nostra omnium iustificatione obi-  
 re. Hoc mortis genus obiter notat Sibylla E-  
 rythræa, cū expansas manus, percussam lan-  
 cea latus, & coronam exprimit. Ait enim,

Αλλ' ὅταν ἐκπετάσῃ χεῖρας, καὶ πάντα με-  
 τέσῃ,  
 Καὶ σέφαλον φορέσῃ τὸν ἀχάλθινον, ἠδὲ γε  
 πλεύσει

Νήξωσι καλάμοισιν. ὁμῶς χεῖρ ἐν τεισὶν  
ώραις

Νὺξ ἔσται σκοπέουσα πελώριος ἡματι μέσῳ. i.  
sed manibus passis cum mensus cuncta, coronam

De spinis tulerit, nec non latus eius arundo

Fixerit aetha manu, cuius causa tribus horis

Nox tenebrosa die medio, monstro saque fiet.

*Textus Da-* Hęc crucis ignominiā etiam apertissimè P sal-  
*uidis corru-* tes enuntiarat, nisi Hebræorū industria textus  
*ptus.* corruptus esset. Sic enim Christus, foderūt ma-  
nus meas & pedes meos, & dinumerauerūt o-

*Psal. 21.*

omnia ossa mea. Totum enim hūc Psalmum ex-  
pressè Christi passionem prædicere demōstrāt  
Augustinus, Euthymius, Basilius in suis Com-  
mētariis, & Iustinus Martyr in colloquio cum  
Tryphone Iudæo. Quin & Euangelistę, cūm ex  
eo istud vaticiniū producant, diuiserūt sibi ve-  
stimenta mea, & super vestē meā miserūt sortē.

*Foderūt ma-*  
*nus ait, Da-*  
*uid.*

Ipse etiā Christus hunc sibi accōmodat, cūm o-  
rationē ad Deū patrē ab eo auspicatur, dicens,  
Deus Deus, quare me dereliquisti? At verò Iu-  
daica perfidia, quòd apertius se prodi videret,  
si hunc Psalmum integrum admitteret: dictio-  
nem *καρπυ* *Caru*, id est, foderunt, in aliam muta-  
uit, scilicet *κααρι* *Caari*, quę Sicut leo, significat.

*Septuagin-*  
*ta interpre-*  
*tes.*

Atqui Septuaginta Interpretes & ipsi Iudæi  
eos condēnant, cūm sic vertunt, ὠρυξάν χεῖράς  
μῶν, ἔχον πόδας μῶν, foderūt manus meas & pedes  
meos. Iā si requiramus quādo hoc contigerit,  
facilè crucifixionē animaduertemus. Tū enim  
nudatū sic extēderūt, vt omnia ossa dinumera-  
ri possent, & clavis durissimas, neruosas, & ma-

*Zacharia*  
*vaticiniū.*

ximè sensibiles manuū partes perforarūt. Hęc  
quoq; apud Zachariā legimus: Aspiciēt ad me  
quem crucifixerūt: Et plangent cū plāctu quasi  
super vnigenitū: Et dolebūt super eū, vt doleri  
solet in morte primogeniti. In die illa erit plā-  
ctus magnus in Hierusalē. Hīc omnia exprimi,  
quę ad veritarē facti faciunt, audimus: locum  
Hierusalē, planctum mulierū, vnigenitū Chri-  
stum, mortē, & confixionē. In consequenti etiā  
capite, qua in parte transfixio illa futura sit ex-  
plicat Propheta, dicens, Quid sunt plagę, istę  
in medio manuū tuarū? Et dicet, His plagatus  
sum in domo corū qui diligebant me. Framea  
suscitare super pastorē meum, & super virū co-  
hærentē mihi, dicit Dominus exercituum, Per-  
cute pastorem, & dispergentur oves. Hęc ve-  
rò suę passionis mysteria expressè ipse docuit  
Christus, cūm fugam Apostolorū prædiceret.  
Quid autē sunt plagę in medio manuū, nisi hæ  
quas intulerūt milites, cūm eū cruci affigerēt?  
Hoc etiam Abacuk prædixit, cūm hæc caueret  
Domine, audiui, auditum tuum, & timui. Deus  
ab Austro veniet, & sanctus de monte Pha-  
ran. Splendor eius vt lux erit, cornua in mani-  
bus eius. Ibi abscondita est fortitudo eius:  
*ante faciem eius, ibi mors, & egredietur diabolus*  
*ante pedes eius.* Deus enim ille Christus est,  
qui ab Austro à summa luce maiestatis pater-  
næ, & de monte summę glorię ad nos ven-  
turus erat. *splendorem* autem eius esse lucem,  
quę illuminat omnem hominem venientem  
in hunc mundum, declarauit, seu cūm Angelus

*Cap. 12.*

*Cap. 13.*

*Plaga in*  
*manibus.*

*Abacuk*  
*propheta.*  
*Cap. 3.*

*Interpreta-*  
*tio prophe-*  
*tia Abs-*  
*condita.*

Tertul. lib.  
cōtra Iu-  
dæos.

canticum natiuitatis resonans media nocte a-  
pud Pastores resplenduit, siue cūm nubes luci-  
da Christo trāsfigurato Apostolos obumbra-  
uit, aut Christo iam à mortuis rediuuio, Angeli  
in specie fulgenti apparuerunt, vt scribit Hie-  
ronymus. Porrò quæ illa *cornua sunt in manibus*  
*eius*, nisi (vt Tertullianus interpretatur) cornua  
crucis, quibus manus illius affixæ sunt? Hoc e-  
nim nomine Patriarcha Iacob crucē significa-  
bat, cūm Iosephū benediceret. *Tauri decor, cor-  
nua unicornis cornua eius*, in eis nationes ventila-  
bit pariter vsque ad summum terræ. Non enim  
Rhinoceros destinabatur unicornis, vel Mino-  
taurus bicornis, sed Christus significabatur.  
Taurus vt vtramq; dispositionē, aliis ferox vt  
iudex, aliis mansuetus vt saluator: cuius cornua  
essent æstimata. Nam & in antenna nauis, quæ  
crucis pars est, hoc extremitates eius vocatur:  
Unicornis autē media stipite palus. Hac deni-  
que virtute crucis, & hoc more cornutus, vni-  
uersas gentes ventilat per fidē, eleuās à terra in  
cælū, & tunc ventilabit per iudiciū descendēs  
de cælo in terram. Itaq; tunc cornua crucis in  
manibus eius fuerūt, quando ille cruci cōfixus  
est. *Ibi abscondita est fortitudo eius*, cūm exinaniret  
semetipsum, & rā patiēter tot opprobria per-  
ferret: cūmq; omniū hominū miserrimus ap-  
paret, ab omnibus delusus, tam ignominiosæ  
cruci additus. Tūc enim prætereūtes mouebāt  
capita sua, dicētes, Vah, qui destruis tēplū Dei,  
& in triduo illud reedificas. Idipsum etiā & la-  
trones improperabāt ei. Vbi tūc illa virtusque

ægrotos sanabat, & mortuos viuificabat? Vbi  
verbū illud maiestate plenū, quo ventis & ma-  
ri imperabat? Vbi denique digitus ille Dei, in  
quo dæmonia eiiciebat? Abscondebantur hæc  
omnia, nō erāt ablata. Adhuc enim & hæc po-  
terat, qui minimè maiestati suæ cessit: sed sicut  
nubibus, sic & illa fortitudo infirmitate carnis  
obducebatur, cui sese voluntariē subiecerat.  
*Tunc autem ante faciem eius venit mors*, cūm in cru-  
ce languesceret, vbi & verè mortuus est. Nam  
per mortem, mortem prostrauit. Venit mors,  
vt apprehēderet eum: sed absorpta est mors in  
victoria, & velut in hamo apprehensa est, sic  
enim per Prophetā prædixerāt, Ero mors tua,  
ô mors, morsus tuus, ô inferne. Vbi est mors vi-  
ctoria tua? Vbi est mors stimulus tuus? Sic mor-  
tem nostrā moriendo destruxit, vitā resurgēdo  
reparauit. Nam (vt scribit Gregorius Nyssē-  
nus) quia nostræ nature resurrectio expectaba-  
tur, idē ad nostrū lapsum impedit, tamq; pro-  
pē ad mortē accessit, vt cum mortalitate col-  
luctatus, primitiis resurrectionis naturā orna-  
uerit, dum vnā cum proprio corpore totū ho-  
minem à mortuis exsuscitat. Itaq; sese mors ei  
obtulit: ille autē eam elegit, eam subiit, vt præ-  
tium nostrę redemptionis exolueret. *Egressus est*  
*& diabolus ante pedes eius*: qui discipulum ad tra-  
ditionem, Iudæos autem contra eum ad extre-  
mam rabiem accenderat. Nam miserrimus ille  
fratrum nostrorū accusator, maximè moribun-  
dos aggreditur, si quid illis fortè tentationis  
suggerat, vt eos præcipitet & deiiciat. Sic (vt in

Greg. Nyssē.  
serm. cate-  
chitico.

Apoc. 12.

Apocalypsi dicitur) venit diabolus habēs iram magnam, sciēs quòd modicum tempus habet. Quàm temerariè verò ille primū in Christum Iesum sese peracto quadragesimali ieiunio ingesserat? Nihil hīc verò dedecori Christo ducitur, quòd prophanū illum Angelū ad se venire patiatur: cū nostras in se calamitates sustineret, & tētatus per omnia, sed sine peccato, omnem desperationis occasionē etiā à moribūdis rescinderet. Venit ad me princeps mūdi huius (inquit) & in me non habet quicquā. Urgebat ille Christū, & in illa voce exultabat, quā tentationē illam extremā, & extremas nostras angustias suscipiens, clamabat, *Eli, Eli, lama Sababani*: quod est, Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? At verò non desperantis, aut impatiēter conquerētis hęc verba erāt, sed cum fiducia quid in illa vitę periodo, orādū sit docentis: nimirum ut cū magna spe diuinę misericordię, etiā potius cū Deo contendamus, quàm deiiciamur: & audacter dicamus, Quare nos dereliquisti? id est, Quid est quòd nos derelinquas, si in faciem Christi tui attēderis, qui tot afflictionibus pro nobis deuonebatur, ut etiā à te derelictus esse videretur? Quid enim? derelinqueret Deus quod assūperat, & diuina natura ab humana seiūgeretur, cū sēper corpore etiam vita functo in æterna illa hypostasi cōiūgeretur? Impiè igitur execrādi & prophani homines in Christū blasphemāt, qui ipsum æternū dānationis iudiciū timuisse cōcludunt, quasi verò iustus ille & verus Deus hoc sibi timere posset, à quo qui benè vixerūt fideles, sese

*Math. 4.*

*Ioan. 14.*  
*Exclama-*  
*tio christi in*  
*cruce nō de-*  
*sperantis*  
*fuit.*

*Math. 26.*

*blasphemia*  
*Caluinista-*  
*rum.*

*1. Timoth. 4.*

longè positos esse credūt. Ut quod ait Paulus, Iā mihi reposita est corona iustitię, quā redder mihi Dominus iustus iudex. Poterat ne verò à spe resurrectionis, & magnę illius glorię, quā tandē adeptus est, decidere, qui latronē de sua quiete securū reddebat, dicens, Hodie mecū eris in Paradiso? Sed & quomodo sua eū presētia Deus destituisset, cū ipse verus Deus esset: & de patre dixerit, Nō reliquit me solū, sed quę placita sunt ei, facio semper? Atqui sūmā Christi in tormentis cōstantiā, & glorię fiduciā explicarūt Prophetę. Esaias enim sic Christū inducit dicētem, Non auerti faciē meā ab increpātibus & cōspiciētibus in me. Dominus Deus auxiliator meus, idè nō sum cōfusus. Et posui faciē meā, ut petrā durissimā, & scio quoniā nō cōfundar. Iuxta est qui iustificat me. Quis contradicet mihi? Stemus simul. Quis est aduersarius meus? Accedat ad me. Ecce Dominus Deus auxiliator meus: quis est qui condēnet me? Dereliquebatur ergo à Deo inter manus inimicorū: derelinquebatur, si externa illa spectes tormenta & opprobria, quę ab aduersariis inferebantur: cū nec ea Deus vindicaret, aut prohiberet, sed sineret, ut tanto magis affligeretur filius in carne, & tātō maiore in iis quę pateretur confidētiā relinqueret. Si tamē Christū ipsum spectes, si animā, si volūtātē, tātō abest, ut à Deo derelinqueretur, quòd præter vnitā diuinā illā maiestātē, etiā maiore virtute cōtra tentationes colluctaretur. Ait enim & per Psaltē, Prouidebā Dominū in cōspectu meo semper, *Act. 2.*

*Cap. 50.*

*Quomodo*  
*Christus de-*  
*relictus.*

*Psal. 150.*

*Act. 2.*

quoniã à dextris est mihi ne commouear. Propter hoc letatũ est cor meum, exultauit lingua mea: insuper & caro mea requiescet in spe. Sic de resurrectione sua securus erat, sic in patre cõfidebat, cui etiã animã suã reddidit, dicẽs: Pater in manus tuas cõmẽdo spiritũ meum. Quid ergo Abacuk? *Egredietur* (inquit) *diabolus ante pedes eius*. Egressus est nimirũ, qui accedere ausus fuerat. Egressus est victus & cõfusus, statim atque Christus expirauit, cũ iã abacta omni ignominia, maiestatis illius virtutẽ sensit. Nam (vt scribit Paulus) tunc deleuit chirographum decreti quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci: & expoliã principatus & potestates, traduxit confidẽter palam, triumphans illos in semetipso. Tunc enim ille verẽ Deus apparuit, cũ omnia contremere elementa, & creatoris maiestatem summa cœli luminaria faterentur. Cœterũ, mortuus *sepultus est*, satis honorificã sepultura. Ideò scilicet hoc adiicimus, ne tãdem sicut ceterorum qui crucifigebãtur, contemptũ fuisse Christi corpus arbitremur. Nam per mortem omnis eius ignominia finem accepit. De eius sepultura sic Esaias, Erit sepulchrum eius gloriosum. Et alibi, Dabit impios pro sepultura, & diuitẽ pro morte sua, eò quòd iniquitatẽ nõ fecerit, neq; dolus fuerit in ore eius. Porro in Euãgelio legimus, quòd nã pietatis & sepulture officũ impẽderint Ioseph ab Arimathia, & Nicodemus, vtq; pretiosis liquoribus delibutum corpus, sepulcho nouo in petra exciso cõdide-

Coloss. 2.

Esai. 11.

53.

rint & aduoluerint saxũ ad ostiũ eius. Quod sanẽ à Hieremia prædictum fuerat, vt obseruat Cyrillus Hierosolymitanus. Ait enim Propheeta, Venatione cœperunt quasi auem inimici mei gratis. Mortificarunt in lacu vitam meam, & posuerunt lapidem super me. Cœterũ omnia hæc propter nos, vt meditatur Augustinus. Natus est ex virgine, vt renasceremur ex Ecclesiã virginis utero. Tentatus est, vt à tentatione nos liberaret: tentus, vt dimitteremur: ligatus, vt nos à nodo maledictionis absolueremur. Illusus est, vt nos ab illusionibus dæmonum liberaret: vãnundatus est, vt nos redimeret: humiliatus est, vt nos exaltaret. Captus est, vt nos à captiuitate dæmonum eriperet: spoliatus est, vt nuditas primi hominis, per quam mors ingressa est, tegetetur: spinis coronatus est, vt nos liberaret à spinis peccatorum, vel potiũs monstraret se cum eis coronandum. Aceto potatus est, vt nos inebriaret dulcedine cœlestis desiderij, & æterni gaudij. Postremò in altari crucis sacrificatus est, vt totius mundi peccata deleret. Mortuus est, vt mortis captiuaret imperium: sepultus est, vt sepulture Sanctorum benediceret, & vt nos sibi mortificatos carne, & à vitiis & concupiscentiis expurgatos consepeliret. Sic delusit Christus sapientiam huius seculi, dum infirma huius mundi elegit, vt confunderet fortia, & per scandalum crucis omnem elationem contereret, nobisque fœlicitatem illam æternam aperiret.

Catech. 13.  
Thren. 3.Serm. i. in  
vigilia Pẽ-  
tecost.

1. Cor. 1.

*Respondetur obiectionibus quorundam contra descensum Christi ad inferos: qui & multis argumentis confirmatur.*

2. Cor. 12.

1 Io. 3.

*Lib. Græcorum affectionum.*

**V**T vera charitas è corde proficiscitur, ita sese in opus prodit. Nec enim ipsa otiosa est, nec æmulatur, nec agit perperam: sed hoc vnum nititur, vt pro sit. Itaque cum summa charitate Christus genus nostrum diligeret, non verbo neque lingua, sed opere & veritate suæ benevolentia testimonio edidit. Eos autem medicos maximè probare solemus (inquit Theodoretus) non qui suis ministris ægros curandos committunt, sed qui pallium deponunt, interulamque succincti, suis ipsi manibus ferrum accipiunt, vlcusque si opus sit incidunt, neque fœtorem vlceris auersantur. Imò verò profluentem saniem excipiunt, spongiâque aspergunt, & vnguenta compingunt, aliâque remedia multa conficiunt, quæ adhiberi medicina lex iubet. Hæc autem in Christo summa commendatione digna sunt, cum non satis illi fuerit Prophetas misisse, sed ipse accesserit: & non modò ægri tudines nostras contrectarit, sed & in seipso portarit. Cùmque magnum hoc nostræ salutis pharmacum per mortem suam cõpegisset, hoc etiam iis adhibuit, qui in infernis erant. Et sicut verè ad nos, ita & ad eos, sed in anima descendit, captiuos visitauit, & in libertatem eduxit. *Descendit enim ad inferna, vt ex Apostolico symbolo didicimus.* Porro quoniam

nonnulli huius tempestatis hæretici hunc nostræ fidei articulum peruertunt, ne forrè si illum admiserint, purgatorias pœnas post hanc vitam fateri cogantur: nos vt quæ necessaria sunt ad fidei perfectionem à calumniis hominum vindicemus, primum omnium quàm temerè id inficientur, ostendamus. Quid ergo opponunt? Quid proferunt, quo saltè tam necessaria confessione illudant? Sunt qui dicunt hoc in Symbolo Nicæno minimè reperiri, itaque nec aliquam vim habere in Apostolico, quasi verò omnia eludenda sint, quæ in altero eorum minimè reperiantur, etsi in vno affirmantur. Est verò & alius articulus. *De sanctorum communionem, quem expressè in Symbolo Nicæno minimè legimus.* Est in Nicæno de Baptismate, qui tamen in Apostolico non exprimitur. Ergone reiicienda hæc erunt, quia hæc in altero tacentur, aut subintelliguntur? Num illa creditu necessaria sunt?

Sed & multa sunt in Nicæna fidei confessione fusius explicita de consubstantiali, & in cõsilio Constantinopolitano de Spiritu sancti à patre filioque processione, quæ non habentur expressè in Apostolicis Articulis. Et tamè tam ad fidem necessaria sunt, quàm sine fide Deo placere impossibile est.

Porro quis non videat ineptam prorsus esse consecutionem, si quis ab vno Evangelistarum ad aliũ sic ratiocinetur, vt quod in vno minimè expressum legerit, in alio etsi expressum, negadum putet? Solent enim illi aliquan-

*Refelluntur illi qui hunc articulum à Symbolo rescindunt.*

*cur in Symbolo Nicæno non mittitur descensus Christi ad inferos.*



do tacere, quæ in eorum altero fufius expli-  
cantur.

4. At verò rursus dicent Symbolum Nicænum  
Apostolico posterius fuisse, ideóque ea omnia  
exprimere debuisse, quæ à priore auctoritatem  
sumpserant. Et hoc quidem fortasse locum ha-  
beret, si modò ea quæ tum temporis contra  
hæreticos necessaria essent, attendamus, Ea e-  
nim maximè explicare debuit, de quibus disse-  
rebatur, vt quæ faciunt ad consubstãntialis pro-  
bationem contra Arium, sicut & Constanti-  
nopolitanum ea decernere, quæ faciunt ad  
Spiritus sancti è patre filioque processionem,  
contra Macedonium. Quid autem vetat, quin  
reliqua etiam omnia, de quibus minimè disse-  
rebatur, ad receptam Apostolorum confessio-  
nè remitteret? Nec enim sanctissimis illis Ni-  
cænæ synodi Patribus in animo fuit omnia ex-  
primere quæ dici possent, cum alium, vt dixi-  
mus, articulum taceant: verùm expressè magis  
ea de quibus quærebatur, decidere & euolue-  
re voluerunt.

5. Nam si aut superflua, aut parui momenti vi-  
dentur reliqua in priore Symbolo expressa,  
quæ in posteriore tacentur: quam etiam sa-  
cri Euangelij præconibus iniuriam inferrent,  
cum ille omnium qui postremus scripsit, con-  
sultò etiam supprimat ea quæ ab aliis narrata  
sunt. Ioânes enim multis diebus post fœlicem  
cœterorum discessum Euangelium suum con-  
scripsit, qui tamen vt ea recenset quæ cœteri  
omiserant, ita multa remittit, quæ ab aliis me-

*Postremus  
omnium loã-  
nes nō om-  
nia scripsit  
Io. 20.*

moriar mandata fuerant. An igitur, quia po-  
stremus ille non omnia quæ priores, recensuit,  
superflua illa & contemnenda erunt, quæ ta-  
cuit? Vt enim obiter ille nos ad priora remit-  
tebat, ita quidē si quid minus in cœteris Sym-  
bolis expressum est, ad Apostolicum consultò  
remittitur, quòd de eo nulla prorsus tum quæ-  
stio esset.

Sunt verò & alij, qui quòd hunc articulum 2. *Obiectis.*  
explodere minimè possint, ad variam inferno-  
rum interpretationem delabuntur. Nam vete-  
rum (inquiunt) nonnulli inferni nomen ad  
mortis dolores transtulerunt, quod in ex-  
tremis angustiis moribundi patiuntur.

Quasi verò nec latius sese nomen inferni  
porrigat, vt modò pro sepulchro, modò pro  
hoc mundo sumatur. Interim verò si quis  
nostrum Christum in infernum, id est, mun-  
dum descendisse dixerit, an prorsus enim ne-  
gabit ad extremos mortis dolores peruenisse?  
Hæc omnia variè dici possunt, quòd varius  
sit & multiplex scripturæ sensus, ita tamen vt  
vni maximè innitatur. Cum enim alia per quã-  
dam similitudinem significet, vnum aliquid  
propriè significabit, quod cœteris etiã admissis  
raturum & verum stare debet. Hic autem pro-  
priè infernorum nomen pro locis illis terræ  
abditis sumitur, ad quæ Christus secundum a-  
nimam descendit, vt se non modò eorum qui  
in terra superstites erant, sed eorum qui in in-  
feris erant fideles defuncti, reparatorem o-  
stenderet.

*Inferni no-  
men non so-  
lum pro se-  
pulchro.*

2. *descēdit ad inferna nō significat illum mortis dolores passum esse.* Et quidem antequam Christus expirasset, & sepultus esset, in extremos mortis dolores, que figuratè nomine inferni designantur, descenderat: at verò cum iam ex Symboli confessione sepultus fuisse dicatur, tandem verò ad inferna descenderit, quomodo id de mortis angustiis intelligatur. Alioquin bis mortuus esse diceretur, semel antequam sepeliretur, rursus autem postquam sepultus est. Quis verò tam obtusæ mentis, id de Christo dici posse arberetur? Nam quòd mortuus est, mortuus est semel (inquit Apostolus.) Quis igitur eum bis mortuum somniarit? Nec enim sunt extremæ mortis angustię post mortem, cum ipsam concludat. Aut ergo nondum prius verè mortuus fuerat, aut statim atque sepultus est, illos angores minimè sustinuit.
3. Quòd si quis adhuc hæreat in ipsa, quam diximus, inferni significatione impropria, qua etiam dolores illos intelligamus: quid rãdem? Ergo si aliquando potest dici Christus in infernum dolorum descendisse, antequam expiraret: non proinde in inferna illa loca secundum animam descendit, statim atque expiravit? Si enim hæc ratio locum haberet, quid vetat, quin ego infernum illum dolorum simili conclusione exploderem, cum illo nomine mundum etiam hunc significari dixerim? Sic enim colligam. Christus in infernum descendit, cum in mundum hunc venit. Itaque minimè extremos illos mortis dolores sustinuit, qui per infernum significari possent, ne ipsum

in alium infernum descendisse putemus. At verò ineptam hanc consecutionem omnes explodent, cum vnius affirmatio alterius negationem minimè includat. Nam & verum est, Christum in infernum descendisse, seu tu per infernum hunc mundum, seu extremos mortis dolores intelligas. Quid verò oberit, quin etiã simili modo affirmetur ad inferna illa loca descendisse, cum id prioribus nihil detrahat? maximè cum in differentia temporum considerentur? Descendit enim ad infernum huius mundi per incarnationem, ad infernum angustiarum per passionem, ad loca inferna animarum post mortem.

Has rationes admittit Augustinus, cum duplicem infernum statuatur: vnum, ad quod venit Christus nascendo: alterum, ad quod descendit moriẽdo. Nam cum Psalte, infernum superiorem & inferiorem agnoscit, cum de inferiori dicatur, *Eruisti animam meam de inferno inferiori.* An igitur quia ego vnum affirmabo, alterum negabo? Sciunt omnes, apud Hebræos inferni nomen quandoque etiam pro sepulchro sumi. An verò quia Christus liberatus est ab inferno huius mundi, eius corpus è sepulchri inferno minimè liberum euasit? An non anima eius inferni illius inferioris claustra, vectes & portas ferreas confregit? Esse enim inferna aliqua loca, quibus animæ detineantur, nemo dubitauerit, qui diuinæ iustitiæ ordinem, qui sacras etiam scripturas paululum legerit. Hæc probat Tertullianus ex fumariolis, qui è monte

*Christus descendit ad tria inferna*

6.  
*In psal. 85.*

Æthna & aliis emicent, è quibus doceamur non esse difficile subterraneum quendam ignē & infernum colligere. Porro Iustinus Martyr in secunda Apologia pro Christianis, nihil de ea re nos scribit à Paganis accepisse, nec etiam ab ipso Platonis Timæo, cum iam ante eum Moyses inferni meminisset. Quis enim eos non intelligit, ut alia multa, etiam quæ de inferis dicuntur, eos à nostris audire potuisse?

Cæterum infernum, locum etiam subterraneum esse manifestum est, cum Chorè, Dathan, & Abyron in illud descendisse legantur apud Num. 16. Dathan, & Abyron in illud descendisse legantur apud Deuter. 32. Iob. 10. Mosen, qui & inferni nouissima alibi nuncupat. Iob verò illum describit, terram tenebrosam & opertam mortis caligine, ubi umbra mortis & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Terram etiam miseriæ & tenebrarum: & alibi, Ostia tenebrosa. Esaias verò Luciferum in infernum detractum vocat, qui prius dixerat, Ascendam super astra cœli, & exaltabo solium meum, & similis ero altissimo. Psaltes denique multis in locis inferorum meminit, eorum etiam in quos impij detrudantur: ut cum ait, Veniat mors super illos, & descendat in infernum viuentes: Quoniam nequitia in habitaculis eorum, in medio eorum. Et alibi, Ipsi verò quæsierunt animam meam, introibunt ad inferiora terræ. Porro Augustinus subterranea duo inferna agnoscit: vnum, in quo Sanctorum animæ Christi aduentum præstolabatur: alterum, in quo damnati iustam Dei sententiam experiebantur. Colligit autem non idem

idem vnum & alterum fuisse, ex Euangelica pauperis & diuitis historia, cum eiulanti diuiti respondeat Abraham, Magnum Chaos inter vos & nos firmatum est. Quin & Hieronymus libro tertio Commentariorum in Oseam, Ose. 13. hanc in Christo impletam Prophetiam ostendens, qua dicitur, Ero mors tua, ô mors: morsus tuus, ô inferne. Infernus (inquit) locus est, in quo animæ recluduntur, siue in refrigerio sint, siue in pœnis, pro qualitate meritorum. Hoc Chrysostomus, simulque Christi ad inferna descensum explicat. Ante aduentum saluatoris (inquit) & Euangelij charitatem, antequam Christus aperiret Paradisi ianuam cum latrone, omnes sanctorum animæ ad inferos deducebantur. Vnde dicit & Iacob, Lugens & gemens descendam ad inferos. Si Abraham apud inferos, quis non apud inferos? In lege, Abraham apud inferos, in Euangelio latro in Paradiso. Demum adiicit Christum, ut eos educeret ad infernum descendisse. Porro ut iste nostræ fidei articulus euentissimè pateat, primorum Ecclesiæ Patrum quasdam sententias colligamus.

Basilii quidem hanc rationem adfert, ut cum Christus simul atque expirauit, minimè otiosus fuerit: corpore sepulto animam eius alicubi esse debuerit, ubi ea perficeret quæ ad consummatam fidelium liberationem essent necessaria. Nullus autem omninò hominum qui superuiuebât, in illo triduo apparuit. Hoc itaque tempus illis qui erant mortui impendit.

Similitudinem enim ducit ab odore, adinstar cuius Christum sic diffundi debuisse docet, ut etiam ad inferna descenderet. Nam cum dicat Psaltes, *Myrrha & gutta & casia à vestimentis tuis.* Christi quidem (inquit) suaue fragrans odor myrrham ob passionem spirat. Guttam verò, quòd non immobilis, nec otiosus, aut inefficax in sepulchro permanferit, tribus illis diebus ac noctibus, sed in infernum descenderit, gratia dispensationis circa resurrectionem absolueda: ut quæ de seipso erant oracula Prophetarum vniuersa expleret. Habes ergo Myrrham ob sepulturam, guttam ob descensum ad infernum, quum omnis gutta ad inferiora delabatur: Casiam verò, ob carnis circa lignum dispensationem.

2. Epiphanius verò contra Tatianorum hæresim hoc concludit: ut si quidem Christus verè saluator fuit, & caput omnis Ecclesiæ, etiam ad eos venerit, in quos imperium habebat. Venit enim ad viuos homines per incarnationem, ad Angelos per ascensionem: venit itaque ad mortuos fideles per descensum ad inferna. sic enim ait, Ob quam igitur causam Christus vsque ad inferna descendit? Quomodò verò impletur, ut & viuorum & mortuorum imperium obtineret? Qualium verò viuorum & mortuorum, quàm eorum qui ipsius auxilio sursum ac deorsum opus habent?

3. Omnis creatura Christi agnoscere debuit. Cum enim omnis electa creatura eum agnoscere, num & ille se omnibus communicare debuit? Porro inter eos, non Angelos modò,

non superstites tantum homines, sed & eos enumerat Paulus & Ioannes, qui in infernis erant: itaque eis se Christus communicauit.

Nam in nomine Iesu omne genu flectitur celestium, terrestrium, & infernorum: & omnem creaturam etiam quæ sub terra est, audiui dicentem, inquit Ioannes: Sediti super thronum, & Agno benedictio, & honor, & gloria. *Philipp. 2. Apoc. 5.*

Rursus scilicet ad eos venit, quos liber ille intus & foris scriptus spectabat. Atqui in Apocalypsi legimus requisitos esse etiam subtus terram, qui essent digni aperire librum. Non id à damnatis, non à dæmonibus requiri potuit: à quibusdam igitur electis, qui subtus terram essent, quos etiam Christus illuminaret, & educeret. *4. Quos liber intus et foris scriptus spectat.*

Iustinus Martyr in Colloquio cum Tryphone, hinc istius articuli argumētum ducit, quòd ne quidem etiam ante Christi aduentum Sathanam latuerit: ut qui fidem hanc suis inuentis obscurare tentarit per Poëtarum fabulas. Illi enim ut suis idolis arrogarent, quæ Christo debebantur, descensum ad inferna Herculi & Theseo tribuerunt. *5. Descensus Christi ad inferos fabulis delinitus à Sathana.*

Porro Eusebius Cæsariensis ex Psalmo vigesimo primo, Christi mortē, & de inferis victoriā meditatatur. Nam cum Christo cruci affixo omnia istius Psalmi verba cōtulisset, ad ea deveniens quæ dicuntur, *Quoniam tribulatio proxima est, & non est qui adiuuet,* tribulationem & cōflictum illum vltimum cum Sathana attendit, & in cruce, & cum ad infernum descen-

dit. Ait enim Christus in persona Davidis: *Aperuerunt (dæmones) super me os suum, sicut leo lapiens & rugiens.* Etenim (ait) cum animam, ut par est, humanam & cæteris similem, nec amplius præterea quicquam arbitrarentur, aperuerunt super eam os suum, ut quemadmodum alias hominum animas, ita Christi animam deuorarent. At verò tanto abest, ut Christus dæmonibus cesserit, quòd & illos quasi hamo expiscatus est, & vicit.

7. Neque verò magnanimo triumphatori satis est, si alicubi tyrannum deuicerit, nisi & eum persequatur, donec vniuersa eius spolia diripiat, ut ipsemet docuit Christus, cum suam de Sathana victoriam prædiceret. Itaque non satis Christo fuit dæmonum fregisse potentiam, nisi & atrium, & recondita quæque illius penetraret, & eos quos propter Adami peccatum captiuos se detinere arbitrabatur, in libertatem vendicaret.

8. Ex quo efficitur, ut & inferna, & descensum illum Tertullianus affirmet: maximè verò cum dicat Paulus, *Quis est qui descendit, nisi qui descendit primum in inferiores partes terræ?* Nec enim (ait) ante ascendit in sublimiora cælorum, quàm descendit in inferiora terrarum, ut illic Patriarchas & Prophetas sui compotes faceret. Habes & regionem inferum subterraneam credere, & illos cubito pelleri, qui satis superbi non putent animas fidelium inferis dignas. Quasi in æthere dormitio nostra cum pueris Platonis, aut in aère cum Ario, aut circa lu-

Christus inimicum ad usque atrium persecutus. LUC. II.

Lib. de anima. tit. de inferis.

nam cum Endymionibus Stoicorum.

Cyprianus etiam ipse è Psaltris oraculis descensum illum concludit, cum in libro secundo contra Iudæos, præter verba Psalmi quinti decimi, quæ tandem expendemus, etiam & hæc de Christo profert: *Domine, eduxisti ab inferno animam meam, saluasti me, à descendantibus in lacum.* Et alibi. *Quoniam conuersus uiuificasti me, & de abyssis terræ iterum eduxisti me.* Euidentiſſimè autem in Psalmo 87. Et factus sum sicut homo sine adiutorio *inter mortuos liber.* Nò dixit homo, sed sicut homo, inquit Cyprianus. Sicut homo enim erat, quia descendit in infernum: sed inter mortuos liber erat, quia à morte detineri non poterat.

Hoc etiam Hebræorum præcipui ex Esaia & Osea collegerunt. Nam Rabbi Moses Hadarfan, in Beressith rabba, id est expositione libri Genesis: Cumque (inquit) viderent captiui qui in gehenna erant, lumen Messia, gauisi sunt eum recipere, dicentes, Hic educet nos de his tenebris: sicut dictum est Hoseæ decimotertio, *הוֹשִׁיעַ נִינְוֵה מִיַּד שְׂעוֹל*, & c. id est, de manu inferni redimam eos, à morte liberabo eos. Sic quoque Esaia capite trigesimo quinto, Et redempti Dei redibunt, & veniet, & redibunt in Syon & reliqua, usque ad hoc quod concludit, Et fugient dolor & gemitus. Quomodo enim hæc de Christo, imò & de ipsius morte non intelligantur, cum statim apud Hoseam id sequatur, *Ero mors tua, ô mors: morsus tuus, ô inferne?* Quid autem per Iad seol, manum inferni,

9. psal. 29.

10

In Cap. 24.

Pet. Gallit.

li. 8. de ar-

can. fidei.

cap. 21.

Hebræorum

testamenta.

Os. 13.

Esa. 35.

Rabbi Mo-

sis Hadar-

fan.

nisi potentiam aliquam maiorem, quam quæ in sepulchro sit, intellexit? Et quidem redempti ex illa manu, ex illa captiuitate, permulti resurrexerunt, & vt legitur apud Matthæum, in templo multis apparuerunt, sicq; venerunt, & redierunt in Syon, cum in hoc monte templum ædificatum esset. Sunt etiam ex Hebræorū Rabbinis, vt R. Simeon filius Iohai, & Rab benu Heccados in libro, quem Reuelatorem arcanorum nuncupant, qui ex Geneseos capite quadragesimo septimo hoc etiam dicant, Animam quidem Messie descendisse ad inferos, apud quos triduo morata sit, vt inde omnes animas patrum. Typum autē huius fuisse in eos, quod Dominus ad Iacob dixit, *Ego descendā tecū in Aegyptum, & ego inde educam te*: quod ad electos Christus in loca tenebrarum, quæ per Aegyptum designantur, descensus esset, & inde eos educturus. Quodque in Hosea dictum sit, *Visitabit nos post duos dies, & in die tertia suscitabit nos, & viuemus in conspectu eius.*

Irenæus multis descensum illum confirmat. Nam & eorum nonnulla quæ diximus profert, & id quod æterna illa Patris sapientia, Verbū, & Filius Dei dicit: *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & visitabo dormientes in Domino.* Et istud Zachariæ nono, Tu autē in sanguine testamēti tui eduxisti vinclos de lacu, in quo non erat aqua. Quos enim dormientes in Domino nuncupabimus, nisi eos de quibus in Apocalypsi dicitur, Beati mortui qui in Domino moriuntur. Fideles enim mortuos dormientes vocat Apo-

Math. 27.

Rabbi Simeon.

Cap. 6.

II.

Lib. 5. contra hæreses.

Eccles. 24.

Zach. 9.

Non dicitur soluisse suos dolores, inquit. Sit ita. Sed neque se è captiuitate inferni eripuisse dicitur. An propterea non eduxit captiuitatem captiuam, quia seipsum non eduxit, ac si inferno detineri potuisset? Vt autem cæteros è captiuitate eduxit, cum esset liberrimus, ita & dolores inferni soluisse dicitur, quibus premebantur, etsi ipse illis minimè obnoxius esset. Hoc etiam hac propositione elucere potest. Si quis Christum peccata soluisse dicat, an ideò ipsum peccata ipsemet incurrisse dixerit? Peccata soluit, non sua. Dolores soluit, non suos, sed inferni, eorum scilicet qui inferno detinebantur. Nec enim illum in inferno passum putamus, cum omnia iam in cruce consummata dixerit. Descendit igitur vt dolores solueret, & liberos redderet eos, qui captiui tenebatur. Quos verò dolores? Longam illam suæ libertatis expectationem, quæ dolor dicitur, cum spes quæ differtur, affligat animā. Pœnam damni, exilij, quibus tenebatur, donec ad eos illucesceret. Statim autem atque ad eos descendit, vt eos libertatis, regni, patriæ, & gloriæ participes fecit & securos, ita & dolores illos inferni soluit, qui non Christum, sed eos quos ipse eduxit, affecerant.

Porrò, vt liberius Calvinistæ sensum Prophetiæ supprimant, verba commutant. Habet enim Psaltes: Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem. Quibus verbis, quid Christi animæ, quid item corpori accessurum esset, ex-

pressit. Corpus enim sanctum Dei vocabat, non alio profecto modo, quam quo Christus corpus suum templum appellavit, quod & sanctum dicere poterat. Illud verò minimè corruptioni datum est in sepulchro, cum tertia die gloriosius surrexerit. Vt ergo illud à corruptione vindicatum est, ita & eius anima in inferno minimè derelicta est. At verò impij illi non infernum, sed sepulchrum, nec animam, sed corpus aut vitam legunt. sic enim Besza: Quoniam non derelinques cadaver meum in sepulchro. In Commentario verò. Non derelinques cadaver, vel vitam meam. Et ubi, quæso, cadaver vitam dici audit, cum hac ratione à corpore differat, quia vita destituitur? quasi verò mors idè quod vita est, cum cadaver sit corpus mortuum. Ineptum prorsus hominem: Derelinques cadaver, ait, vel vitam. Si cadaver est, non iam vita est: quin potius mors. Et unde, quæso hæc ineptiæ nisi ab homine perturbato? Melius enim cadaver mortem, quam vitam significavit. Verum è qua dictione sic transtulit? Hebraica, an Græca? Hebræi quidem sic legunt, כִּלּוֹתָא נַפְשָׁא בְּיַמְיָא קִילוֹ תַאפֹּא נַאסִי לִיסְעוֹל. ubi quidè dictione נַפְשָׁא nefes, nō cadaver, sed animam significat. Denique sic verterunt Septuaginta, ὅτι ἐκ ἐγκαταλείψεις τὴν ψυχὴν με εἰς ἄδης, ἢ δὲ δώσεις τὸν ὄσιον ἰδὲν ἀφθόρον. Atqui cum ψυχὴν legant, quomodo non de anima dici intelligunt? Sic ergo utramque linguam depravare audebunt? Quomodo non simul omnia subvertent, si hæc eis impunè licuerint?

Verum, quid adferunt? *ψυχή* (inquiunt) etiā vitam designat: est autem illa quodammodo in sepulchro inclusa, quandiu illic corpus mortuum iacet. Mirum effugium: quasi vita sit in corpore mortuo. Si enim mortuum est, illa prorsus abscessit, nec sepulchro includitur. An verò, sicut & olim de Naasamonibus scripsit Tertullianus, animas circa sepulchra errare putant, & non in locum abire à Deo destinatum? Denique quòd non infernum, sed sepulchrum transferunt, suam prorsus malevolentiam aperuit. Nec enim negare possunt *seol* etiam infernum significare: cum ea ratione dicatur in multis locis, qua respicit animam, quoties de confessione laudis diuinæ, aut animæ salute differitur, ut in iis locis: Còvertere Domine, & eripe animam meam, quoniam non est in morte *psal. 6.* qui memor sit tui *לִי הַיְהוָה אֱלֹהֵי מִי יוֹדֵעַ*, Biseol mi iode la, In inferno quis confitebitur tibi? Et alibi, Quia non infernus còfitebitur tibi. Et cum Chore & Dathan in infernum descendisse leguntur in libris Numerum. Iam cum hîc de inferno dicatur, ut animam Christi respicit, quomodo ad sepulchrum illud torquere possunt? *Quos dolores solvit Christus.* Adde quòd ipsi Septuaginta *ἄδης* vertunt: quo vocabulo fatetur etiam Besza Græcos significare id quod Latini Inferos vocant. Ex his còsequitur, Christi animam ad inferos descendisse, nec tam enibi dolores sensisse, quin potius soluisse eos, quos electi patiebantur. Sic enim Augustinus in epistola ad Euodium. *Epist. 98.* Quis ergo (inquit) nisi infidelis, negaverit

Christū apud inferos fuisse? Quod si moueat aliquē, quomodo accipiendū sit ab eo solutos inferni dolores, vt ait Petrus, neq; enim in eis esse cœperat, tanquā in vinculis, nec sic eos soluit, tanquā si catenas soluisset, quibus fuerat alligatus. Vnde facile est intelligere sic eos solutos, quēadmodū solui possunt laquei venarum, ne teneant, non quia tenuerūt. Potest & sic, vt eos dolores eum nō soluisse credamus, quibus teneri ipse non poterat, sed quibus alii tenebantur, quos nouerat liberandos.

3. Petr. 2.

Quinetiam hoc apertè Petrus rursus differuit in priore Epistola. Christus (inquit) semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis, vt nos redderet Deo mortificatos quidem carne, viuificatos autem spiritu. In quo & his qui in carcere erant, spiritu, veniēs predicauit, qui increduli fuerāt aliquādo, quādo expectabant Dei patiētiā in diebus Noë, cum fabricaretur arca, in qua pauci, id est, octo animæ saluæ factæ sunt per aquā. Vbi quidem carnē nostram cum Christi carne, & spiritum cum eius spiritu cōfert, non alia ratione vtrumq; saluari monens, quā si Christo secundum vtrumq; assimilemur. Nimirum si, vt ille mortuus est pro nobis, mortificemus mortalia corpora nostra super terrā: & sicut ille suo semper spiritu viuifica opera exercuit, vt etiā mortuus ad spiritus defunctorū pergeret, & eis Euangelium annuntiaret: ita semper spiritu viuificemur audientes eius verbum, & lumen veritatis intuentes. Quid autem manifestius dici potest

quā quod Christus in spiritu veniens, predicauit his spiritibus qui erāt in carcere? sic enim habet Græca dictio, ἐν ᾧ καὶ τοῖς ἐν φυλακῇ πνεύμασι πορεύεις ἐκήρυξεν: In quo & ad hos spiritus, qui in custodia erant, veniens predicauit. Vbi non de hominibus in carne venientibus differit, cum vocet eos spiritus: sed neque de dæmonibus, cum tandem explicet quales olim illi essent, ad quorum spiritus Christus pergeret: dicens eos incredulos fuisse aliquando, quando Dei patientia in diebus Noë expectabatur, cum fabricaretur arca. Porro si historiam illam requiramus, magnum illud deluuium, multosque submersos intelligemus, quod Noë predicanti minimè crediderint. Illorum ergo, in quos vindex Dei manus sæuiit, spiritus hīc exprimuntur. Quomodo verò non iam illi è viuis decessissent, cum à diebus Noë ad Christum vsque tot anni intercesserint? Adde quod eadem vox πνεύμα Christo, nobis, & his qui iam decesserant, accommodatur. In Christo verò, & in nobis animam designat: cum sit carnis ad animam antithesis, vt ad instar Christi mortificemur quidem carne, viuificemur autem anima. Itaque cum eorum spiritus dicuntur, qui increduli fuerant, profectò ipse illorū animæ intelliguntur. Sed & vox carceris, seu custodia, locum illum ostendit, quo animæ tenebantur, à corporibus separatae, in quem Christus venerit. Quodq; ἐκήρυξεν, predicauit, illis, & promulgauit ea quæ vidit expedire, certam suā presen-



etiam testabatur.

*Quomodo  
Christus pre-  
dicavit in-  
credulis.*

Verum monet quosdam, quomodo illis predicauerit, qui increduli fuerant? Num in infernum damnatorum descenderit? Num illis se communicarit? Nam si id eis contigit, aliquam ergo gratiam eis contulit, qui tamen poenis perpetuis addicti erant. Nos autem firmam & certissimam primum hanc stare sententiam credimus, quod Christus mortuis Euangelisauerit. Attamen aut illi, qui aliquando increduli fuerant, inundantibus aquis Deum agnouerunt, & dum submergerentur, inuocarunt, ut saltem in futuro seculo gratiam aliquam assequerentur. Sic enim afflictio dat intellectum, & oculos quos vita & prosperitas clauferat, mors & aduersitas aliquando aperit. Hoc si in aliquibus fuit, cur non & honesta custodia teneri possent, e qua Christo ad inferna descendente, aliquando emergerent, & hanc gratiam quam sperarant, assequerentur? Si ergo de illis, qui cum aliquando increduli fuissent, & tandem tamen Deum & seipsum agnouerunt, haec dicuntur: quomodo non facile procedet illa conclusio de descensu Christi ad eos, qui misericordiam & gratiam eius expectabant? Quod si etiam hic de incredulis agitur, qui in sua infidelitate perierunt, & aeternis suppliciis adiudicati sunt, illis etiam Christum euangelisasse quid prohibet? Nec enim proinde Christus secundum animam in infernum descendisse dicetur: maxime cum legamus patrem Abraham diuiti epuloni in his quae querebantur satisfacisse, cumque;

*Luc. 16.*

eumque docuisse, quam iuste his suppliciis addictus esset. Memento fili (inquit) quia recepisti bona in vita tua, Lazarus autem mala: Nunc autem tu cruciaris, & ille consolatur. Hoc ille agebat, non ut dolorem, quem diues iuste patiebatur, leniret, sed ut Dei iustitiam, & diuitis ingratitude confirmaret. Eodem plane modo quis vetat Christum incredulis etiam euangelisasse: non quidem ut eos ad fidem conuerteret, sed ut eorum infidelitatem confutaret? non ut illis gratiam aliquam communicaret, sed ut iustam in eos Dei vindictam comprobaret? Neque verò inferno illi damnatorum secundum essentiam praesentem esse oportuit, ut haec promulgaret: cum neque pater Abraham locum mutarit, & ad impium illum descenderit, ut eum doceret. Quin potius, Magnum (inquit) chaos inter vos & nos firmatum est, ut hinc qui volunt transire ad vos non possint, neque inde huc transire. Itaque ut e sinu illo electorum damnatum hominem docebat Abraham, ut tandem Dei iustitiam agnosceret: ita quoque Christus ex illo sinu ex illo inferno & custodia electorum, etiam incredulorum errores confutauit, ut illi tanto magis apud se confunderentur. Nam, ut doctè resoluit Thomas Aquinas, dupliciter Christus esse alicubi dicitur: Vno modo, per effectum suum, quo Christus in quemlibet infernorum descendit, aliter tamen & aliter: Cum in infernum damnatorum descendens, eos de sua infidelitate & malitia confutaret: illis verò, qui pur-

*3. Partis*

*Summa.*

*q. 52. art. 2*

gatorio detinebantur, sp̄e gloriæ consequēdæ dederit : sanctis autem patribus , qui pro solo peccato originali detinebātur in inferno, lumē æternæ gloriæ infuderit. Sed & alio modo, nimirum secundum essentiam, Christus alicubi esse dicitur: quo quidem anima Christi descendit ad locum inferni : in quo iusti , & quibus spes gloriæ reposita erat, detinebātur: vt quos ipse per gratiam interiùs visitabat secundum diuinitatem, eos etiam secundum animam visitaret & loco. Quòd si quis rursus requirat, Visa ne sit Christi anima à damnatis : quòd si videri potuit , concludi aliquam illis gratiam & consolationem accessisse. Nos id necessariò consequi negamus. Nam diues ille è longè vidit Abrahamum, & Lazarum in sinu eius: ex quo efficitur , vt & illi Christum in eodem sinu secundum quendam modum videre potuerint. Vt verò neque vlla diuīti consolatio, quin potius maius tormentum accessit, cum electos illos prospiceret : ita & increduli tanto magis confusi sunt, quantò è longè Christum ad electos descendentem agnouerunt, cum ipsi interim sine vlla salutis expectatione , perpetuis tormentis torquerentur. Sic enim & ipsi Christum iudicem aliquando visuri sunt , nec proinde tamen lata in eos sentētia mitior erit. Porrò hunc Christi descensum & prædicationem Erythræa Sibylla innuit his verbis:

Καὶ τότε δὴ γὰρ Σαλομώνιος, ἀνθρώποισιν  
Σῆμα μέγ' ἰκτελέσῃ, ὅπου ἔστιν αἰδωνέος οἴ-  
κον

Βήσεται ἀγγέλων ἐπ' ἀνάστασιν τεθνεώσιν.  
Αὐτὰρ ἐπὶν ἔλθῃ τρυσὶν ἡμῶσιν ἐς φάος  
αὐγῆς,  
Καὶ δείξει θνητοῖσιν ὕπνον, καὶ πάντα διδάξει,  
id est,

*Tunc hominum generi magnum salomonis signum  
Templa dabunt, Ditis cum tecta profunda subibit.  
Nuntiet in vitam reditum quò morte preemptis.  
Sed postquam triduo lucem repetinerit, atque  
Monstrarit somnum mortalibus, atque docendo  
Cuncta illustrarit.*

In illo enim somni tempore, in illo triduo, sese omnium doctorem esse testatus est. Nam sicut bonos & malos, iustos & iniustos ad suas con- ciones, dum hīc esset, admiserat: sic & electis, & his qui increduli aliquando fuerant, spiritibus euangelisauit. Clemens Alexādrinus in secundo & sexto Stromatum idem confirmat, Hermæ librum de pastore in testimonium adducens, è quo non Christum modò, sed & tandem Apostolos vita functos, mortuis testimonium reddidisse cōfirmat. Quamobrè (inquit) prædicauit Dominus iis qui erant apud inferos. Et quidem scriptura asserit, Dixit infernus perditioni, Eius quidem speciem non vidimus, eius autem vocem audiuius. Quid enim? An non significant Dominum annuntiasse Euangelium & iis qui perierant in diluuiò, vel potius vincti fuerant, & his qui in præsidio continebantur, & custodia. Chrysostomus quoque hæc habet in Marcum: Christum præferimus Abrahamæ, Euangelium legi præferimus.

*Math. 27.* Legimus quòd post resurrectionem multi san-  
 ctorum apparuerunt in sancta ciuitate. Domi-  
 nus noster & saluator in terra prædicauit, &  
 apud inferos. Ideò mortuus est, ideò descendit  
 ad inferos, vt animæ quæ ibi vincæ fuerant,  
 laxarentur. Irenæus vero, Nunc ergo (inquit)  
*In fine lib. quinti.* tribus diebus conuersatus est vbi erant mor-  
 tui, quemadmodū Prophetia ait de eo: Com-  
 memoratus est Dominus sanctorum mortuo-  
 rum suorum, eorum qui antè dormierant in  
 terram stipulationis, & descendit ad eos ex-  
 trahere eos, & saluare eos. Tūc autem (ait Au-  
 gustinus) partim momordit infernum, pro par-  
 te eorum quos liberauit: partim reliquit, pro  
 parte eorum, qui pro principalibus crimini-  
 bus in tormentis remanserunt.

*Sermō. 1 in  
vigilia Pē-  
recosbes.*

*De Christi resurrectione. Vbi de consummata hominis  
iustificatione, figura Iona, Adami, Noë,  
prædictis loci, è quo resurrexit, tem-  
poris, & cæteris circum-  
stantiis.*



**V**i nucem edere voluerit, frāgat nu-  
 cleum: qui medullam ex arbore seli-  
 gere, tollat corticem: ita qui fructū  
 aliquē ex Christo decerpere cōten-  
 dit, non modò mortem eius & ignominiam  
 perpendat, sed & illam gloriam quam per re-  
 surrectionem cōsecutus est. Absit quidem no-  
 bis vt gloriemur nisi in cruce Domini nostri  
 Iesu Christi, vt monet Apostolus: ita tamen vt

illam simul gloriam attendamus, quam hic per  
 suam ipsius exinanitionē promeruit. Ea nimi- *Hominis ius-  
tificatione præ-  
signata in  
Christi re-  
surrectione.*  
 rum bona, quæ ex Christi morte & resurrectione  
 in nos diffluunt, sic inter sese cōnexa sunt, vt  
 nec vnum ab altero segregetur. Mortuus est e-  
 nim pro peccatis nostris, resurrexit autem pro-  
 pter iustificationem nostram. Nam qui perfe-  
 ctam & integram hominis iustificationem ex-  
 pendet, illam nō modò in peccatorū remissio-  
 ne constituet, sed & in aliis gratiam donis, quæ  
 nos gratos & acceptos Deo reddāt, & nostras  
 animas olim peccatis mortuas, per gratiam re-  
 diuiuas esse ipsis operibus testētur. Nam quòd  
 Paulus id Psaltis profert, Beati quorū remissæ  
 sunt iniquitates, & quorū tecta sunt peccata:  
 primam hominis iustificationē attēdit, quæ in  
 eo pēdet, vt à prioribus delictis purificetur: su-  
 perest autē & altera eius pars, qua homo pur-  
 gatus, iā secundū pietatē ambulet. Quid enim  
 est, quòd nonnulli susurrare audeant, nihil am-  
 plius ad iustitiā Christianam requiri, quàm vt  
 cuiusq; nostrū delicta eluantur? Ac si verò satis  
 sit aliquē à morte excitari, nec ea ratione exci-  
 tetur, vt opera vitæ exercent: satis fuerit &  
 Christo mori, nec alicuius rationis sit ipsius re-  
 surrectio. Siquidē nostrorū peccatorū remis-  
 sio, & spiritualis mortis depulsio, ad passionis  
 meritū refertur, lauit enim nos à peccatis no-  
 stris in sanguine suo, & in cruce nos veterē ho-  
 minē exuit: resurrexit autē per gloriā, vt nos in  
 nouitate vitæ ambulemus, inquit Paulus. Itaq;  
 quēadmodū cū aqua Iordanis ringeretur, Io. *Rom. 6.*

Lib. 3. De  
Symbol. ad  
catech.  
Cap. 6.

Psal. 24.

Psal. 50.

Ioan. 5.

Psal. 114.

Ephes. 5.

annem Baptistā monuit, vt sineret impleri omnē iustitiā, ita illā & sui sanguinis effusione, & mirabili resurrectione consummauit. Expoliatur quidē corpus carnis ad instar mortis illius, at verò nouū hominē, qui secūdū Deū creatus, induimur, ad instar eiusdem resurrectionis, qua carnē suam gloria immortalitatis donauit. Ea propter quòd Christus tertia die resurrexerit à mortuis, Augustinus mysticū sensum requirit, assignās tres dies pœnitentiæ, vt sit plena iustificatio in resurrectione. Primo enim die peccabatur in lege nature, cū posita esset lex ista, Quod tibi nolis fieri, alteri ne feceris: tūc autē vox pœnitentiæ erat, Delicta iuuetutis meæ, & ignoratias meas ne memineris Domine. Secūdo demū die sub lege, tāquā in adulta ætate, manifestato peccato delinquitur: tūc autē hæc lex posita est, Nō cōcupisces. Hæc autē vox est pœnitentiæ, Tibi soli peccaui, & malū corā te feci. Postremò per obstinationē peccatur, quasi in decrepita, quæ per tertiū diē designetur, ad quā summa gratia opus est: tūc autē lex illa auditur, Ecce sanus factus es, iā amplius noli peccare: vox autē pœnitentiæ est, Domine, libera animā meā à morte. Per ista tria tēpora, legis, naturæ & gratiæ: per tres etiā ætates, iuuetutē, virilē & decrepitā, velut per tres dies, resurgunt animæ cū Christo. Eam enim ob causam ad quēq; nostrū dicitur, Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus, & rursus, Si cōsurrexistis cū Christo, quæ sursum sunt sapite, quæ sursum sunt quærite, vbi Christus ad dex-

tramest Dei sedēs. Sed & apud Oseā in mysterio dicitur, sub persona eorū, qui cum Christo die tertia resurgentes reuocātur ad vitā, Sanabit eos post biduū, in die autem tertia resurgemus, & viuemus in conspectu eius. Nā si Christus mortuus est, & resurrexit, Deus quoq; eos qui dormierūt, simul adducet cū eo: in quo nimirum omnis nostra spes & secura expectatio recumbit. Hunc fidei articulum Paulus exprimit ad Corinthios scribens, his verbis, Tradidi vobis quod & accepi, quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris, & sepultus est, & resurrexit tertia die secundum scripturas. Nec quidem abs re scripturam testimonium adduxit: attendebat enim quā necessaria sit huius fidei confessio, cū in ea nostra resurrectio, imò & nostræ salutis consummatio fundetur. Nā (vt scribit Apostolus) si Christus nō resurrexit, vana est fides nostra, inanis est & prædicatio nostra. Ne quis ergo in tāti momēti articulo hæreat, ad scripturas vnusquisque remittitur, ac si illis dicatur, Scrutamini scripturas, in quibus speratis vos vitam habituros. At qui illam Christi resurrectionis gloriam Iudæi obscurare tentauerant, cū milites corruerunt, nec palām annuntiarent quod viderāt, cū ad eius sepulchrum excubias ducētes territi sunt, & redditi velut mortui. Ergo & cæteris argumentis & scripturis contra agendum est.

Ad maiorē autem emphasim, nō scripturam sed scripturas dixit Apostolus, quòd ad cōuincendam incredulitatem eorū qui resurrectio-

nem negabant, non vnica, sed plures scripturæ contenderent. Nam præter id quod Hoseas de duobus diebus, & tertio in quo resurgimus, dixit, Esaias etiã hoc habet: Qui educit de terra pastorẽ magnũ ouĩũ, vt ouibus iter pandat. Nã se & pastorẽ ouĩũ Christus dixit, & ille è terra eductus est, cùm tertia die resurrexit. Cùm vt Ionas in ventre Ceti tribus diebus & noctibus fuit, tertio verò demũ die hunc Cetus euomit, ille verò è ventre Ceti eductus est: ita quoq; Christus è corde terræ, ex inferni penetrabilibus diuina virtus eduxit, vt assumpto secũ corpore quod in sepulchro erat, victor & triumphator resurgeret. Nec quẽquã mouere debet rium dierũ & noctium spatium, quasi minus hoc in Christo obseruetur. Nam qui perspicacius rem gestã attenderit, nihil de Christi verbis decidisse fatebitur. Ait ille: Sicut Ionas fuit in ventre Ceti tribus diebus & tribus noctibus, sic erit & filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus. Itaq; si primũ tres dies requiras, illi quidem assignabuntur: dies Parasceues, qua hora nona expirauit, multo ante solis occasum: dies Sabbati, & Dominica, cuius matutino tẽpore resurrexit, statim enim atque expirauit, vt diximus, ad cor terræ descendit: ex quo efficitur, vt in corde terræ manserit, ab hora nona dici Parasceues, vsq; ad matutinum dominicæ sequentis. Atqui non dixit Christus tribus integris diebus se ibi mansurũ, sed solum tribus diebus, scilicet iuxta cõmunẽ loquẽdi modũ, quo extrema seu partes totius

Jon. 2.

Math. 12.

nomine designantur. Porro si quis tres noctes requirat, vnã miraculosam & diuinitus excitatam fateatur, qua dum Christus spiritũ redderet, & ad cor terræ descenderet, tenebræ factæ sunt super vniuersam terram. Duas tãdem alias noctes naturales prospiciet, quibus elapsis, superata morte, inferno, principibus tenebrarum, resurrexit. Hoc etiam Sibyllam prædixisse scribit Lactantius, cùm hæc eius carmina profert,

Καὶ θανάτῃ μοῖραν τελείῃ τρίτον ἡμᾶρ  
ὑπνῶσας,

Πρῶτος ἀναστάσεως κλητοῖς ἀρχὴν ἔσσο-  
δείξας.

*Finiet & mortis fatum tribus diebus dormiens*

*Primus demonstrans electis principium resurrectionis.*

Augustinus hanc resurrectionem in protoplas-  
to præfigurata ostendit: quia vt ille à somno  
surgens, Euam de latere suo fabricatam agno-  
uit, ita Christus à morte resurgens, ex vulnere  
lateris sui ædificauit Ecclesiam. Noë quoque  
Agricola cùm plantasset vineam, & inebriatus  
vino obdormisset, & discoopertus iaceret in  
tabernaculo suo, expergefactus à somno, filio  
suo verecundiam non celanti, maledictũ per-  
petuæ seruitutis imponens, Christum signifi-  
cavit, qui vineam suam fecit Ecclesiam, cuius  
amore poculo passionis inebriatus, & assum-  
ptæ carnis tegmine nudatus, à mortuis resur-  
rexit, sicut ipse ait in Canticis, Expoliaui me  
tunica mea, quomodo induar illa? Hanc resur-  
rectionis fidem habuit Abraham, vt testatur

Lib. 4. c. 19.

*Ser. 1. in 5.  
die Pasch.  
Resurrectio-  
nis figura.  
Figura Noë*

Cantic. 5.

Heb. 11. Apostolus. Fide enim obtulit Abraham, cum  
 Genes. 22. tentaretur, inquit: & vnigenitum offerebat, in  
 quo susceperat repromissiones, ad quem dictū  
 est, Quia in Isaac vocabitur tibi semen: arbi-  
 trans quia & à mortuis suscitare potens est  
 Deus, vnde & eum in parabolam accepit. Sed  
 & Iacob fide moriens, singulis filiis benedixit,  
 simulque resurrectionem Christi prædixit, his  
 Genes. 49. verbis: Catulus Leonis Iuda. Ad prædam fili  
 mi ascendisti, requiescens accubuisti vt leo, &  
 quasi leæna: quis suscitabit eum? Hoc sanè de  
 Christo, qui de tribu Iuda natus est. Hic ergo  
 mors Christi verbo dormitionis prædicta est  
 (inquit Augustinus) & non necessitas, sed po-  
 testas in morte, nomine leonis. De qua pote-  
 state ait, Potestatem habeo ponendi animam  
 meam, & iterum sumendi eam. sic Leo fremit,  
 sic quod dixit impleuit. Ad eam enim potesta-  
 tem pertinet, quod ait, Quis suscitabit eum?  
 Hoc est, quia nullus hominum, nisi se ipse su-  
 scitauit: qui etiam de corpore suo dixit, Solui-  
 te templum hoc, & in tribus diebus excitabo  
 illud. Ipsum autè genus mortis, hoc est, subli-  
 mitas crucis, in vno verbo intelligitur, quod  
 ait, Ascendisti. Quod verò addit, Recumbens  
 dormiisti, Euāgelista exponit, Et inclinato ca-  
 pite tradidit spiritum. Porro (vt scribit Grego-  
 rius Papa in septimum pœnitentialem Psal-  
 mum) quid dormiuit in morte, vigilauit in re-  
 surrectione. Ait enim apud Psalterem, Ego dor-  
 miui, & soporatus sum, & exurrexi. Quis enim  
 catulus leonis, nisi is de quo in Apocalypsi,

Lib. 16. de  
 ciuit. Dei.  
 cap. 41.  
 Ioan. 10.

Ioan. 2.

Gregorius  
 Papa.  
 Psal. 2.  
 Apoc. 5.

vicit leo de tribu Iuda? Ad prædam autè ascen-  
 dit, quia fortem armatū fortior superueniens,  
 expugnauit. Requiescens autem accubuit vt  
 leo (inquit Eucherius Lugdunensis) quia inde  
 mortuus est, vnde natus. Aiunt enim Physici,  
 quòd catulus leonis, cum fuerit natus, tribus  
 diebus dormit, & tribus noctibus. Tum dein-  
 de patris fremitu tremefactus cubilis locus,  
 excitat dormientem. Nam magnâ illâ Patris  
 potentiâ, non modò terra concussa est, sed &  
 Christus à mortuis excitatus est.

Cyrillus Hierosolymitanus multis, maximè  
 è Dauide, testimoniis Christi resurrectionem *Catech. 4.*  
 arguit, Dicit enim primùm in vndecimo Psal-  
 mo, Propter miseriam inopum, & gemitum *testimonia*  
 pauperum nunc exurgam, dicit Dominus. Sed *resurrectio-*  
 manet adhuc dubium apud quosdam, inquit: *nis è Psalt.*  
 sæpè enim & in iram exurgit ad vindictam de  
 inimicis sumendam. Veni ergò & in quintum-  
 decimum Psalmum apertè dicentem, Conser-  
 ua me, Domine, quoniam speraui in te. & post  
 hæc, Non congregabo cōuenticula eorum de  
 sanguinibus, nec memor ero nominum eorum  
 per labia mea. Quia me reiecerunt regem, &  
 optarunt sibi Cæsarem. Et post pauca, Vsq; ad  
 noctem increpuerūt me renes mei. Et tandem  
 manifestissimè ait, Quia non derelinques ani- *Psal. 15.*  
 mam meam in inferno, nec dabis Sanctū tuum  
 videre corruptionem. Non dixit, Non dabis  
 Sanctum videre mortem, alioquin non esset  
 mortuus: sed, corruptionem (inquit) non vide-  
 bo, & in morte non permanebo. Notas mihi

fecisti vias vitæ. Vide quòd apertè post mortem vita prædicatur. Veni & in vigesimum nonum Psalmum: Exaltabo te, Domine, quoniã suscepisti me, nec delectasti inimicos meos super me. Domine, eduxisti ab inferno animam meam. Illic dicit, Non derelinquas animam, Prophetico spiritu: hîc autem id quod futurum erat, tanquam factum iam fuisse, ad maiorem certitudinem asseruit. Quod eduxisti, saluasti me à descendentiibus. Quo tempore id esse debet? Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. Vesperè enim erat discipulorum luctus, & manè in die resurrectionis lætitia. Accipe quoque testimonium ex octogesimo septimo Psalmo, Christo loquente per Prophetas, ipse enim qui tum loquebatur, deinceps aduenit. Domine Deus salutis meæ, in die clamaui, & nocte coram te. Et post pauca, Et factus sum sicut homo sine adiutorio, inter mortuos liber. Non dixit, Sine adiutorio, sed, Sicut sine adiutorio. Etenim crucifixus est, non ex infirmitate, quasi id euadere non posset, sed voluntate. Æstimatus sum cum descendentiibus in lacum. Et quod huius signum? Longè fecisti notos meos à me: fugerunt enim discipuli. Nunquid mortuis facies mirabilia? Deinde post pauca, Et ego ad te Domine clamaui, & manè oratio mea præueniet te. Cernis quomodo manifestant & tempus, & horam passionis, & resurrectionis? Vis & de hoc audire locū? Dicit in Canticis: In hortum meum descēdi. Hortus enim erat, vbi cru-

*Fuga discipulorum.*

*Hortus.*

cifixus est: hortus conclusus fons signatus à Iudæis dicentibus, Recordati sumus, quòd seductor ille dixit, cum adhuc viueret, Post tres dies resurgam. Iube igitur custodiri sepulchrū. Ac deinde, Obsignantes lapidem custodiã adhibuerūt: Quis est enim fons signatus, aut puteus aquarum viuērium? Ipse vtique saluator, de quo scriptum est, Quoniam apud te est fons vitæ. qui & ait, Si quis sitit, veniat ad me, & bibat de aqua vitę gratis. Fontem illum obstruere lapide conati sunt Iudæi, & signare voluerunt, ne cui liberum esset ex eo haurire. Verum sicut aquæ viuę facile retineri non possunt, quin fluant: sic neque lapide signato, aut militum custodia, Christi resurrectio impediri nõ potuit. Audis itaque & locum, & lapidem sepulchri. Sed & in sequentibus dicitur, Surge, propera amica mea, in foraminibus petræ, in cauerna maceræ. Foramen autem petræ vocat id, quod tunc ante ostium monumenti saluatoris erat foramen in eadem petra excisum. Tempus etiam vernale exprimit, quo hæc facta sunt, cum ait: Hyems transiit, imber abiit & recessit, flores apparuerunt in terra, tempus putationis aduenit. Hoc tempus est creationis mundi, quo Deus dixit, Producat terra herbam virentem, & facientem semen, secundum genus suum. Hoc etiam est tempus reparationis, per mortem & resurrectionem Christi. Tunc enim homo inobediens è paradiso eiectus est: nunc obediens Christus in paradisum nos introduxit. Quin & vnguenta, quibus cor-

pus Christi conditum fuit, quæ & fideles animæ ad sepulchrum attulerunt, cum dicitur: Messui myrrham meam cum aromatibus meis. Sic Cyrillus ab omnibus circumstantiis, secundum scripturas Christum resurrexisse docet, cum ille exprimat resurrectionem, illius diem, tempus, horam, locum, custodiam, aromata, lætitiã.

*Resurrectio  
verbis Christi  
confirmatur.*

Sed & illam multis argumētis Christus confirmavit: modò quæ è natura ducerentur, vt cum ait, Nunc venit hora vt clarificetur Filius hominis: Nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Nunc quæ ex similibus. Nam qui alios mortuos excitauit propria & immensa virtute, nõne & semetipsum excitare poterit? At verò non eos modò qui animam agebant, inegræ sanitati restituit, puerum Centurionis, & filium Reguli: sed & mortuos suscitauit, puellam Archifynagogi filiam domi, filium viduæ in via, Lazarum in monumento positum, cum iam etiam quatruiduanus esset. Cum verò mirabilia hæc in illis operaretur, imperio utebatur, dicens, Adolescens, tibi dico surge: & Lazare, veni foras: statimque effectus securus est. Nam & adolescens resedit, & loqui cœpit, & prodiit Lazarus ligatus manus & pedes, facie etiam sudario inuoluta. tantæ maiestatis erant verba illius: Quomodo ergo, non quando vellet, seipsum à morte suscitaret? Eos scilicet attendamus, qui Christi typum gesserunt. Io-

*Ioseph.*

seph carceris quo inclusus est, claues habuit, vt quando vellet, ex illo prodiret. Tandem verò magno cum triumpho & applausu eductus, & Ægyptia lingua Saluator proclamatus est. Hoc si in Christo requiras, inuenies illum sepulchro velut carceri conditum: adhibitos etiã custodes. Nihilominus tamen quòd quando vellet, prodire posset, tertia demum die, magno cum trophæo gloriosus emerfit, non sine pia patrum illorum qui educebantur confessione, quod non Ægypti vnus, sed vniuersi mundi saluator esset. Samsonem verò Philistæi abstrusis ianuis Gazæ vrbis captiuum retinere sperabant: cum etiam circumderant, in porta ciuitatis custodes posuerant, & ibi tota nocte cum silentio præstolabantur ne sanus & incolumis egrederetur. Ad instar enim eorum & Iudæi & milites Christum sepulchro detinebant, excubias ducebant, sepulchrum obstruxerant, ne ille superata omni infirmitate potentior emergeret. Quid verò tandem? Iam medium noctis elapsum erat, cum Samson è lectulo confurgens, apprehendit ambas portæ fores cum postibus suis & fera, impositasque humeris suis portauit ad verticem montis, qui respicit Hebron. sic aduersariorum suorum omnes conatus delusit. Hoc in Christo mihi prospice. Quantus terror milites illos inuasit, qui sepulchrum custodiebãt? Quid lapis reuolutus Christi resurrectioni obstitit? quid demum illa lapidis obsignatio? Egressus est Christus, & tandem ne quis adhuc

*Genes. 37.*

*Samson.  
Iud. 16.*



Christū cum mortuis quæreret, Angelus Domini de cælo accedens, reuoluit lapidem, & sedit super eum. Consideremus etiam Daniel. 14. Hunc in lacum leonum mitti coegerant Babylonij sacerdotes. Balthasar autem Rex ad lacum venerat, vt mortuum quem summè dilexerat, lugeret: cū ecce inter leones viuum illum esse conspexit, & lætatus est. Et hæc quidem in figura contingebāt. Christum nostrum in lacum corruptionis mittendum, & ibi detinendum procurarant Iudæi, cū ecce tandem viuus emerit, superata etiam infernorum leonum potentia. Ex quo efficitur, vt lætemur multo magis quàm mulier, quæ dragmā quam perdiderat reperit, & pastor qui erraticam ouem collegit. Porro ex transfigurationis suæ argumento docuerat, quoniam oportet mortale hoc induere immortalitatem. Tum enim facta est facies eius velut sol fulgida, & vestimenta eius sicut nix. Cæterum ne cui relinqueretur ambigendi locus, post resurrectionem suam in multis argumentis Apostolis apparuit, & eos de regno Dei docuit, & seipsum illis contrectandum & videndum porrigens, ostendens & manus, & latus: coram illis manducans: vt & qui prius increduli fuerant, tandem agnoscerent, quòd verè tertia die resurrexit à mortuis secundum scripturas. Nec verò quenquam moueat, quòd Pater Christum suscitasse legitur, cū Apostolus etiam dicat: Quòd si spiritus eius qui suscitauit Iesum à mortuis, habitat in vobis, qui suscitauit Iesum à mor-

à mortuis, suscitabit & mortalia corpora vestra. Nā & ipse, semetipsum suscitauit, vt Deus, & Pater, & Spiritus sanctus illum suscitasse dicuntur nimirum cū vnus Deus sint, vnica potentia & maiestas. Et in alium quidem finem ipse & alij suscitati sunt. Nām & Lazarus & alij sic excitati sunt, vt tamen in terræ puluerem redirent: Christus verò resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur. quòd enim mortuus est peccato, mortuus est semel: quòd autem viuit, viuit Deo.

*De Christi in cælos gloriosa ascensione: ubi de loco, vnde, & modo, & virtute qua ascenderit, de cælis pluribus, & vt ipsos penetraverit, & cur naturam humanam in cælum eleuarit.*



Quando iustè suos Imperatores insigni aliqua exacta victoria, magnis etiam erectis spoliis, Romani curru aureo in Capitolium duxerunt, dignissimum vtiq; fuit, vt acerbissimo mortis conflictu superatis tenebrarum principibus Christum triumphantem, etiam quod ipso cælo dignius esset, reciperet. Quid enim aliud ille à primis corporalis vitæ initiis, ad vsq; mortem crucis egit, quàm vt diuini cultus, ipsius etiam electæ creaturæ aduersarios prosterneret? De eius passione &

morte diximus, qua celeberrimam omnibus seculis victoriam reportarit, cum & infernum spoliarit, & tertia die è monumento gloriosus surrexerit. Iam quantam gloriam sua hac humilitate, quantam soliditatem turbulentæ passionis commotione, quantam quietem pro tor exantlatis laboribus assecutus sit, sexto nostri Symboli articulo exprimimus. Profitemur enim, quòd *Ascendit in cælum, sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis*. Est autem tam necessarius hic fidei articulus, ut ad eius confirmationem Ecclesia singulare festum quotannis observauerit. Huic etiam cõfirmando sic immorantur Euangelistæ, ut & Christum ascensionem suam prædixisse, & quando, ubi, quibus etiam præsentibus id contigerit, explicet. Nec quidem abs re. Laudanda est scilicet ducis fortitudo, sed cum trophæum crexerit: nautæ felicitas, sed cum peruenerit ad portum: medici denique industria, sed cum sanitatem contulerit. Sæpissimè quidem & discipulis, & turbis ascensum suum expresserat: ut cum in Capernaum mota quæstione contra carnis suæ manducationem ait, Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis filium hominis ascendentem ubi erat prius? Et cum Iudæis diceret, Ego vado, & queretis me: & ubi ego sum, vos non potestis venire. Et cum suos moneret his verbis, Vado ad eum qui misit me, & expedit vobis ut ego vadam: si enim non abiero, paracletus non veniet ad vos. Ergo quod ille prædixerat, quadragésimo die tandem post resurrectionem adim-

*Prædictio  
ascensionis.*

*Ioan. 6.*

*Ioan. 8.*

pleuit. Eius rei figuræ præcesserant, promulgata fuerant à Prophetis oracula: testes etiam & Angeli & homines complures additi sunt, qui tam illustri ascensioni adfuerunt. Eo enim tempore, quo natura duce quisque in pietatem ferebatur, Enoch non apparuisse legitur, quia eum Dominus tulerat, & è terra assumpserat: data verò lege, cum iam impietas sub Israëlitis regibus increbresceret, ascendit Helias per turbinem in cælum, & curru igneo euectus est. Illi quidem ferebantur (inquit Cyrillus) hic autem cum ferat omnia, quid difficile de eius ascensione creditur? Enoch translatus est, sed Iesus ascendit: Helias curru igneo assumptus est, Christi autem currus variè multiplicatus, myriadibus benedictium. Currus Dei multiplex, millia lætantium. Et quòd Helias quidem ad orientem Iordanis, Christus autem ad orientem torrentis arborum ascendit. Et quòd ille quidem ascendens, duplicem spiritum in discipulo cõfirmavit: Christus autem tantum exhibuit discipulis gratiæ Spiritus sancti abundantiam, ut non modò Spiritum sanctum in seipsis haberent, sed & per manuum impositionem, participationem ipsius credentibus traderet. Huic testimonium reddiderunt Prophetæ. Amos quidem, Deum, cui nomen est tetragrammaton, eum esse dicit, Qui ædificat in cælo ascensiones suas, & fasciculum suum super terram fundavit, qui vocat aquas maris, & effundit eas super faciem terræ. Cyprianus hæc ex Psalte producit, Ascendit super Cherubin,

*Enoch.  
Genes. 5.*

*4. Reg. 2.  
Cyrill. Hierosol. catech. 14.*

*Amos. 6.*

*Cyprianus.  
Psal. 45.*

& volauit super pennas ventorum. Ascendit Deus in iubilo, & Dominus in voce tubæ. Hic enim David Christi regnum expressit, quod omnem principatum & potestatem superet. Nec enim Cherub aut Seraphilli gloriæ conferendi sunt, quam ipse nunc assecutus est.

*Comitatus.* Quod autem in alio Psalmo cursum Dei nuncupat, corpus Christi intellexit, quod etiam comitantibus Angelis in cælum sublatum est. Ibi millia lætantium Angelorum, cum ascendit in altum, captiuam duxit captiuitatem, & accepit dona in hominibus. quod de Christo intelligendum esse, perspicue confirmat Paulus. Zacharias etiam locum, è quo ascensus erat, annotauit. Stabunt (inquit) pedes eius in die illa super montem oliuarum, qui est contra Hierusalem ad Orientem, & scindetur mons oliuarum ex media parte sui ad Orientem & Occidentem. Ex illo enim monte Christus sublatus est: regressi verò discipuli, qui tum montem illum replebant, per Orientem & Occidentem accepto Spiritu sancto, dispersi sunt. Ex quo effectum est, ut figuratè in has partes discindendum hunc montem Propheta prædixerit. Sed & apud noui Testamenti testes, expressum hunc fidei articulum audiemus. sub eisdem enim ferè verbis Christus, Ascendo (inquit) ad patrem meum. Hoc scribit Ioannes: Marcus verò, Eleuatus est in cælum, inquit: Lucas, ferebatur in cælum. Paulus verò hæc ait, Habemus pontificem, qui penetrauit cælos, Iesum Christum. Sed & Marcus & Lu-

cas totius historiæ seriem diligentissimè conscripserunt, quòd post resurrectionè per quadraginta dies discipulis apparuerit, & multis argumentis rediuuium se ostenderit: Quadragésimo demum die conuescens præceperit ab Hierosolymis ne discederent, sed promissum Spiritum sanctum expectarent, ut & inde in vniuersum orbem prædicaturi proficiscerentur: Eos verò tandem in Bethaniam ad montem oliuarum eduxerit, vbi & sublatis manibus eis benedixit: inde verò videntibus ipsis, in altum ab oculis eorum nube lucida subductus sit. Porro ne quid hæsitati reliquum esset, intentis in cælum discipulis, duo Angeli amicti stolis albis adstitisse narrantur, qui redituum ipsum in ea forma testati sunt, in qua ascendentem conspexerant. Hoc in multorum conspectu factum esse Paulus scribit, cum Christum visum esse dicit plusquam quingentis fratribus simul: quod utique de ipsa ascensionis die facillè intelligitur.

Cæterum non ascendit cum eo superbia, *Serm. 1. in non aliquod vitium (inquit Augustinus). Li. Vigil. Pen-*  
*cet enim apud Psaltem legatur, Peccatum e-*  
*rum qui te oderunt, ascendit semper: sic tamen*  
*intelligi oportet, quod ascendit per temerita-*  
*tem & opinionem, sed præcipitatur per iudi-*  
*cium. Sic enim deiectus est Sathan, accusator*  
*fratrum nostrorum, qui dixerat, Ascendā super*  
*astra cæli, & similis ero altissimo. Sic & olim*  
*Salmonem fulgur Iouis imitari volentem, ve-*  
*rum fulgur collisit, & equis è pōte distractum*

in cinerem redegit. Sic & Egesippus Simonem collisum scribit, ut qui à suis dæmonibus sublatus, ascensurum se in cælum ostentaret. Sic præcipitata est Babylon, sic meretrix & draco: sic omnem extollentem se Deus deiicit. Non enim hac via itur in cælum: sed deponit Deus potentes de sede, & exaltrat humiles.

*Phil. 2.*  
*Humilitas Christi maxima.*  
*Cyrillus. Act. 2.*  
Paulus itaque Christi exaltationem ab humilitate auspiciatur, cum ait, Exinaniuit semetipsum, factus patri obediens vsque ad mortem: idè Deus exaltauit illum. Et quidem tanto maiorem omnibus gloriam assecutus est, quanto magis omnibus se humiliauerat. Tanto verò maior humilitas creditur, quanto non homo, sed Deus seipsum abiecerat, ut in assumpta natura turpissimam, & crudelissimam mortem subiret. Vnde non modò in cælum ascendisse, sed & ipsos cælos penetrasse dicitur. Si enim Helias vsque ad cælum peruenit, Paulus verò vsque ad tertium cælum raptus est, num excellentiore gloriæ priuilegio Christum donatum esse fatebimur? Nec enim sic intelligendum est, quòd in cælum ascenderit, quasi in primo cælo quieuerit, sed in cælū, locum nimirum cælestem, licet à prima sphæra longè distitum, assumptus sit. Dixerunt quidem Angeli discipulis, quòd viderint euntem in cælum: Ex quo effectum est, ut nonnulli vnicum cælū somniarint. Nam si quòd esset sublimius, aiunt, in illud ascendisset Christus: quasi verò nec supremum cælū intelligi possit, cum Christum in cælū ascendisse profiteamur. Nec enim

hic articulus cælum primum aut secundum definit, sed emphaticè per cælum supremam illam beatorum sedem designat. Sic vulgatissimum est, Theologi nomine Ioannem, Apostoli Paulum intelligere, non minus quàm si quis per Philosophum, Aristotelem, & per Oratorem, Ciceronem designauerit. *An plures sint cæli, et in quem Christus ascendit.*

Porro plures esse cælos, non modò ex Philosophorum, decretis, sed & ipsis scripturis dicimus. Nam & Moses, Audite (inquit) cæli quæ loquor. Et Salomon, Si enim cæli cælorum capere te non possunt. Et Dauid, Laudate Dominum de cælis, laudate eum in excelsis. Laudate eum cæli cælorum, & aquæ quæ super cælos sunt, laudent nomen Domini. Ezechiel, Aperti sunt cæli (inquit) & vidi.

Quinetiam Ioanni Baptistæ, cum Christus baptisaretur, & Stephano, cum lapidaretur, aperti sunt cæli. Paulus etiam se ad tertium cælum raptum narrat: & Psalter Christi ascensionem describens, ait, Ascendit super cælum cæli ad Orientem. Est igitur cælum cæli (inquit Damascenus) primum cælum supra firmamentum collocatum. Ecce duo cæli. Nam & firmamentum vocauit Deus cælum. Sed & diuina scriptura aërem cælum vocat, ab eo quod sursum est videri: ut cum ait, Benedicite omnes volucres cæli, aërem intellexit: nam aër volatiliū iter est, & non cælum. Quinetiam sol, luna, cæteraque sidera suum cælum sortiuntur, & ea ratione tanquam cælorum partes, vel ornamenta describuntur.

*2. Cor. 12.*

*Damascen. Lib. 2. de fide orthodox. cap. 6. Daniel. 3. Psal. 8. 104.*

in Genesi, Deuteronomio & Iob. Sed & cœli  
*Genes. 1.* nomen. Hebræi plurali numero enuntiāt Scha-  
*Deuter. 17.* maim. Neque tamen aut cum Basilide 365. aut  
*Iob. 33.* cum Bonosianis & Gnosticis magnus cœlorū  
*Epiph. in* numerus effingendus est (vt scribit Epipha-  
*hæres. 24.* nius) sed ita pensandæ sunt scripturæ, vt neque  
*16. & 33.* tertium cœlum negemus. In supremum itaque  
 Christus ascendit, in quo & Deum habitare  
 dicimus, non quòd aliquo loco circumscriba-  
 tur, sed hîc magis illius gloria & maiestas elu-  
 cescat. sic enim Psaltes, *Qui habitat in cœlis,*  
*irridebit eos.* Et Christus nos orare docuit, Pa-  
 ter noster qui es in cœlis. Sed & Paulus inde  
 Christum venturum scribit. Nostra (inquit)  
 conuersatio in cœlis est, vnde & Saluatorem  
 expectamus.

Verùm quomodo Christus ascendit? An vt  
 Deus, cùm etiam in cœlo esset, in sinu patris,  
 & repletet omnia? Si quidem (vt scribit Vi-  
 giliius) Verbum Dei, virtus & sapientia Dei,  
 semper apud patrem & in patre fuit, etiam  
 quãdo in nobis & nobiscum fuit. Neque enim  
 cùm terrena misericorditer incoluit, de cœle-  
 sti habitatione recessit. Cum patre enim vbiq;  
 est totus pari diuinitate, quem nullus continet  
 locus. Plena sunt enim omnia filio, nec est ali-  
 quis locus, diuinitatis eius præsentia vacuus.  
 Quomodo ergo in cœlū & ad patrem ascēdit,  
 qui neq; à cœlo, neq; à patre vnquam recessit?  
 Itaq; (vt resoluit Augustinus) sicut secundum  
 hominē in terra erat, non in cœlo vbi nunc est,  
 quando dicebat, Nemo ascendit in cœlum, nisi

*Lib. 1. cōtra  
Eutychem.*

*In epist. ad  
Dardanū.*

qui de cœlo descendit, filius hominis qui est in  
 cœlo: quamuis secundum id quòd filius Dei  
 erat, esset in cœlo: secundum id verò quòd fi-  
 lius hominis erat, adhuc esset in terra, nō dum-  
 quæ ascendisset in cœlum: Ita ascendisse dici-  
 tur in ratione humanæ naturæ, quam in cœ-  
 lum eleuauit. Nam (vt idem Augustinus alibi) *Tract. 78.*  
 hoc fuit ire ad Deum, & recedere à nobis mu-  
 rare atque immortale facere quod mortale su-  
 scipit ex nobis: & leuare in cœlum, per quod  
 fuit in terra pro nobis.

Porro mirum hoc erat, si nostræ naturæ con-  
 ditionem spectes, quòd caro terra, grauis, &  
 prius mortalis sursum ascenderet. Ea pro-  
 pter (inquit Cyrillus seu mauius Ruffinus in  
 Symboli expositione) quia nouus iste ingres-  
 sus portarum cœli ædituis, & principibus vi-  
 debatur, videntes naturam carnis secreta cœ-  
 lorum penetrantem, dixerūt ad inuicem, sicut  
 Dauid plenus Spiritu sancto denuntiat, dicēs,  
 Tollite portas principes vestras, & eleuamini  
 portę æternales, & introibit rex gloriæ. Hoc  
 tamen creditu difficile non erit, si Christo in-  
 habitantem diuinitatē attendamus. Nec enim  
 sua virtute, sed diuinitatis, caro in altum effe-  
 rebatur. Ex quo efficitur, vt hæc de Christo *Qua virtu-*  
 verè dicantur, sed diuersis rationibus: quòd as- *te assumpt.*  
 sumptus sit, & eleuatus in cœlum, quòd tamen *est Christus*  
 ascenderit. Assumptus & elatus est, non pro-  
 pria humanitatis virtute: ascendit autem ma-  
 gna illa potestate, quam vt Deus, ab æterno  
 habet cum patre, qua tam facilè carnem suam,

cui hypostaticè vnitus erat, eleuauit, vt si quid proprio, & non violento motu sursum ascendat. Lapis sursum ferri potest, sed ab extrinseco vim inferente. At verò licet non eadem sit diuinitatis & humanitatis natura, non tamen extrinseca erat in Christo illa maiestas, cum ei semper & in personæ vnitate adhæserit. Quid si ignis ferri naturam quodammodò demutat, vt vrat, & candeat? Feruntur aues in altum, quæ tamen ex aquis sumptæ sunt: id autem ex innata quadam vi, plumis & alis. Quid non magis diuinitas Christo præstiterit, quam alæ & plumæ auibus? Nubes etiam leuitate sua in mediâ aëris regionem feruntur, & oleum sub aquis etiam positum statim supernatat, quòd ad aëris & ignis naturam magis accedat. Iam cum illa sublimiorum elemètorum participatio, res etiam è terra procreatas, & subtiliores & leuiiores reddat, quid non poterit diuinitas in Christi carne, cum nec participatio maior esse possit eâ, quæ diuinitatis in ipso est? si quidem complacuit Deo in ipso omnem plenitudinem diuinitatis inhabitare corporaliter. Cyrillus Hierosolymitanus iis qui ascensioni Christi contradicunt, reuocari monet in memoriam, ea quæ de translatione Abacuk dicta sunt. Si enim ille translatus est, coma capitis portatus, quanto magis Prophetarum & Angelorum Dominus de monte Oliuarum in cælum propria virtute ascendere potuit? Sed & Magnes ferrum, quamuis grauissimum, ad se rapit: quid miramur diuinitatis virtute humanam naturam in

*Abacuk.*

*Magnes.*

supremum cælum elatam? Hoc etiam sanctorum corporibus ab inhabitante spiritu conferretur, vt scribit Paulus. Si enim credimus (inquit) quòd Iesus mortuus est, & resurrexit, & eos qui dormierunt per Iesum, adducet cum eo. Hoc enim dicimus in verbo Domini, quòd nos qui viuimus, qui relinquimur, simul rapimur cum illis obuiam Christo in aëra, & sic semper cum Domino erimus. Sed & de duobus testibus in Apocalypsi legitur, quòd cum per tres dies & dimidium occisa eorum corpora super terram iacuerint, his elapsis spiritus vitæ donabuntur, & stabunt super pedes suos. Et audient vocem de cælo dicentem, Ascendite huc. Et ascendent in cælum in nube, & videbunt illos inimici eorum.

*1. Thes. 3.*

*Cap. 4.*

*Enoch, &*

*Helias.*

*Apoc. 11.*

*Christus pe-*

*netrauit cæ-*

*los.*

*Heb. 6.*

Neque verò tantum erat mirabile, Christum in proprio corpore videre in cælum ascendentem, sed & quòd cælos penetrarit, Vt scribit Paulus. Nec enim ei cælos aperiri oportuit, vt supremum scanderet, cum ex virginis vtero egressus sit, non violato pudicitæ sigillo: & resurgens, non reuoluto lapide è monumento prodierit: sed & ad discipulos domi omni ex parte còclusos ingressus sit, ianuis etiam clausis, vt testatur Ioannes. Obserata erant ei omnia (inquit Hilarius) & tamen in glorioso corpore discipulis apparuit: quos etiam de corporis veritate hæsitantes, confirmauit dicens, Palpate, & videte, quia spiritus carnem & ossa nõ habet, sicut me videtis habere. Quid autem Deo impossibile est? Impossibile quidem est

hominibus camelum per foramen acus trāsi-  
re: sed & hoc Deo possibile est, vt asseruit Chri-  
stus. Potuit ille ianuis clausis ingredi: quomo-  
do non potuit cœlos penetrare, & non apertis  
primis sphaeris in supremum cœlum ascende-  
re?

1. *Ioan. 20.* Porro suam carnem in cœlum euexit, ne quis  
amplius mortalem illum requirat, & huma-  
nam eius naturam ad carnales cogitationes de-  
flectat. Sic enim Magdalenam corripuit, quæ  
carnali quodam affectu eius pedes post resur-  
rectionem amplecti volebat: Noli me tangere,  
nondum enim ascēdi ad patrem meum. Nunc  
enim illum triumphatorem, regem regum, &  
2. *August. in  
epist. Ioan.* Dominum dominantium agnoscere debemus.  
Sed & reges nobiliorem urbem suæ ditionis  
seligunt, in qua frequentius morentur. Nobi-  
lius autem est cœlum, nobilior & Ecclesia  
triumphans, nobilior beatorum congregatio.  
In cœlum itaque suam carnem extulit, vt se ca-  
put super omnē Ecclesiam doceret. Addit &  
Petrus Chrysologus, illum ascendisse in cœ-  
lum, vt per ipsum eleuaremur, & in cœlesti-  
bus essemus, qui eramus lubrici, ac semper nu-  
tabundi in terra.

*Serm. 57.*  
Hac autem ascensione quàm liber omnes in-  
*Petr. Chry-  
sol. ser. 61.* fidias, & furias aduersariorū superarit, docet:  
cū calcata morte, liberato mundo, superato  
diabolo, super cœlos triumpharit, qui victus  
putabatur in terris. Euehit etiam nos ad spiri-  
tuale & æternum regnum, quod iam adeptus  
5. est, ne velut Iudæi, carnale & mundanum eius

imperium somnietur, licet omnibus & quæ  
in cœlo, & in terra sunt, dominetur. Nos quo-  
que à terrenis affectibus ad cœlestem & spiri-  
tualem conuersationem prouocat, vt quæ sur-  
sum sunt quæramus, quæ sursum sunt sapia-  
mus, vbi Christus ad dextram est Dei sedens.  
Nec enim in terrena diffluere licet, & caducis  
his hærere, qui cœlestem patriam contemplā-  
tur. Sed omnia præterit, & negligit, qui iter fa-  
cit, vt ad lōgè distantem regionem perueniat.  
Atqui non habemus hîc ciuitatem permanen-  
tem, sed futuram inquirimus. Nimirum quæ  
sursum est Hierusalem, mater nostra est. Hanc  
sibi despondit Christus. In cœlum itaque nos  
inuitat, nobis pandens hoc iter: vt qui compa-  
timur, simul etiam cum ipso in æterna illa fœ-  
licitate regnemus.

*De Christi sessione ad dexteram patris: quid dextra,  
quid sedere, & secundum quid Christus  
exaltatus sit, neque tamen natura car-  
nis eius ubique sit.*



VI fidele obsequium terrenis Regi-  
bus exhibent, magnis honoribus  
donari solent. Sic enim Iosephum  
Pharao extulit, & Ægypti saluato-  
rem proclamari iussit. Tulit etiam annulum  
de manu sua, & dedit in manu eius, vestiuit que  
eum stola byssina, & collo torquem auream  
circumposuit: fecit que eum ascendere super  
currum suum, clamāte præcone, vt omnes co-  
*Genes. 4.*

ram eo genu flecterent, & præpositum esse sci-  
rent vniuersæ terræ Ægypti. Hunc hominem  
non tam pro regij somnij interpretatione Io-  
seph affecutus est, quàm vt in se nostri Messia  
typum exprimeret. Hic enim ex inferni carce-  
re, ex sepulchro & vmbra mortis, cui propter  
adulteræ synagogæ imposturas addictus fue-  
rat, magna virtute prodiēs, magna & regia ma-  
iestate donatus est, cùm in cælum elatus, sedit  
ad dextrā Dei patris omnipotentis. Aman qui-  
dem ab Assuero interrogatus, quid fieri debeat  
viro, quem Rex honorare desiderat, respon-  
disse fertur, Indui illum oportere vestibus re-  
giis, & imponi super equum qui de sella Regis  
est, & accipere regiū diadema super caput suū:  
& primum de regis Principibus ac tyrānis il-  
lius equum tenere, & per plateam ciuitatis de-  
ducere debere. Itaq; pater ille omnipotēs cùm  
præ cæteris filium suum honorare vellet, hunc  
sibi assidere voluit: & dedit illi nomē quod est  
super omne nomen, vt in nomine Iesu omne  
genu flectatur cœlestium, terrestrium & infer-  
norum. Non quidē stola corruptionis, sed im-  
mortalitatis indutus est: non diadema aliquod  
materiale, sed æternum & immensum accepit:  
nō in equestri sella regia, sed in dextera Dei pa-  
tris sedet. Nam cùm electorum omnium caput  
esset, supremam etiam sedem adeptus est. De  
electis quidem dixerat, Honorificabit eos pa-  
ter meus, & faciet illos discumbere, & trāsies,  
ministrabit illis. Et rursus de Apostolis. Sede-  
bitis super sedes duodecim, iudicantes duode-

*Hester. 6.**Mardocheus*

cim tribus Israël. Sed & Psaltes sedem beatorū  
exprimit, dicēs, Vt sedeat cum Principibus, &  
solum glorię teneat. De stercore erigit paupe-  
rem, vt collocet eum cum Principibus, cum  
Principibus populi sui. At verò de sede filij ait,  
Sedes tua Deus in seculū seculi, virga directio-  
nis, virga regni tui. Et rursus, Dixit Dominus  
Domino mea, Sede à dextris meis, donec po-  
nam inimicos tuos scabellum pedum meorum  
Itaq; omniū dignissima & suprema sede dona-  
tus est, qui omniū supremus est, omniū Rex &  
dominator. Hanc gloriam agnoscimus hoc fi-  
dei symbolo, Sedet ad dexteram Dei patris o-  
mnipotentis, quod quidem è scripturis depro-  
mitur. Marcus quidem sic habet, Sedet à dex-  
tris Dei: Paulus, Sedere fecit eum (inquit) ad  
dexteram suam in cœlestibus. Et rursus, Con-  
sedit in dextera maiestatis eius in excelsis, tan-  
to melior Angelis effectus, quanto differen-  
tius præ illis nomen hæreditauit. Petrus vero,  
Per resurrectionem Iesu Christi (ait) qui est ad  
dexteram Dei. Stephanus verò dum lapida-  
retur, Video cœlos apertos (inquit) & Iesum  
stantem à dextris virtutis Dei. Cœterum (vt  
docet Athanasius) cùm audis dextram Dei,  
ne locos, vel figurarum positiones circum-  
scribe. Dextrum enim & sinistrum sunt finito-  
rum quę describi possunt. Deus autem increa-  
tus est & infinitus, cui nulla ascribi forma, &  
qui nec ipse circumscribi queat. Ergo per dex-  
tram Dei, maiestatē illius & gloriam intellige.

*Ephe. 1.**Hebr. 1.**1. Petr. 3.**Act. 7.**quest. 78. ad**Antiochię**Principem.**Dextra Dei**quid.**Sermo. de**Symbolo.*



*Serm. de symbolo.* Quod sedet (inquit Maximus) victoris munus: ad dextram patris sedet, diuinitatis est priuilegium, & indiscretæ consortium charitatis. Et benè ad dexteram patris annuntiatur sedere, in quo nihil voluntatis suæ diabolus, qui totus est sinister, inuenit. Nā (vt doctè Petrus Chrysologus) confessio nostra non diuini confessus loca, sed virtutis assignat indicia. Deus loca nescit, diuinitas nihil sinistrum recipit. Sed & sic sedet à dextris filius, vt pater non sedeat à sinistris. Vnica & singularis est diuina confessio, vbi superna virtus nihil sinistrū habet. Vt enim more regio sedere, regnare est & imperare: sic & regnū Christi & imperium per sedem, & per dextram Dei illius omnipotentia intelligitur. Sic enim apud Psalterem legimus, Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me, dextera Domini fecit virtutem. Dextera itaque immensa illa Dei virtus est. Hoc etiam Ioannes Damascenus sic explicat, quod dextera patris sit gloria & honorificentia deitatis, in qua Dei filius ante secula existens, vt Deus, & patri consubstantialis, in nouissimis temporibus incarnatus, nunc corporaliter sedet, conglorificata carne eius. Adoratur enim cum sua carne ab omni creatura. Augustinus verò, Ipsam (inquit) dextram intelligite iudicandi potestatem, quā accepit homo ille susceptus à Deo, vt veniat iudicaturus, qui prius venerat iudicandus. Ad hoc enim ascendit in cælum, vt fides suū impleat locum. Hoc in Dauid. Ait enim, Congregatio populorum

lorū circūdabit te. Dominus iudicat populos. Et propter hāc in altum regredere. Prius enim cū in cruce penderet, à populo circundabatur, & deridebatur: & propter hanc congregationem, quæ illi contumeliosè improperabat, in altū regressus est. Idè enim Deus exaltauit illum (inquit Paulus). Quin & congregatio populi sequebatur eum ascendentem, testimonium quidè perhibens, quod hic velut Dominus, populos iudicaturus esset. Hæc ergo gloria, authoritas & maiestas, qua omne iudicium dedit pater filio, & omnia dedit ei in manus, dextera Dei dicitur. Idcirco Paulus pro eo quod eum in dextera patris, ille in gloria Dei patris esse asserit. Hanc autem significabat Christus, cū post resurrectionem diceret, Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Et Psalter, cū hæc de filio prædixit: Dixit Dominus ad me, Filius meus es tu: ego hodie genui te. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionē tuam, terminos terræ. Sed & dexteram illam sic definiuit Paulus, vt vocet illam dexteram maiestatis. Stephanus autem, dextram virtutis. Itaque non corporalis dextra est, sed spiritualis. Ex quo efficitur, vt sedere & stare, corporis situm minimè designet, sed illius glorificationem. Quid enim (dixerit aliquis) in fidei Symbolo sedere dicitur, & tamen Stephanus illum stantem vidisse asseruit? Ergo positio corporis eius variatur? Respondet Augustinus libro primo ad Catechumenos: Sedere, frequens

*Psalm. 2.**sedere quid*

*Tō. 9. lib. I. de Symbolo. Cap. 4.* sumi pro habitare: vt de quocunque homine dicimus, In illa patria sedit per tres annos. Nunquid enim sedit, & nunquam resurrexit? Et nunquid vbi habitantur sedes, semper sedetur? non surgitur? non ambulatur? non iacetur? & tamen sedes vocantur? Non ergo sedere à dextris dicitur, propter corporis determinatam positionem, quæ ex opposito sit eorum quæ stare & ambulare dicuntur: sed pro eo quod lucem habitat inaccessibilem. Idem etiam Augustinus, Vbi & quomodo sit in cælo corpus dominicum, superuacaneū est quære(re) (inquit:) tantummodò in cælo esse credendum est. Non enim est fragilitatis nostræ cælorum secreta discutere: sed est fidei nostræ de corporis dominici dignitate sublimia & honesta sapere. Ex his manifestum est, quid his respondendū sit, qui rursus curiosè requirunt, Num prius ante ascensionem sederit à dextris Dei, quòd illum resurgere & ascendere necesse fuerit, vt hunc gloriæ gradum assequeretur? Ergo ne tunc primū sedit ad dexteram patris omnipotentis, cū ascendit in cælum? His satisfacit Cyrillus Hierosolymitanus in quartadecima Catechesi: Non enim per successionem habuit hanc sedem (inquit) sed ex quo est: est autem semper genitus, & assidet patri. Et hunc thronum ante Saluatoris aduentum in carne videns Esaias Propheta, dicit: Vidi Dominum sedentem super thronum excelsum & eleuatum. Patrem quidem nemo vidit vnquam: qui autem Prophetæ apparuit, si-

*De fide & Symbolo. Cap. 6.*

*Sedes que.*

lius erat. Sed & Psaltes ait, Parata sedes tua extunc, & à seculo tu es. Et alibi, Regnum tuum regnum omnium seculorum. & dominatio tua in omni generatione. Denique Athanasius regnū hoc Christo conuenisse, antequàm infantiam superasset, ex Esaiæ vaticinio demonstrat. Nam cū ille prædixerit, quòd antequàm sciat puer vocare patrem & matrem, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ coram rege Assyriorū: Quis vnquā (inquit) ex regibus genitis, antequàm per ætatē posset patrē aut matrem vocare, regno potitus est? & trophæa de hostibus erexit? Nōne Dauid iam trigenarius regnum obtinuit? Nōne Salomon adolescens imperium suscepit? Nōne Ioas septēnis ad regnum euectus est? Nōne isto adhuc posterior Iosias, circa annum septimum rerum gubernacula suscepit? At qui isti in hac ætate patrem & matrem appellare poterant. Quis igitur iste est, qui propemodum ante genituram sui & regnat, & despoliat inimicos? Quis vnquam talis Rex fuit vel in Israël, vel in Iuda (dicant Iudæi, inquisitione facta) in quo spem suam omnes gētes cōstituerūt? Ergo cū hoc de Messia intelligi debeat, etiam & eum Regem agnosce(re) necesse est, qui patri omnipotenti assederit. Sedes enim illa, thronus, regnum, seu gloria, illa est claritas, ad quā Christus paulò ante passionem aspirabat, cū diceret, Et nunc clarifica me, tu pater, claritate quam habeo apud te, priusquàm mūdus fieret. Nam cū vnica claritatem designet, illam tamen se hebere ab

*Lib. De incarnatione verbi. Esai. 8.*

æterno cum patre asserit, quam etiam sibi conferri precatur. Duo itaq; hæc in Christo verissima sunt, quòd claritatem, regnum, gloriam, & sedem apud patrem habuerit ab æterno, & rursus quòd hæc omnia habuerit in tempore. Verùm si ab æterno, quomodo in tēpore, cum æternitas initium temporis nesciat? In Christo itaque requirendum est quid sit æternum, & quid temporale, vt vtrumque cōciliare possis. Æterna quidem est Christi diuina natura, humana verò temporalis est. Si ergo naturam diuinam spectes, habes Christum ab æterno regnantem cum patre, & sedentem ad dexteram eius: si autē in tempore sumptam naturam attenderis, habes illam in tempore glorificatā, & claritate donatam, vt & Deus & homo Christus à dextris virtutis eius sedeat. Hoc Augustinus his verbis exprimit: Quis est qui sedet ad dexteram patris? Homo Christus. Nam inquam Deus, semper cum patre, & ex patre est: & quando ad nos processit, à patre non recessit. Hoc enim est esse Deum, vbiq; esse totum: non per diuersa tempora vel loca, vt modò ibi totus sit, & alio ibi tempore totus, sed vt semper vbiq; sit totus. Si enim Deus hoc præstitit huic luci, quæ videtur nostris aspectibus, vt simul tota vbiq; sit: neque enim quādo est in Oriente, vel in aliis partibus terrarū non est, sed vbiq; tota est, & in omnibus tota est, & omnium oculos fatiat, & ipsa integra perseverat: si hoc potest creatura, quanto amplius ipse creator? Sed hoc, quòd filius dicitur sedere ad dextram,

*Cuius naturæ ratione Christus sedet.*

*Lib. 3. de fide & Symbolo. ad cæcæchum. Cap. 7.*

demonstratur, quòd ipse homo quem suscepit Christus, potestatem acceperit iudicantis. Hoc Psaltes confirmat, Sedisti super thronum, *psal. 9.* qui iudicas iustitiam: increpasti gentes, & periiit impius.

Neque verò ex his concludi potest Christi corporis Vbiqueitas, quam nonnulli sua opinione astruunt. Licet enim illud glorificetur, & iā ab omni corruptione & cōtemptu vindicetur, ita tamē vt suam omninò naturam non amittat. Christum enim Dominum (inquit Augustinus) vnigenitum Dei filium, æqualem patri, eundemque hominis filium, quo minor est patre, & vbiq; totum præsentem esse nō dubites, tāquam Deum, & in eodem templo Dei tanquam inhabitantem Deum, & in loco aliquo cæli, propter veri corporis modū. Quòd si Pauli sententiam proferant, quæ Christum supra cælos ascendisse asserit, vt impleret omnia: non sic tamen intelligi potest, quasi caro eius iam omnia repleat, & in diuinam naturam conuersa sit: sed quòd idē ascenderit, vt caput omnium credentiū declararetur. Est enim capitis proprium, vt influat in omnia membra, ad cuius instar Christus omnia replere dicitur. Rationem huius influxus reddit Paulus ad Colossenses, scribens, Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, & estis in illo repleti, qui est caput omnis principatus & potestatis: De plenitudine cuius nos omnes accepimus, gratiā pro gratia (inquit Ioannes:) Vidimus enim gloriam eius, gloriā quasi vni-

*Epist. 57. ad Dardanum*

*Colos. 2.*

*Ioann. 1.*

geniti à patre, plenum gratiæ & veritatis. Itaq; cum gloriam vnigeniti per ascensum in cœlum humana natura participauerit, & caput omnium electorū Christus declaratus sit, iam implere omnia dicitur, sua nimirum gratia & spiritu. Sic enim loquebatur in Paulo, Persecutionem patitur in membris, esurit, in minimis suis, viuit in electis, pugnat in fidelibus. Hæc enim scribit Paulus de Christo etiam in cœlū elato: An experimentum quæritis illius qui in me loquitur Christus? Et rursus. Viuo ego, iam non ego: viuit autem in me Christus. Sed & Christus ad Paulum, Cur me persequeris: cum ille tamen membra persequeretur. Et in nouissima die dicturus est, Quoties vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Sic replet omnia: sic replet Ecclesiam, cuius mysterium in matrimonio prætextitur, in quo duo sunt in carne vna. Sic implet, vt etiam dicat, Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinē, in me manet, & ego in eo. Omnium autē promissionum vltima illa obsignatio est, sessio eius ad dextrā patris, & carnis assumptæ glorificatio, quæ interim carnis naturam nō amittit. Theodoretus Dialogorum libro secundo, Corpus dominicum (inquit) surrexit quidem à corruptione & interitu alienū, & impatibile, & immortale, & diuinā gloriā glorificatū, & à cœlestibus potestatibus adoratur, corpus tamen est, & habet quā prius habuit circumscriptionem. Non dixerim ego humanis persuasus rationibus (neq; enim aded̄ audax sum ac teme-

rarius) quod scriptura silentio præteriit: sed tamen audiui Paulum clamantem, Statuit Deus in quo iudicaturus est orbem terrarū in iustitia, per eum virum quem præfinit, fidem præbens omnibus, suscitans ipsum à mortuis. Didici etiā à sanctis Angelis, quod veniet eo modo, quo viderunt ipsum discipuli eūtem in cœlum. Viderūt autem naturam circumscriptam, non eam quæ circumscribi non potest. Audiui ipsum Dominum dicentem, Videbitis filium hominis venientem in nubibus cœli, scio enim ipsum esse circumscriptū, quod videtur ab hominibus. Videri enim nō potest natura, quæ nō potest circumscribi Dominum quoq; iterū dicentem audiui, Cū venerit filius hominis in gloria sua, tunc sedebit super sedē gloriæ suæ.

Cæterum ex hoc fidei articulo magna nobis accedit consolatio: cum eum Christum & reparatorem habeamus, qui & verus Deus est, & cuius corpus summa gloria donatum est: aded̄ vt in ipso pater nos conuiuificarit, & considerare fecerit in cœlestibus. Quid igitur de illius verbis dubitemus, cum summa sit veritas? Quid de eius potestate, cum à dextris maiestatis Dei sedeat, cum quo equali virtute & potestate perfruitur? Quid verò non pertimescant eius aduersarij? Num Dominus Christus è cœlis deridebit eos? Num prosternet, & conteret vt scabellum pedum suorum? Sic enim dextera Dei donatus est, vt ei pater vniuersum orbem subiecerit.

*De secundo Christi aduentu, utque in humana forma  
conspicietur ab omnibus: de iudiciaria pote-  
state illi data, terrore diei illius,  
& quomodo iudicabunt  
Apostoli.*

*Pietas &  
iustitia.*



**D**OBUS maximè omnis respubli-  
ca constituitur, pietate, & iustitia.  
Dux quoque virtutes in scriptu-  
ris Christo tribuuntur, misericor-  
dia, & iudicium. Pietas quidè an-  
nexam habet misericordiam, si maximè proxi-  
mum spectet: Iustitia verò sine iudicio stare nõ  
potest. Itaque, vt qui curam corporis alicuius  
suscipiunt, leuibus primùm pharmacis id face-  
re nituntur: quod vbi prosperè nõ omninò ces-  
serit, acria & mordacia vnguenta admouët, &  
asperis violentisq; potionibus humores e-  
ducere conantur. Christus quoq; mansuetudi-  
ne primùm, tandè verò iudicii sui terrore, nos  
à peccatis auocat. Commèdatur enim eius mi-  
sericordia in primo aduëtü, iustitia verò secun-  
dum comitabitur. Hoc in septimo Symboli ar-  
ticulo, quo credimus venturũ iudicare viuos & mor-  
tuos. Et primùm quidè occurrit secũdus ille ad-  
uentus, demùm illius ratio. De priore quidè di-  
ctum est, quòd ascèdit de cœlis incarnatus est,  
natus, passus, mortuus, resurrexit: quem quidè  
Indei reiiciunt, quòd secundũ tãtũ admittãt.  
Nec enim humilè, abiectũ, delusum, & crucifi-  
xum Messiam requirunt, qualis primùm appa-  
ruit: sed triumphantem, imperantem, terrentè,

*Contra Iu-  
daeos.  
Duo Chri-  
sti aduëtus*

prosternentem inimicos, & iudicantem, qua-  
lis tandem apparebit. Verùm (vt doctè contra  
eos Athanasius differit, libro de incarnatione *Athanas.*  
verbi, & corporali eius ad nos aduentu) quis  
vnquam, vt diximus, ex virgine natus est? Cui  
sanctorum Prophetarum, aut retrò Patriar-  
charum in cruce mori pro omnium salute cõ-  
rigit? Quis saucius factus & sublatus est ad om-  
nium sanitatem? Quis iustorum aut regum in  
Ægyptum descendit, & eius descensu idola in  
Ægypto ceciderunt? Abraham descendit, ni-  
hilominus tamen vbique idololatria viguit.  
Natus est ibi Moses, æquè tamen illic hæsit re-  
ligionis error. Quis omnium, de quibus scri-  
ptura testatur, pedibus ac manibus confossus  
est, aut in cruce pependit pro omnium salute?  
Christo itaque hæc tribui oportet, & primum  
illum eius aduentum agnoscere. Venit vt ho-  
mo fieret, vt quæ rapueramus exolueret, vt  
peccata nostra portaret in corpore suo, & se  
preteritum redemptionis pro nobis offerret. Ve-  
nit vt misereretur. ait enim, Misericordiam  
volo, & non sacrificium. An non illa gratia iu-  
stè præcessit terrorem iudicij? An non mansue-  
tus primùm apparere debuit, antequàm om-  
nibus suæ maiestatis horrorem incuteret? Non *Io. 3.*  
enim (vt ipse ait, cum primi sui aduentus ratio *LUC. 12. b.*  
nem redderet) misit Deus filium suum in mun-  
dum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mun-  
dus per ipsum. Quo factum est, vt cum quidam  
de turba dixisset ei, Magister, dic fratri meo, vt  
diuidat mecum hereditatem: hæc responderit,

Homo, quis me constituit iudicem, aut diuisorem super vos? Et cum Scribæ & Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam ei obtulissent, si fortè in eam mortis sententiam ferret: iudicium à se ablegauit, dicens, Nemo te condemnavit, nec ego te condemnabo. Vade, & amplius noli peccare. Et tamen dedit Pater filio iudicium facere, quia Filius hominis est: verùm illa iudiciaria potestas in secundo aduentu inclarescet. Hoc nec ipse ignoravit David, cum hæc de illa potestate prædixit: Deus iudicium tuum Regi da, & iustitiam tuam filio Regis. Iudicare populum tuum in iustitia, & pauperes tuos in iudicio. Et rursus, Deus stetit in iudicio Deorū: in medio autem Deos diiudicat. Et alibi, Iuravit in iudicio thronum suum, & ipse iudicabit orbem terrę. Hoc etiam Esaias expressit his verbis, In memetipso iuravi, dicit Dominus: Egredietur de ore meo iustitiæ verbū, & non reuertetur, quia mihi curuabitur omne genu, & iurabit omnis lingua. Ergo in Domino dicet, Meæ sunt iustitiæ & imperium. Ad eum venient, & confundentur omnes qui repugnant ei. In Domino iustificabitur, & laudabitur omne semen Israël. Verbum enim iustitiæ filius est. Egressus est ille à patre, nec reuertitur, nimirum vacuus, quasi nec ea expedire possit propter quæ mittitur. Veniet autem, vt Dei iustitia & imperium agnoscat: & sicut spirituale semen Israël, electos nimirum laudabit, & æterna gloria donabit: ita inimicos conteret, confundet, & in

*Ioan. 8.**Cur Christus se iudicem negavit, cum sit iudex omnium**Athanas. de interpre-  
tat. Psalm.  
ad Marcellinum.**Psal. 71.**Psal. 81.**Psal. 9.**Esai. 45.*

ignem mittet. Daniel quoque apertè & iudicij tempus, & iudicem prænuñciauit. Aspiciēbam in visione noctis (inquit) & ecce cum nubibus cœli quasi filius hominis veniebat, & vsque ad antiquam dierum peruenit, & in cōspectu eius obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem, & honorem, & regnum, & omnes populi tribus & linguæ ipsi seruiunt. Potestas eius potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius quod non corrumpetur. Quid quæso clarius dici potest? Nam & filium hominis exprimit, & cœli nubes: sed & thronos dicit esse positos, & libros apertos. Habet & fides ista testimonium ab ipso Christo. Quoties enim de die illa monuit? Nescitis (ait) quando tempus sit, serò, mediâ nocte, an galli cantu, an manè filius hominis veniat. Et rursus, Cùm venerit filius hominis in sede maiestatis suæ. Hoc Apostoli prædicarunt. Petrus quidem, Ipse (inquit) constitutus est à Deo iudex viuorum & mortuorum, Iudas etiam in sua Epistola hoc in Enoch prophetia repertū scribit, quòd veniet Dominus in sanctis millibus suis, vt faciat iudicium aduersus omnes, & impios omnes redarguat. Hunc articulum etiam expriment Petrus & Paulus. Habet enim Paulus, Obtestor coram Deo, & Domino Iesu Christo, qui iudicaturus est viuos & mortuos: Petrus verò, Reddituri sunt (inquit) rationem ei qui iudicaturus est viuos & mortuos. Christi igitur aduētum annunciamus, non vnum tantum, verùm etiam alterum, priori multo pul-

*Daniel. 7.**Act. 10.**2. Timoth.**4.**Catech. 15.*

chriorem (inquit Cyrillus.) Ille enim speciem habuit patientiæ, hic verò diuini regni feret coronam. Nam vt plurimum duplicia sunt omnia apud Dominum nostrum Iesum Christum. Duplex generatio, vna de Deo ante secula, & altera de virgine. Duplex aduentus, vnus occultus, qui est sicut pluuia in vellus, & alter illustris, qui est futurus. In priori aduentu fasciis inuolutus est in præsepio: in altero circundabitur lumine, sicut vestimento. In priori sustinuit pudoris crucem, contemptus: in altero veniet cum exercitu Angelorum gloriosus. Veniet saluator, non vt rursus iudicetur, sed vt iudicet iudicantes. Qui prius in iudicio tacebat, commemorans deinceps dicet iniquis, Hæc fecisti, & tacui. Existimasti iniquè quod ero tui similis? Arguam te, & statuam peccatum contra faciem tuam. Nunc persuadet tantum docens homines: tunc autem velint nolint, regno illius subiicientur. Hos duos aduentus sic Malachias depingit: Priorem quidem, quòd statim veniet ad templum sanctum suum dominator Dominus: posteriorem verò, cum adiicit, Ecce venit, dicit Dominus exercituum: & quis sustinebit diem aduentus eius, aut quis stabit ad videndum eum? Ipse enim quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum. Et sedebit conflans, & emundans argentum, & purgabit filios Leui. Et deinde Saluator ait, Accedam ad vos in iudicio, & ero testis velox super veneficos & adulteros, & super adulteros & periuros, & qui calumniatur mercedem

mercenarij, & qui humiliant viduas, & pupillos, & opprimunt peregrinum, nec timuerunt me, dicit Dominus exercituum. Idcirco Paulus, Vniuscuiusque opus manifestum erit (inquit:.) Dies enim Domini manifestum faciet, quia in igne reuelabitur. Sed & vtrumque aduentum sic depingit, ad Titum scribès, Apparuit gratia Dei saluatoris omnibus hominibus erudiens nos, vt abnegantes omnem impietatem, sobriè & iustè & piè viuamus in hoc seculo, expectantes beatam spem & aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi.

Cæterum venire propriè creaturæ est, hominis nimirum, cuius fuit ascendere. Descendet enim de cœlis in ea forma & specie qua prius ascenderat, qui in ratione diuinæ naturæ replet omnia. Hanc formam humanam videbunt & impij (inquit Augustinus) videbunt & ad dextram positi, videbunt & ad sinistram separati: sicut scriptum est, videbunt in quem pupugerunt. Et quomodo videbunt, nisi corpus ipsum quod lancea percusserunt? Lancea non percutitur verbum. Hoc ergo impij videre poterunt, quod & vulnerare potuerunt. Latentem Deum in corpore non videbunt, post iudicium videbitur ab his qui ad dextram erunt. Non enim eum videbunt, nisi secundum formam, qua filius hominis est: sed tamen in claritate in qua iudicabit, non in humilitate in qua iudicatus est. Interim verò ne putes patrem minimè iudicaturum, quia iudicabit filius.

1. Cor. 3.

Venire quid

Tract. 21.  
in Ioannē.

Ioan. 19.

Zach. 12.

Apoc. 1.

August. 10.

3. lib. 1. de  
Trinit. c. 13.

Iudicabit pater, iudicabit & Spiritus sanctus: cum opera Trinitatis sint indiuisa. Quid ergo (dixerit aliquis) Christus in Euangelio, Pater (inquit) non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio, vt omnes honorificent filium, sicut honorificauit patrem? Hoc dictum est (ait Augustinus) quia hominibus in iudicio non apparebit nisi filius. Pater occultus erit, filius manifestus, In quo erit filius manifestus?

1. In forma qua ascendit. Nam in forma Dei cum patre occultus est. Porro hæc autoritas filio committitur, propter summum humilitatis meritum, qua se iudicio hominum submitit. Sed & (vt scribit Maximus Taurinensis) necesse est vt hominum genus ille discutiat qui creauit, & ipse iudicet qui redemit: iustumque est, vt omnipotens Dominus mortales suos, quos diuinitatis virtute formauit, Patris pietate saluauit, iudicis examinatione discernat. Quid verò potest esse æquius apud Deum, quam vt quorum in seculo fuit vita diuersa, eorum post hoc seculum merita distinguantur? Iustus enim
2. Dominus & iustitias dilexit, æquitatem vidit vultus eius: vt ne quis se elapsurum putaret, & capropter omnia sibi licere arbitretur. Sed & omnes, dum hinc viuunt, pœnitentiam agant, ne dies illa terribilis eos apprehendat, cum horrendum sit incidere in manus Dei viuentis. Scimus enim quoniam iudicium Dei est secundum veritatem, in eos qui talia agunt, inquit Apostolus. Existimas scilicet, ô homo, quia tu effugies iudicium Dei? An diuitias bo-

Ioan. 5.

Tract. 21.  
in Ioan.Homil. in  
Symb.Credendum  
est iudicium.

Rom. 2.

nitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam & impœnitens cor, thesaurifas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuique secundum opera eius. Hæc nimirum dies est, quam Sophonias *Cap. 1.* describit. Et erit (inquit) in tempore illo, scrutabor Hierusalem in lucernis, & visitabo super viros defixos in facibus suis, qui dicunt in cordibus suis, Non faciet benè Dominus, & non faciet malè. Iuxta est dies Domini magnus, iuxta est & velox nimis. Dies iræ, dies illa, dies tribulationis & angustiae, dies calamitatis & miseriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris super ciuitates munitas. Hoc quidem paucos attendisse Sibylla conquesta est, cum tamen certum illud iudicium nos maneat, quo vniuscuiusque opera discutientur. Hæc enim ex illius oraculis Lactantius in libro septimo diuinarum Institutionum deprompsit: *Cap. 23.*

Δύσπιστον γὰρ ἅπαν μερόπων γένος. ἀλλ' ὅταν ἤδη  
Κόσμος καὶ θνητῶν ἔλθῃ κρίσις, ἢ ἡ θεὸς αὐτὸς  
Ποιήσῃ κρίνωσ' ἀσεβεῖς θ' ἅμα εὐσεβεῖς τε,  
Καὶ τότε δυσεβεῖας μὴ ὀπίτροφον ἐν πυρὶ  
πέμψει.

Οὐσι δ' εὐσεβεῖσι πάλιν ζήσουσ' ὅτι γαίης  
Πνεῦμα θεῶν δόνται, τιμὴν ἅμα καὶ βίον αὐτοῖς.  
*Incredulum quidem hominum genus: sed cum iam  
Mundi & mortaliū venerit iudicium: quod ipse Deus*



*Faciet, iudicans impios simul & pios,  
Et tunc sanè impios in obscurum ignem mittet.  
Quicumque verò piè viuunt, rursus viuunt in terra  
spiritum Deo dante, & honorem, simul & vitam  
ipsis.*

Porro iudicium illud tantò terribilius erit, quanto non secundum visionem oculorum iudicabit, neque secundum auditum aurium arguet, vt prædixit Esaias: sed iudicabit in iustitia pauperes, & arguet in æquitate pro mansuetis terræ. Iustitia & iudicium præparatio sedis tuæ, inquit Psaltes. Et alibi, Duo Domine, hæc audiui, quoniam tibi est misericordia, & iustitia, & reddes vnicuique secundum opera sua. Requiretur enim non modò fides nostra, sed & opera. Et quid dico fidem, Cùm iam iudicatus sit qui non credit? Eapropter beatus Apostolus, cùm de reddenda ratione in die iudicij loqueretur, ita pronuntiauit, dicēs, Oportet nos omnes stare ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum. Et Dominus in Euangelio, Tunc (inquit) reddet vnicuique secundum opera sua. Non dixit, secundum fidem suam (vt obseruat Augustinus) sed vnicuique secundum opera sua: quia sicut Iacobus Apostolus clamat, fides sine operibus mortua est. At verò quantus terror est futurus, cùm ipse venerit? Tunc enim reuelabitur omnibus ignominia nostra, tunc exhibilabitur peccator, propria etiam conscientia cõdemnatus. Quid miseri nos dicturi sumus, cùm vix iustus securus sit,

*Esai. 11.**2. Cor. 5.**1. Cor. 3.**Matth. 16.**Serm. 38. de  
sanctis. in  
die anima-  
rum.**Iac. 2.**Quibus ma-  
ximè terri-  
bilis sit iu-  
dicij dies.*

fit, cùm in Angelis etiam suis Deus prauitatem repererit? Quo quæso terrore non concutiemur, cùm Angeli pacis amarè flebunt, columnæ cœli contremiscent, & pauebunt ad nutum eius, cùm virtutes cœlorum mouebuntur, & sese vniuersa creatura armabit aduersus insensatos? Quæ securitas esse poterit his, qui diuitiis & honoribus excæcati Deum & proximum contemnebant, nec futura illa attendebant? Exaltabitur enim Dominus solus in die illa (inquit Esaias) quia dies Domini exercituū super omnem superbum & excelsum, & super omnem arrogantem, & humiliabitur. Et introibunt in speluncas petrarum, & in voragine terræ, à facie formidinis Domini, & à gloria maiestatis eius, cùm surrexerit percutere terram. Quæ confusio his qui præ superbia simplices & pios contemnebant & ridebant: qui gloriabantur in malitia, & potentes erant in iniquitate: qui pietatis & veritatis præcones subsannabant, & dicebant, Loquimini nobis placentia, & audiemus vos? Nam velint nolint, terribilem illam sententiã audituri sunt, quam Sapiens exprimit, Quæsiui vos, vocaui, & renuistis: cùm æterna sapiëntia illos pereuntes deriserit & subsannarit. Quid cùm electos viderint, quos velut mundi peripsema habebant. Tunc enim (inquit Sapiens) stabunt iusti in magna constantia aduersus eos qui se angustiauerunt, & qui abstulerunt labores eorum. Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salu-

*Esai. 2.**Sap. 4.*

eis, gementes præ angustia spiritus, dicentes intra se, pœnitentiam agentes: Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperij: nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore. Ecce computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos fors illorum est. Lassati sumus in via iniquitatis, & ambulauimus vias difficiles: viam autem Domini ignorauimus. Quid nobis profuit superbia, aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam vmbra, & tanquam nuntius præcurrens, & tanquam nauis quæ pertransit fluctuantem aquam, cuius cum præterierit, non est vestigium inuenire, neque semitam carinæ illius in fluctibus: aut sicut auis quæ transuolat in aère, & tandem nullum signum inuenitur itineris eius: aut tanquam sagitta emissa in destinatum locum, vt ignoretur transitus illius. Tremenda quidem erunt omnia, cum omnia in faciem redierint peccata, nec iam obliuionis, sed memoriæ locus sit: non lictij, sed sententiæ, sed præmij aut pœnæ, Vtinam verò omnes attenderent, saperent, & nouissima hæc præcauerent, vt monet Moses. Dicit enim & alter, Attende nouissima tua, & in æternum non peccabis. Hunc ergo aduentum præ oculis habemus ex fidei nostræ confessione, vt qui in Iesum Saluatorem confidimus, etiam & ipsum iudicem timeamus. Nam *uenturus est iudicare vivos & mortuos*. Numquid verò & alij iudicabunt? De Patre iam diximus.

*Redibunt in  
memoriam  
peccata.*

De electis verò Paulus, An non (inquit) Angelos iudicabimus, quanto magis secularia? Hoc Augustinus Christi verbis confirmat, cum discipulis ait: Sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. Quos iudicantes? Infrà, qui sunt in terra. Qui iudicabunt? Qui facti sunt cœlum. Illi autem qui iudicabuntur, in duas partes diuidentur: vna ad dextram, altera ad sinistram erit. Iudicabunt autem cum Christo sancti. Veniet enim in iudicium cum senioribus populi sui, ait Esaias. Rursus idem Augustinus in Psalmum quadragesimum nonū, hæc ex Psal-  
tis vaticinio colligit: Aduocabit cœlum de-  
sursum, & terram discernere populum suum, inquit David. Quomodo verò cœlum sursum aduocabit, cum semper sursum sit cœlum, inquit Augustinus? Sed quos hîc cœlum dicit, eosdem alibi cœlos appellat, qui enarrant gloriam Dei: de quibus dicitur, In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Vocabit & terram, non tamen conterendam, sed discernendam. Quomodo autem discernet terram? vt alios ponat ad dextram, alios autem ad sinistram. Apostoli itaque iudicaturi sunt: non tamen eo sententiæ gradu, quo Christus. Nec enim eandem cum illo potestatem assequentur. Iudicabit autem Christus, sententiam ferens, quando summa virtute alios vita æterna donabit, alios pœnis æternis adiudicabit. Iudicabunt verò Apostoli per ap-  
AA ij

*Electi etiã  
iudicabunt.  
Enarrat. in  
Psal. 121.  
Matth. 19.  
Luc. 22.*

*Esai. 3.  
Psal. 49.*

*Psal. 18.*

*Quomodo  
iudicabit  
Christus et  
Apostoli.*

probationem sententiæ, Christi iusticiam miris laudibus efferentes. Quid autem mirum, si secundus ille iudicandi modus assignatur, cum etiam tertius ex verbis Christi colligatur? Ait enim de Niniuitis & regina Sabba, Surge Regina austri, surgent & Niniuitæ in iudicio, & condemnabunt generationem istam: ut qui per comparationem iudicaturi sunt, in seipsis nimirum Iudaicæ condemnationis argumentum exhibituri. Cum itaque primum illum iudicandi modum consideramus, quo Pater omne iudicium filio dederit, hoc etiam de Christo, quod non de cæteris profiteamur, quod *venturus est iudicare*, &c. Hic enim est iustus iudex, fortis & patiens, ut cecinit Psaltes: in quem sperans Paulus, ait, Reddet mihi Dominus coronam iustitiæ in illo die, iustus iudex. Non enim iudicaturus est, ut priuata quædam persona: siquidem Euangelica lege prohibetur, ne quis priuatus alterius ditionis homines iudicet, aut temerariè de aliquo sententiam ferat: sed iudicabit, ut iudex legitime constitutus à Deo patre, & iurisdictionem in omnes habes. Nec ciuitatem verò aut regionem modò, sed (ut dicit Psaltes) iudicabit orbem terræ in æquitate, & populos in veritate sua. Eapropter Apostolus, Nolite (inquit) ante tempus iudicare, quoad vsque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit occulta cordium, & tunc laus erit unicuique à Deo.

Math. 12.

Psal. 7.

Iudicium priuatum.

Psal. 95.

1. Cor. 4.

*De iudicio particulari hoc in mundo, & statim atque anima excefferit: qui viui & mortui iudicabuntur: de generali conflagratione, & aeterno Christi regno.*



AGNAS maris tempestates multa signa præcedunt, quæ nautas ut sibi caueant, & securum portum teneant, monere videntur: Ita quidem nouissimum illud magni iudicij diem in omnibus elementis signa præmonstrabunt, è quibus facile quam distincta futura sint omnia, quisque intelligat. Et licet hæc suis temporibus secundo Christi aduentu indubiam fidem redditura sunt, ea tamen quæ quotidie videntur, quæ leguntur de horribili impiorum exitu, & pœnis hac etiam in vita illis inflictis, satis confirmat, quam horrendum sit incidere in manus Dei, quamque & impiis & ingratis peccatoribus terribilis sit illius dici expectatio. Ideòne scilicet, quia Christus venturus iudicare viuos & mortuos creditur, nec etiam nunc quisquam iudicatur? Quin potius dixerim iudicari multos, & hinc dum viuunt, & statim atque è viuis excefferint, Hoc in Cain obseruari facile poterit, quem Hebræi primum omnium iudicium extremum, & reposita impiis in futurum supplicia negasse, ideòque mota quæstione, contradicentem fratrem peremisse censent. Atqui ne occiso fratre in illa hæresi perseueraret, sed certum

Cain primus hæret.

Iudicium particulare hoc in mundo.

futuri iudicij argumentum haberet, iusto Domini iudicio profugus fuit super terram, tremens semper & sibi timens, cum propria conscientia condemnaretur. Primum enim Domini hanc in eum sententiam tulit: Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Nunc igitur maledictus eris tu super terram, quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua. Cum operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos. Vagus & profugus eris super terram. Tum verò ad eum Cain, Maior est (inquit) iniquitas mea, quam ut veniam merear. Ecce eiicies me hodie à facie terræ, & à facie tua abscondar, & ero vagus & profugus super terram: & omnis qui inuenerit, occidet me. An non scilicet impiis omnibus sua ipsorum conscientia tremendum aliquod iudicium minatur, quos (ut dicit Poëta)

-- diri conscia facti

*Mens habet attonitos, & cæco verberare cedit,  
Occultum quatiente animo tortore flagellum?*

Siquidem

*Exemplo quodcumque malo committitur, ipsi  
Displicet auctori: prima est hæc ultio, quod se  
Iudice, nemo nocens absolvitur.*

Hic est enim conscientia vermis, & acerbissima scelerum poena, quam suæ ipsorum conscientia dant malefici, inquit Hieronymus.

*Esai. 66.*

*Hieron. in*

*c. Esai. ult.*

*Senec. lib.*

*Epist. 16.*

*Diluuium.*

Quod & ipse nouit Epicurus, qui (ut scribit Seneca) conscientiam à malis facinoribus flagellari asseruit. Si verò magnum & generale diluuium attendas, quo præter octo animas

uniuersi homines absorpti sunt, quis non Deum vindicem fateatur? Denique cum igne & sulphure Sodomam & alias vrbes subuertit, cum Pharaonem cum uniuerso equitatu mari rubro obruit, Choré, Dathan & Abyron cum suis dehiscente terra in infernum deiecit, cumque alios aliis modis perdidit, ceu qui abominandam vitam ducebant, aut in summam illam maiestatem blasphemias eructabant: an non vrgentibus exemplis expectandum tandem maius aliquod iudicium demonstrabat? Hoc etiã Antiochus agnouit, quem cum præfatore, exercitus ferre non posset, copia vermium scotentem, in eam vocem prorupisse legimus, Iustum est mortalem subditum esse Deo, & non paria Deo sentire. Hoc ipse Nabuchodonosor, sed cum terribile Dei iudicium prætulisset. Nam & ex hominibus abiectus est, & fenum ut bos comedit, & rore cæli corpus eius infectum est, donec capilli eius in similitudinem aquilarum crescerent, & ungues eius quasi ungues auium. Elapsis enim septem temporibus, oculos in cælum leuauit, & altissimo benedixit, quamque terribile sit eius iudicium confessus est. Nunc enim (inquit) ego Nabuchodonosor laudo & magnifico & glorifico regem cæli, quia omnia opera eius vera, & omnes viæ eius iudicia, & gradientes in superbia potest humiliare. Si quis verò Nicanoris exitum considerauerit, quomodo non idem animaduertet? Impius ille Deum, eiusque de Sabbati obseruatione mādaturum deriserat: sed lingua eius

*Sodoma.  
Pharao.*

*Choré, Dathan.*

*Antioch.*

*Daniel. 4.  
Nabuch.*

*Nicanor.  
2. Mach. 15.*

præcisa, & auibus particulatim diuifa est, manus contra templum suspensa, caput etiam eius in summa arce erectum est, vt euident & manifestum esset diuini auxiliij & iudicij signū. Mitto quæ de Herode à vermibus consumpto, quæ de Iudæorum clade, & Hierosolyma euersa, quæ de tyrannis illis, qui primum Ecclesiam persecuti sunt, & miserè perierunt: quæ de Iuliano Apostata, qui cum Christo bellum indixisset, vulnere accepto, sanguinem manu excipiens, & in altum aspergens, Vicisti (inquit) Galileæ: Mitto cætera, eaque permulta exempla, quæ omnibus ætatibus & temporibus Deū vindicem ostenderunt, & quoddam futuri iudicij exemplar prætulerunt. Hinc scilicet Psaltes, cum tyrannorum & veritatis aduersariorum furiosos motus prædixisset: etiam Dei tandem iudicium futurum expressit. Quare (inquit) fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Et paulò post: Dominus de cælis deridebit eos, & subsannabit eos. Reges verò & Principes, vt sibi à iudice Christo caueant, monet, cum sic concludit, Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta. Nonne scilicet omnes vias meas & gressus meos dinumerat (inquit Iob?) Hoc Psaltes agnoscit, dicens, Domine, probasti me, & cognouisti me: tu cognouisti sessionem meam, & resurrectionem meam. Et paucis interiectis, Non est (inquit) occultatum os meum à te, quod fecisti in occulto, & substantia mea in inferioribus terræ. Imperfectum

Herodes.

Iudæi.

Iulianus  
Apostata.

Psal. 2.

Psal. 138.

meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur. Sic impiorum vanitas eluditur, Dixit enim insipiēs in corde suo, Nō est Deus. Et rursus, Si est Deus in excelsis, diiudicans nos in terra.

Licet ergo Christum venturum credamus, non proinde tamen specimē illius iudicij quotidie hominibus exhiberi negamus, cum quisque etiam inuitus norit,

*Nocte dieque suum gestare in pectore testem.*

Sed & tot occurrant diuinæ iracundiæ & iustitiæ flagella. neque ex huius Symboli confessione iudicium particulare negari poterit, quod statim atque anima è corpore excesserit, vnique rependitur. Statutum enim est hominibus semel mori (inquit Paulus) & post hoc iudicium. Hoc ad Cain Dominus. Nonne (inquit) si benè egeris, recipies: sin autem male, statim pro foribus peccatum tuum aderit? Quod enim fores dixit, ipsum vitæ exitum significasse videtur, in quo statim quisque quod seminavit, colliget.

Verum generale illud erit, quo quisque in corpore simul assumpto, aut gloria perfruetur aut torquebitur. Nūc enim in sola potissimum anima fructum actionum & meditationum suarum accipiunt: cum verò resurrectio facta fuerit, alterius mercedis corpus particeps erit, quod & animæ comes in operando exitit. Cæterum vniuersitas iudicandorum exprimitur per vivos & mortuos. Quos enim ab illorum numero eximere poteris? Et hoc expressius de-

Iudiciū par-  
ticulare post  
mortem.Iudiciū ge-  
nerale.Athenago-  
ras lib. de  
resurrectio-  
ne.

signat Paulus, cum scribit, omnes nos manifestari oportere ante tribunal Christi. Etiam si in agro fueris, reperient te Angeli. Non putes quod magnates accipient, te verò agricolam relinquēt. Omnes sisti, & omnes denique manipulos suæ messis colligere oportet. Variè autem viuos & mortuos interpretari possumus. Ut enim in corpore, sic & in spiritu quidam aut viui aut mortui esse dicuntur. Ab illa morte Paulus peccatores excitat, dicens, Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Vitam autem spiritualem, vitam gloriæ Christus designat, cum ait, Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, viuet: & omnis qui viuit, & credit in me, non morietur in æternū, siquidem abscondita est vita nostra cum Christo in Deo: cum autem apparuerit Christus vita nostra, tūc & nos cum ipso apparebimus in gloria. Ergo quoniā & bonos qui viui, & malos qui mortui dicuntur, rectè etiam viuos & mortuos iudicaturus esse perhibetur. Eorum enim qui iudicandi sunt, alij ad dextram eius, alij ad sinistram statuentur, quòd alij malè, alij benè, vitam duxerint. Sed beatos viuos esse, damnatos autè mortuos dici quid vetat? Nam de beatis dicitur, Sancti in perpetuum viuent, & apud Dominum est merces eorum: De impiis verò, sicut oues in inferno positi sūt, mors depascet eos.

Cyprianus verò simul & Ruffinus in interpretatione Symboli, mortem ad corpus, vitam ad animā referunt: ex quo efficitur, ut Christus

Viui & mortui qui

Viui boni, mali mortui.

Cyprianus in Symbolū

mortuos, id est mortua olim corpora, & viuos viuas nimirum animas iudicaturus sit. Tunc enim referet vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum. Propria sanè corporis, quoniam & alia sunt animæ propria: eorum autem omnium iudiciū à Christo expectandum est. Ad corpus etiam vtrumque referri potest, ut eius respectu alij viui, alij mortui nuncupētur. Mouetur tamē in vtriusque ratione quæstio. Si enim mortuos eos esse censemus, qui obierunt, quem locum habebit Christi verbum, quo Deum Abraham, Isaac, & Iacob, qui longè antè decesserant, Deum esse nō mortuorum, sed viuentium asseruit? Istud enim non animæ modò, sed resurrecturi corporis respectu dixisse videtur, cum de resurrectione quæ in corpus cadit, contra Sadducæos differeret. Verum Christus statim resurrectionis attendebat, quo iam non mortui, sed viui omnes dicantur. At verò populariter mortui nuncupantur, ex conditione prioris status corporum ante generalem omnium resurrectionem. Rursus tamen, quomodo non illo etiam tempore dormire potius corpora, quàm mori censeatur? sic enim Paulus dormientes appellat. Sed mortem communi loquendi modo, & ex eo quod carnalibus oculis apparet, defini-  
 mus: cum omni sensu & functionibus suis corpus destituitur. Si tamen ad illam vitam, quæ in cineribus latet, spirituales mentis oculos eleuamus, iam non mori, quin potius ad tempus quiescere, eū qui excesserit, credimus. Ita

Mortua olim corpora viue animæ

Quæstio. Math. 22.

Alia quæstio.

Quomodo omnes moriuntur, notamē morte propriè sumpta & communi

Lib. 20. De  
ciuit. Dei  
Cap. 20.

que cum mortuos hinc dicimus, communem lo-  
quendi modum attendimus, quo illi qui in ter-  
ra puluere ante generalem illam resurrectio-  
nem quiescebant, intelliguntur. Nec enim illi  
per immortalitatem uiuificabuntur (ait Augu-  
stinus) nisi quamlibet, paulum tamen ante mo-  
riantur: ac per hoc & a resurrectione non erunt  
alieni, quam dormitio præcedit, quamuis bre-  
uissima, non tamen nulla. Rursus verò, si ratio-  
ne status illius, in quo corpora ante generalem  
resurrectionem erant, alij uiui alij mortui di-  
cuntur: consequitur igitur, quorundam cor-  
pora minimè moritura, cum tamen resurrectu-  
ra esse dicantur. Hoc verò quomodo stare pos-  
sit, cum Paulus doceat statutum esse homini-  
bus semel mori? & Psaltes dicat, Quis est ho-  
mo qui uiuet, & non videbit mortem? Et rur-  
sus, Vos autem sicut homines moriemini, & si-  
cut vnus de principibus cadetis. Nam omnes,

Horat. lib. 1

*vna manet nox,*

*Et calcanda semel via lethi.*

Quidam non  
morientur  
sed immu-  
tabuntur.

Itaque ut hæc concilientur, mortuum variè  
dici obseruabimus, modò pro eo quod vita de-  
stituitur, et si hoc in puncto còtingat: quomo-  
do illos etiam qui uiui hinc nuncupantur, mo-  
rituros dicimus, verùm minus propriè, cum  
in ictu somnus ille trāsiturus sit. Mortui autè  
ceu dormituri propriè cēsantur, quorum cor-  
pora ad tempus & animâ & vitâ destituuntur.  
Atqui duos status eorum qui resurgent, Paulus  
exprimit: vnum quidem eorum, qui certis die-  
bus in terrè puluere requiescent: alterum verò

eorū, qui quoniã in subitū & præceps illud re-  
surrectionis tēpus incidēt, nō dormiēt, defini-  
to nimirum & diuturno aliquo tēpore, sed sta-  
tim in momēto immutabūtur, ita ut intereat &  
absorbeat mortality eorū vita, & in nouā pe-  
nitūs trāsformetur. Petrus Chrysológus in iis  
Sermonibus, quos de Symbolo edidit, hãc in-  
terpretationem sequitur. Esto (inquit) uiuos:  
mortuos verò quomodo iudicare poterit? Sed  
illi uiuūt, q̄ nobis mortui cōputantur. Ergo re-  
surrecturos eos ad iudiciū cōfitemur, quos in-  
fidelitas deperiisse existimat: ut qui mortui fue-  
rint, & qui reperiētur uiui, pariter suorum red-  
dant actuum vitæque rationem. Sic enim Pau-  
lus, Ecce mysteriū dico vobis, fratres (inquit.)  
Πάντες μὲν ἔ κοιμηθησόμεθα, πάντες δὲ ἁλλα-  
γησόμεθα, ἐν ἰκτώ, ἐν εἰπῇ ὀφθαλμοῦ, ἐν τῇ  
ἐσχάτῃ σάλπιγγι id est, Nō omnes quidem ob-  
dormiemus, sed omnes immutabimur, in mo-  
mento, in iactu, in nouissima tuba, siquidem  
qui in Christo mortui sunt, resurgent primi: de-  
inde qui reliqui erūt qui tūm uiuent, simul ra-  
pientur cum illis in nubibus obuiam Christo  
in aëra: in illo autem raptu immutabuntur, e-  
ritque illa mutatio ad instar mortis, sed parum  
& velut ad ictum oculi duratura. Ex his mani-  
festū est, quàm verè intelligi possit, quod Chri-  
stus dicitur venturus iudicare uiuos & mor-  
tuos. Vtrumque etiam Sibylla expressit, ut La-  
ctantius libro septimo diuinarum Institutio-  
num obseruat, sic enim habet,

Petr. Chry-  
sológus.

Mortui sunt  
apud in-  
fideles.

1. Thess. 4.

Cap. 24.

Αὐτὸς ὁ παντοκράτωρ ὅτ' ἀν' ἔλθῃ βήματα

κρίνει  
 Ζόντων καὶ νικῶων ψυχὰς, καὶ κόσμον ἅπαν-  
 τα: id est,

*Ipsē hic Omnipotēs cū in tribunali venerit iudi-*  
*caturus*

*Viuorum atq; mortuorum animas, & mundū uni-*  
*uersum.*

Non enim mortuorū modò, sed & viuorū me-  
 minit, vt omniū scilicet hominū apud Deū cu-  
 ra esse credatur, inquit Maximus Thaurinēsis.  
 Neque verò id mirū esse debet, cū de duobus  
 testibus hæc in Apocalypsi legatur, Quòd be-  
 stia occidet eos: & videbūt populi corpora eo-  
 rum per tres dies & dimidiū, & non sinēt poni  
 in monumētis. Et post tres dies & dimidiū spi-  
 ritus vitæ intrabit in eos, & stabūt super pedes  
 suos, & audient vocem magnā de cælo, dicen-  
 tem eis, Ascendite huc. Et ascendet in cælū in  
 nube, & videbunt illos inimici eorum. Hoc  
 cū Dominus in quarto die facturū sit, quo-  
 modo non etiam in primo? quomodo non in  
 ictu oculi, cū temporī non subiiciatur?

Cæterū nōnulli huic confessioni etiā adii-  
 ciunt, quòd Christus *uenturus est iudicare seculum*  
*per ignē.* Et id quidē è scripturis depromūt, quæ  
 secundum aduentum in igne exprimunt, sic e-  
 nim Petrus, Aduenit autem dies Domini sicut  
 fur: in quo cæli magno impetu transient, ele-  
 menta verò calore soluētur, & quæ in ipsa sunt  
 opera exurentur. Hoc Sibylla his versibus lo-  
 cuta est,

-ὁ πῶτ' ἀγ' ἔλθῃ,

Maximus  
 Thaurinēsis  
 in symbolū.

Apoc. II.

Mundi cō-  
 flagratio.

2. Petr. 3.

Πῦρ ἔσται, σκοτός ἐν τῇ μέσῃ νύκτι μελάρη:  
 id est, *Quando venerit.*

*Ignis erit, & tenebræ in media nocte obscuræ.*

Hoc Cyrillus Hierosolymitanus ex Psaltis va-  
 ricinio confirmat. Ait enim: Deus noster mani-  
 festè veniet, Deus noster & nō silebit. Ignis in  
 cōspectu eius exardescet, & ī circuitu eius tēpe-  
 stas valida. Quod quidē aut à Sibyllis, au secre-  
 ta nostrorū traditione Ouidius didicisse vide-  
 tur, cū ī primo Metamorphoseō hæc scribat: *nit illā cōfla-*  
*grationē.*

*Esse quoque in fatis reminiscitur, affore tempus*

*Quo mare, quo tellus, correpta que regis cæli*

*Ardeat, & mundi moles operosa laboret.*

Hoc etiam prædixit Esaias. Propè est iustus  
 meus (inquit) & brachia mea populos iudica-  
 būt. Leuate oculos vestros, & videte sub terra  
 deorsum, quia cæli sicut fumus liquefcent, &  
 terra sicut vestimētū atteretur, & habitatores  
 eius sicut hæc, interibūt. Et in alio capite, Ecce  
 Dominus ī igne veniet, & quasi turbo quadri-  
 ga eius, reddere in indignatione furorē suū, &  
 increpationē suam in flāma ignis, quia in igne  
 Dominus iudicabit. Sed & Sophonias diē illū  
 expressit his verbis: In igne cæli eius deuora-  
 bitur omnis terra, quia consummationē cū fe-  
 stinatione faciet cūctis habitāribus terrā. Pri-  
 ma enim terræ expurgatio per aquam, tempo-  
 ribus Noé facta est, secūda tandem per ignem:  
 vt & iudicij illius seueritatem, & mansuetudi-  
 nem indicet. Nam quoniam ignis lucet etiam  
 & vrere proprium est, lux electorum splendo-  
 rem, combustio verò *impiorū supplicia designabit.*

Catech. 15.

Ouidius no-

Esai. 55.

Es. 66.

Soph. 1.



*Augustinus lib. 20. de civitate Dei. cap. 16.* Augustinus libro vigesimo de civitate Dei: Tunc (inquit) figura huius mundi, mundanorum igniū conflagratione interibit: sicut factū est mundanarū aquarū inundatione diluuij. Et *I. Cor. 7.* hæ quidem elementorum corruptibiliū qualitates, quæ corporibus nostris ad corruptionem cōgruebāt, ardēdo penitus interibūt: atq; ista substantia eas qualitates habebit, quæ corporibus immortalibus mirabili mutatione conueniāt: Vt scilicet mundus in melius innouatus, aptè accōmodetur hominibus, etiam carne in melius immutatis. Idē nāq; in Apocalypsi legitur: Et vidi cœlū nouū, & terrā nouam. Primum enim cœlū & terra prima recesserunt, & mare iā nō est. Quod autē ait, Mare iam nō est: utrū maximo illo ardore siccetur, an & ipsum vertatur in melius, non facile dixerim. Cœlum quippè nouū, & terrā nouā futurā legimus. De mari autē nouo aliquid me vspiciā legisse nō recolo, nisi quod in hoc eodem libro reperitur: Tanquā mare vitreū, simile crystallo, sed tunc non de isto sine seculi loquebatur, nec propriè dixisse videtur mare, sed tanquam mare. Porro ne quis hisce peractis Christi regnum desitutum arbitretur, sicut olim nōnulli dicere ausi sunt, Nicēna synodus adiecit, *Cuius regni non erit finis.* Hoc enim Daniel testatus est. Potestas eius potestas æterna (inquit) & regnum eius quod non corrumpetur. Psaltes etiam id de filio, Vt Paulus, interpretatus est: Initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli. Ipsi peribunt: tu autem idem ipse es, & annu-

*Apoc. 21.*

*An igne peritura sint omnia.*

tui non deficient. Gabriel denique, Regnabit (inquit) in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.

Porro insaniam suā contra æternum Christi regnum quidam deprompserunt, ex Apostoli verbis malè intellectis. Hæc enim legebant: Oportet ipsum regnare, donec ponat inimicos eius sub pedes ipsius. Hinc verò ipsum iam non amplius regnaturum dicebant, cum pedibus eius inimici substernerentur. At verò qui, antequam hostes prostrauisset, regnabat, quomodo non magis superatis illis imperabit? Audi sunt & hoc dicere, quod scriptum est: *Quod cum subiecerit ipsi omnia, tunc & ipse filius subiicietur ei, cui subiicit omnia.* Hoc verò (inquiūt) significat, quod filius resoluetur in patrē. Tūm verò, ô stultissimi omnium hominum (inquit Cyrillus) vos quidem cum sitis Christi opificia, manebitis: Christus verò, per quem & vos, & omnia facta sunt, peribit? Blasphema est vox ista. Quomodo autē subiicientur ipsi omnia, perdita, aut manētia: & alia quidē Deo subiecta manēt, filius autē ei minimè subiicitur? Subiicietur autē, nō quod tūc incipiat obedire patri: semper enim ipsi placencia facit: sed quod etiā tūc obediet. Neq; verò coactā habet obedientiā, sed spontaneā obsequendi volūtatem. Non enim seruus est, vt cogatur subesse: sed filius est, vt voluntariè & ex amore obsequatur. Gregorius Nyssenus vnico tractatu hæc Pauli verba explicans, subiectionis significationem distinguit, in iis quæ vi quidem victorum do-

*Hæresis quod Christi regnum desinat iudicio facto.*

*Quomodo sit subiicietur omnia filio.*

*Gregorius Nyssenus.*

natur, & inuiti & coacti succumbunt: in brutis etiam animantibus, quæ quòd ratione careat, fœliciore & perfectiore hominis ingenio subiguntur: quibus modis indignum est arbitrari filium patri subiici. Cùm etiam si ipse Mariæ & Ioseph subiectus aliquando fuisse legatur, non coacto tamen, sed prout adolescentulum decebat, vt per suam vitam exemplum disciplinæ atque modestiæ præberet. Ergo quoniã nullo eorũ modo filius subiicietur patri, illius interpretationem requiri monet, ex priorè Pauli sententiã. Ille quidem contra Corinthios de fide resurrectionis differebat, Christũ quidẽ resurrexisse, & proinde omnes nos resurrekturos concludens. Quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum, inquit. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur, vnusquisq; autẽ in suo ordine. Primitiæ Christus: deinde ij qui sunt Christi, q̄ in aduẽtũ eius crediderunt. Deinde finis, cùm tradiderit regnum Deo & Patri, cùm euacuauerit omnem principatũ, & potestatem, & virtutem. Oportet autem illum regnare, donec ponat inimicos suos sub pedibus eius. Nouissimè autem inimica destruetur mors. Omnia enim subiecit sub pedibus eius. Cùm autem dicat, Omnia subiecta sunt ei: sine dubio præter eum qui subiecit ei omnia. Cum autem subiecta fuerint illi omnia, tunc & ipse filius subiicietur illi, qui subiecit sibi omnia, vt sit Deus omnia in omnibus. Hæc Paulus. Ex quibus manifestum est,

Psal. 109.

Heb. 1. &amp;

10.

Psal. 8.

Heb. 2.

subiectionem illam de Christi corpore, quod Ecclesia intelligi Primitiæ Christus resurrexit (inquit) deinde qui sunt Christi, resurgent. Iã in Christo impletũ est, quòd est ipsius gloriæ: iam resurrexit, iã in cœlũ ascēdit, iã ascendit à dextris Dei, quid ergo superest, nisi quod impleatur in membris eius? Ideò scilicet inimicos *Subiectio fiet in membris eius? Ideò scilicet inimicos* prosternet & nouissimam mortem tandem *lij i ratione membrorum.* destruet. Num sui ipsius ratione illam destruxit, cùm mortuus est, & tertia die resurrexit? Sed nondum hoc in nobis perficitur, donec corruptibile hoc nostrũ induerit incorruptionem. *I. Cor. 15.* Tunc enim fiet sermo qui scriptus est, Absorpta est mors in victoria. Vbi est mors victoria tua, vbi est mors stimulus tuus? In sui quidem ipsius respectu Christus mortem vicit: destruet autem ipsam penitus, cùm electos suos excitabit, & omnia sibi in iudicio subiiciet. Vides vt hæc de membris Christi dicantur? Itaque cùm ille sibi omnes electos subiecerit, sibi assumpserit è terra rediuuos: tũc & ipse Vnum cum electis subiicietur patri: id est, ipse corpus suũ, & vniuersitatem illam membrorum patri subiiciet, vt sit omnia in omnibus: id est, vt sit connexio quædam electorum cum Deo, ad illius instar quæ cum Christo est. Nam (vt scribit Gregorius Nyssenus) per hunc eundem intellectum Dominus mediator Dei & hominum nuncupatur: quòd secus omnes vnit, & per se cum patre: quemadmodum Dominus ipse inquit in Euangelio, ad Patrem verba faciens: Vt omnes vnum sint, sicut tu in me, &

ego in te : quoniam per seipsum eam quæ cum patre est, coniunctionem & commissuram nostri efficit. Itaque nostra subiectio quodammodo de eo dicitur, & ad ipsum refertur. Sic enim & ille in membris patitur, & in minimis esurit, sitit, & in illis etiam pascitur & potatur, ut idem ipse testatus est, sed & in Paulo loquebatur, & viuebat. Nimirum etiã subiectio Pauli, qua Deo subditus fuit, ad eum qui in ipso viuit, rationem habet : qui in Paulo & loquitur, & operatur bona. Sic ergo filius subiectetur Patri, cum corpus ipsius, Ecclesia nimirum, & membra illa mystica omnia Deo submittentur. Anastasius Antiochenus libro quinto de rectis dogmatibus, nostræ conspersionis primitias vocat, quas Christus offerens, seipsum etiam offerre dicitur. Hoc autem maxime, cum electorum omnium numerus completus fuerit, tunc enim adducet, offeretque Patri summam sibi ex integro promissæ hereditatis. Est enim & hoc pollicitus, dicens, Cum exaltatus fuero, omnes traham ad meipsum. Tunc ei quoque inimici eius prosterentur, illi quidem inuiti, hi autem ultronei. Nec esse prorsus fuerit à terra ut deficient, peccatores, atque præfinitæ legis transgressores, ita ut non sint.

Anastasius  
Antioche-  
nus.

Cyillus in  
catech.

Ab his verò, qui regnum Christi hucusque circumscribunt, Donec ponat inimicos suos sub pedibus suis, quasi nec amplius postea regnatus sit: quærendum est (inquit Cyrillus) Quousque, & Donec, quotuplex sit in scripturis.

Nam si donec finem semper designat, quomodo istud etiam Pauli interpretabuntur, Regnauit mors ab Adam usque ad Christum. Nunquid usque tunc moriebantur, & post Christum non amplius quisquam mortuus est? vel, An post legem non erat amplius mors hominum? Accipe & aliam similem phrasim. Nam usque ad hodiernum diem quando legitur Moses, velamen in cordibus illorum positum est. Nunquid igitur illud usque ad Paulum, vel usque ad hodiernum diem, sic intelligendum est, ut non etiam nostris temporibus corda Iudeorum velamine obducantur? Quod si ubique aduerbium Donec igitur, tempus circumscribendum est, quæ non absurda consequantur? Sic enim Heluidianus Mariæ virginitatem impugnavit, cum scriptum sit, Ioseph accepit coniugem suam, & non cognouit eam, donec peperit filium suum primogenitum. Quasi verò postea illam cognouerit, quia nec cognouisse legitur, quousque Christum pareret. Sed & cum scribit Ioannes, Christum Petro hæc dixisse, Non cantabit gallus donec ter me neges: idcirco galli cantum trina illa negatio peracta desitutum intelligebat? An non etiam nunc auditur? Ne quis ergo hanc particulam sic dici arbitretur, ut non sit etiam consequentia temporis circumscripta. An verò ad emphasim valet, Ut quid maxime innotescat eo tempore quod exprimitur. Sic enim maxime sanctissimæ matris Dei immaculata virginitas in partu innotuit, sic galli

Donec &  
quousque; nõ  
semper cir-  
cumscribitur  
tempus.

Donec

Math. I.

cātus in trina negatione expressus est, & Christi regnum tunc potissimum manifestabitur, cum sibi subiecerit omnia.

*Quis fructus ex meditatione secundi aduentus.*

*Quis peccatoribus.*

Cæterum hæc secundi aduentus, & æterni Christi regni meditatio, & impiis magnum terrorem, & iustis magnam confidentiam ingerit. Quis enim (vt meditatatur Gregorius Nissenus in Psalmum sextum) si terribilis Christi iudicij recordetur, non statim in conscientia sua quasi conuellitur? non angore & terrore constringitur? Quis, etiamsi vitæ melius quàm deterius actu, sibi conscius sit, attamen ad exactam diligentiam & rigorem iudicij respiciens, in quo minimæ quoque culpæ in quæstionem adducuntur, non consternatur, ac prorsus expectatione terribilium pœnarum perhorrescit, ignorans quisnam sibi iudicij exitus & euentus futurus sit? Pugnemus igitur fratres (inquit Cyrillus) ne Deus nos damnet, qui inquisitione aut redargutionibus non eget. Ne dicas, Nocte sum fornicatus, vel incantationibus aliisquæ eiusmodi vacabam, & nemo isthic hominum aderat: siquidem ex conscientia tua iudicaberis in medio cogitationum accusantium aut defendentium, in die qua iudicabit Deus occultariorum. Immò verò etiamsi tacuerit, arguet te: Circundatus enim tuis ipsius operibus excitaberis. Interim verò nec piis afflictis, nec iustis hominibus deest consolatio, quibus magna hoc in iudicio merces reponitur. Non enim præfert iudex sapientes, neque diuites

*Quis fructus sui.*

pauperibus. Siue seruus fueris, siue pauper, ne timeas: qui formam serui in se recepit, te seruum non contemnet. Etiamsi pistrino seruias, non despiciet te, qui educit vinctos in fortitudine. Qui Ioseph è seruitute & carcere in regem prouexit, & te liberabit ab his tribulationibus, adducetque in regnum cælorum. Tantummodò confide, tantum operare, tantum promptè decerta: nihil enim eorum perdetur. Inscripta est omnis tua oratio & psalmodia, descriptæ eleemosynæ, ieiunia, & cætera omnia pietatis opera, vt à Deo coronam incorruptibilem accipias, & æterna hereditate perfruaris.

*De spiritu sancto, quàm varia significet Spiritus: confirmatur diuinitas spiritus sancti multis argumentis: quodq; viuificet omnia, procedat à Patre & filio, & cum utroque adorari debeat.*



VI mare nauigant, prosperum ventum desiderant: nos autem Spiritum sanctum, cuius ductu post magnas huius seculi tempestates, in tutum salutis portum perueniamus. Quid enim est nautis ventus, quid non omnibus nobis, quid non toti orbi magis sit Spiritus sanctus? Immò magis est, quàm anima corpori? Animam tolle à corpore, quid illud nisi cadauer?

*Ventus.*

*Anima.*

Tolle Spiritum Dei à creatura, quid illa nisi in nihilum conuertatur? Ait enim Psaltes, Emitte spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terre. Et rursus, Tollente te manum tuam, turbabuntur, & in puluerem suum reuertentur. Eapropter vt digitus, ita & manus Dei dicitur, qua confortentur omnia. Sic de Ioanne Baptista dicitur, Puer crescebat, & confortabatur spiritu, quia manus Domini erat cum eo. Hoc etiam in mysterio Helisæi temporibus innotuit. Congregatis enim in prælium tribus regibus, Israël, Iuda & Edom, contra regem Moab, & in ipso Idumeeq; deserto omnibus aquis deficientibus, Helisæus vocatus est: qui cum Psaltem acciri, ipsumque canere iussisset, facta est super eum manus Domini: & ait, Hæc dicit Dominus, facite alueum torrentis huius fossas & fossas. Hæc enim dicit Dominus: Non videbitis ventum neque pluuiam, & alueus iste replebitur aquis, & bibetis vos & familiæ vestræ, & iumenta vestra. Hoc quidem beneficium manus illa Domini, ille Spiritus contulit, qui & nobis esurientibus æterna illa sapientiæ fluenta nobis communicat, per quem Dominus ipse super aquam refectionis educauit nos, animas nostras conuertit. Quanta ergo fiducia nos & Spiritum sanctum agnoscere, in illum sperare, eundemq; confiteri debemus? Itaque cum patrem agnouerimus, & filium eius Iesum Christum Deum de Deo, lumen de lumine superest vt

Luc. 2.

4. Reg. 3.

Manus domini spiritum tuum designat.

ad sanam integram diuinæ Trinitatis fidem etiam Spiritum sanctum verum Deum fateamur. Hoc ergo fidei nostræ articulus designat, cum & ex Apostolico, & Constantinopolitano Symbolo, Credimus in Spiritum sanctum, Dominum, & viuificantem. Hanc Hebræi רוח רוח, Græci πνεῦμα vocant. Licet tamen non secundum id quod refertur ad aliquid, sed secundum id quod aliqua natura significatur, omne quod incorporeum est, Spiritus in scripturis appelletur, vt ad Pascentium comitem hæreseos Arianæ scripsit Augustinus. Sic Psaltes cecinit, Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis. Et de hominibus, Quia caro sunt, spiritus vadens, & non rediens. Sed & Paulus, Nemo scit (inquit) quid agatur in homine, nisi spiritus hominis qui in illo est. Et Ecclesiastes, Quis scit spiritus hominum si ascendat sursum, aut pecorum si descendat deorsum? Dicitur & secundum quandam distinctionem in ipsa vnus hominis anima: vt integer spiritus vester & anima, in diem Domini nostri Iesu Christi seruetur. Et alibi, Si orauero lingua, spiritus meus orat, mens autem mea infructuosa est. Quid ergo? Orabo spiritu, orabo & mente. Proprio autem modo dicitur Spiritus sanctus, secundum quod refertur ad patrem & filium, quod ab vtroque spiritetur & procedat. Nam secundum substantiam, spiritus est Deus: & Pater spiritus est, & Filius, & Spiritus sanctus, nec tamen tres Spiritus, sed vnus Spiritus, sicut non tres dii, sed vnus

Spiritus sancti nomen varia significat.

Epist. 174.

Psal. 103.

Psal. 77.

1. Cor. 4.

Eccl. 3.

1. Thess. 5.

1. Cor. 4.

*Spiritus re  
latiue di-  
&us quid.*

*1. Cor. 5.*

*Psal. 47.*

*1. Cor. 14.*

*Esai. 27.*

*Serm. de  
spir. san.*

*Vergil.*

*Lact. lib. 1.*

*Instit. c. 5.*

*Spir. san-  
ctus Domi-  
nus.*

*Idem Ana-*

*stasius An-*

*tiochen. lib.*

*1. de sanis*

*dogmat.*

*Thren. 3.*

*Esai. 6.*

est Deus. At verò cum relatiue dicitur spiritus ad eos qui spirant, tertiam in diuinis personam significat. Chrysostomus homelia de incomprehensibili Dei natura, contra Anomeos, hanc distinctionem sequitur. Nam Spiritum modò pro animo sumi, vt cum Paulus ait, Mandauit tradere Sathanæ, vt spiritus saluus sit: modò pro vento, vt cum Psaltes, In spiritu vehementi conteres naues Tharsis: modò pro dono, vt cum Apostolus, Ipse spiritus (inquit) contestatur spiritui nostro: modò etiam pro ira, vt apud Esaiam, Meditatus est in spiritu suo duro per diem æstus. Dicuntur & Angeli spiritus. Cyrillus Spiritum sanctum à Philosophis animam mundi dictum censet, de quo nimirum Poëta,

*Principio cælum & terram, campòsque liquentes,  
Lucentemque globum luna, Titaniæque astra  
Spiritus intus agit, totamque infusa per artus  
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.*

Quod maximè Pythagoras asseruit, Deum scilicet animũ esse, qui per vniuersas mundi partes, omnemque naturam commens atq; diffusus est, ex quo omnia quæ nascuntur animalia vitam capiant. Hoc etiam Basilius libro tertio in Eunomium confirmat: Nomen enim spiritus, & sanctus, & domini, tribus personis commune esse posse docet. Nam & Christus, spiritus in Threnis nuncupatur, cum dicitur, Spiritus oris nostri Christus captiuus ductus est in peccatis nostris. Sed & ter sanctus Dominus Deus sabaoth legitur apud Esaiam, ad

exprimendum sanctæ Trinitatis mysterium. Propriè tamen ipse vocatur sanctus (inquit Augustinus) tanquam sanctitas substantialis, & consubstantialis amborum: non quòd amborum qualitas sit, sed ipsa quoque substantia, & tertia in Trinitate persona. Origenes homelia vndecima in Numeros, Spiritum ita sanctum esse docet, vt non sit sanctificatus. Non enim extrinsecus & aliunde accessit sanctificatio, quæ antè non fuerat, sed semper fuit sanctus, nec initiũ sanctitatis eius accepit. Et quidem rectè sanctus, non in se modò, sed & in effectu, quoniam per ipsum efficimur sancti, vt à quo in animas nostras omne bonum proficiscitur. Quoniam verò permulti eo tempore, quo Nicena & Constantinopolitana synodus congregata est, tremendam illam Spiritus sancti maiestatem impugnabant, ideò quid de eo credendum sit, fufius expressit. Nam & dominũ, & viuificantem vocat. Basilius libro de Spiritu sancto ad Amphiloichium, & epistola septuagesima octaua ad Eustathium Episcopum Sebastia, scribit ante Nicenam non fuisse disputatum de Spiritu sancto: quòd post acceptam Euangelij doctrinam rata & indubia fides fuerit de diuinitate Spiritus sancti. Hoc enim nobis illa contulit, vt Deum, maximè verò magnum illud Trinitatis mysteriũ plenius agnosceremus. Si quidem vix istud Iudæi intellexerunt, vt ex Actorum historia colligi potest. Nam cum Paulus Ephesi quosdam ex discipulis inuenisset, dixit ad eos, Si Spiritum sanctum

*Cur san-  
ctus.*

*Li. 11. de ci-  
uit Dei. ca.*

*24.*

*Origenes.*

*In cap. 18.*

*Basilius.*

*Act. 19.*

accepistis credentes? Illi verò responderunt: Sed neq; si Spiritus sanctus est, audiuius. In quo ergo baptisati estis, inquit Paulus? Et illi, In Ioannis baptisate. Quos cum tandem catechisasset Paulus, etiã sacro baptisate abluir, vt in fidelium numerum coaptarentur. Philo tamen & ipse Iudæus in libro de Gigantibus, Spiritum immortalem scientiam vocat, sapientiam, diuinum, insecabilem, implentem omnia, qui profitur omnibus absque suo detrimento. Cæterum, vt docet Christus, spiritus

1. Deus est, & eos qui adorant, in spiritu & veritate adorare oportet: vt Deum in Trinitate adorandum moneret. Nam veritas filius est, qui se & viam, & veritatem, & vitam asseruit: & de Patre querebatur, cum Christus hæc astrueret: Venit hora, quando nec in monte hoc, neque Hierosolymis adorabitis patrem. Ergo cum Pater in veritate, filio, & Spiritu sancto adorandus sit, quomodo non etiam Spiritus sanctus Deus est? Hoc argumentum ex Basilio depromitur, vbi & hæc concludit. Nec cum audierit quis Spiritum, naturam loco circumscriptam, aut mutationi obnoxiam putet, aut omninò cogitet creaturæ similem, sed æternam & incircumscriptam. Atque, vt alias rationes persequar, quibus ab antiquis Patribus Spiritus sancti diuinitas astruitur, idem ipse Basilius libro quinto in Eunomium sic ratiocinatur: Quod à Deo indiuisibile est, Deus est, cum sit omninò simplex & incompressus. Talem autem esse Spiritum sanctum docet Apo-

An Iudæi  
cognouerint  
spiritum sanctum  
Philo Iud.

Rationes  
quibus spiritus  
sancti diuinitas  
patet.

Io. 5.

1. Adoratur  
Deus in spi-  
ritu & ve-  
ritate.

Lib. de spi-  
ritu sancto  
ad Amphio-  
loch. c. 9.

2. Spiritus est  
à Deo indi-  
uisibilis.

Rom. 8.

stolus: Si quis (inquit) spiritum Dei non habet, hic non est eius. Et rursus, Dominus spiritus est: vbi spiritus Domini, ibi & libertas. 2. Cor. 3.

Gregorius Nyssenus sermone de sancto Stephano, Extra solis radios (inquit) nemo solem contemplatur, sunt enim illi contemporanei: sed extra Spiritum sanctum non cognoscitur pater & Filius: ex quo sequitur, & his illum esse coæternum. Coæternum autem Deo quid est, nisi & ipse Deus? Probat autem extra Spiritum sanctum minimè Deum cognosci, cum ipse sit illud lumen, de quo Psaltes, In lumine tuo videbimus lumen. Vnde & Paulus scribit, Neminem dicere Iesum, nisi in Spiritu sancto. 3. Est coæternus patri.

Amplius talem conclusionem elicit Athanasius libro de communi essentia Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Deus solus vbiq; est: talis autè est Spiritus sanctus. David enim, Quò ibo (inquit) à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? si ascendero in cælum, tu illic es: si descendero in infernum, ades. 4. Vigil. in Eutych. Spiritus ubiq; est.

Denique, vt differit Eugenius Carthaginensis, lib. primo de fide Catholica, vnus est creator, & idem vnus omnibus prouidet. Hūc autem etiam Spiritum sanctum vocat Psaltes: Verbo Domini cæli firmati sunt (inquit) & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Sed &, vt scribit Gregorius Nyssenus ad Adlabium, tres dici Deos non oportere, occulta quis intelligit? Num solus Deus scrutator cordium, cui soli reuelantur cogitationes? In quem magis mendacium erigitur, quàm in illum qui verax 5. Est creator. 6. Est scrutator cordium.

est? in quem tentatio, quam in perfectissimum? Hæc autem omnia in Spiritum sanctum redundare docuit Petrus, cum sic corripere Ananiam: Cur tentauit Sathanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto, & fraudare de pretio agri? Non mentitus es hominibus (inquit) sed Deo. Quod si Deo mentitus est, quia & Spiritui sancto, ex hoc sanè consequitur Spiritus sancti manifestissima diuinitas.

Act. 5.

7. Neque verò nomen salutis initium sumit à creatura, sed ab ipso creatore, & totius boni opifice. Atque nomen hoc Christus est: nec enim est aliud sub cælo datum hominibus, in quo nos oporteat saluos fieri. Hoc autem ab vnctione dicitur, quæ à Spiritu sancto effunditur. Ait enim apud Esaiam, Spiritus Domini super me, eò quòd vnxit me. Et Petrus, Hunc vnxit Deus Spiritu sancto. Itaque ab illo spiritu nostræ redemptionis insigne nuncupatur.

Nomen salutis ab eo ducitur.

Act. 10.

Est purificator.

Tit. 3.

Io 3.

9. Per illum remittuntur peccata.

Denique, quis nisi Deus per Prophetam ait, Ego solus deleo iniquitates? Id autem per Spi-

ritum sanctum homini donari, Christus docuit, cum in Apostolos insufflauit, dicens, Accipite Spiritum sanctum. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: quorum retinueritis, retenta sunt.

Sed & resurrectio non alterius quàm Dei opus est: quam tamen Paulus per Spiritum sanctum perfici scribit. Nam qui suscitauit Iesum à mortuis, suscitabit (inquit) & mortalia corpora vestra, propter habitantem Spiritum sanctum in vobis.

10. Resurrectio à Spiritu sancto. 1. Cor. 15.

Amplius, corpora nostra simul templum Dei & templum Spiritus sancti esse dicuntur: dicuntur & membra Christi, vtique cum Deo vni consecratur. Ex quo Athanasius libro suo ad Serapionem, Spiritum sanctum non esse creaturam colligit.

11. Corpora nostra illi sanctantur.

Rursus, cum in diuinis nulla sit æquiuocatio, quorum nomen vnum est, ratio quoque substantiæ eadem est. At verò vnum & idem est nomen Patris, & Filij, & Spiritus sancti: nomen, inquam, substantiæ & maiestatis, vt ex Baptismi forma à Christo præscripta didicimus. Iubet enim baptizare in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Non in manibus, cum nomen non personas, sed vnicam & simplicissimam essentiam demonstret.

12.

Vnum nomen est Patris, Filij, &amp; Spiritus sancti.

Apertissimè verò Ioannes: Tres sunt (inquit) qui testimonium dant in cælo, & hi tres vnum sunt.

13. 1. Io. 5.

Aliis etiam rationibus hoc confirmat Basilius. Quis enim Christi incarnationis author

14. Lib. 5. contra Eunomium.



est, nisi Deus? Quæ autem summa alia virtus illam operata est? Hoc autem Spiritui sancto tribuitur, cum dicat Angelus, Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi.

15. Quis est verò digitus Dei, quæ Dei manus, nisi ipse Deus? Cuius etiã nisi Dei virtute Christus miracula operabatur? Hæc sanè Spiritui sancto accepta tulit, cum diceret, Si in digito & in spiritu Dei eiicio dæmonia, profectò peruenit in vos regnum Dei.

16. Quis operatur omnia in omnibus, nisi Deus, qui est omnia in omnibus? Quod sanè de Spiritu sancto scripsit Apostolus, Vnum illum & eundem operari in omnibus & singulis, prout vult.

10.3. 17. Nec quidem est nisi vnica omnium causa liberrima, quam etiam Spiritum sanctum esse Christus pronuntiauit, dicēs. Spiritus vbi vult spirat, & vocem eius audis, & nescis vnde veniat, aut quò vadat.

18. Et ne quis de eius maiestate dubitaret, hic in columbæ specie super Christum descēdit, cum baptisaretur à Ioãne in Iordane: vt ab ipso non modò visibilem hanc mundi molem, sed & spiritualia quæque perfici intelligeremus.

19. Postremò, si offenderit vir in virum, remittetur ei: si autem in Deum, quis orabit pro eo? Porro peccatum in Spiritum sanctum irremissibile sancit Christus, quod neque in hoc, neque in futuro seculo remittatur. Quomodo non ergo Spiritum sanctum supremum esse Deum

Deum docuit? Itaque rectè illum Dominum agnoscimus, & Deum: hoc enim nomine Paulus Spiritum sanctum designat. vt cum ait, Dominus dirigat corda nostra in dilectionē Dei, 2. Thess. 2. & patiētiā Christi. Quænam autem alia persona est à Patre, & Filio, quæ Dominus vocetur, nisi Spiritus sanctus? Hoc Basiliius elicit: cui & istud annectere possumus, quod alibi Paulus ait, Dominus spiritus est. Cap. 1. l. de Spiritu ss. 2. Cor. 3.

Et primùm quidem ante Nicenam Synodum de eius maiestate minimè quærebatur: paulatim verò impietatis dogmata sese exeruerunt, quæ primùm quidem ab Ario hæresis authore seminata, postea verò ab aliis, qui impia Arii commenta susceperunt, ad perniciem Ecclesiarum nutrita sunt. Quo magis ergo fidem hanc Ecclesia credentiū cordibus imprimeret, Constantinopolitanum etiã agnouit *Spiritum viuificantem*. Hoc ad differentiam spiritus creati: *viuificans spirit. Deus* qui etsi viuit, non tamen ea vita viuificat, quæ spiritus creator. Viuificat enim quod in se est fons vitæ, quem Psaltes his verbis agnoscit: Quoniam in te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. Hic in principio ferebatur super aquas, & vt in Hebræo legitur, מֵרָחֵץ מֵרָחֵץ Mera hephet, incubabat, seu confouebat, in similitudinem volucris, oua calore animante. Ex quo intelligimus non de spiritu mundi dici, vt nonnulli arbitrantur, sed de Spiritu sancto, qui & ipse viuificator omnium à principio dicitur: si autem viuificator, consequenter & conditor: quòd si conditor, & Deus. Vnde

*Psal. 103.*  
*Iunilius Africanus li. comment. in Gen.*

& Psaltes, Emitte spiritum tuum, & creabuntur. Non autem pueriliter opinandum est (inquit Iunilius) quod Spiritus creator, de quo scriptum est, Quia spiritus Dei repleuit orbem terrarum, positione loci his quæ erant creanda, superferretur: sed intelligendū potius quod diuina potestate præcelleret creaturis, ad illustrandam abyssum, secernendas aquas in vnum locum, vt appareret arida.

*Tribus modis viuificat, vitam naturæ, gratiæ, & gloriæ.*  
*Psal. 50.*

Neque verò tantum viuificantem illū agnoscimus, propter hanc naturæ vitam, cuius author est, sed & propter vitam gratiæ & gloriæ. Eapropter cum peccator David magnam gratiam imploraret, spiritum illum exoptauit, simul etiam venturum Christum insinuans, cum ait: Redde mihi læticiam salutaris tui, & spiritu principali cōfirma me. Hebraica lectio habet, וְרוּחַ נְדִיבָה תִּסְמְכֵנִי, Veruha nediua tismekeni, id est, Spiritus voluntarius cōfirmet me: quod per ipsum voluntas nostra in bonum erigatur & confirmetur. Operatur enim in nobis velle & perficere pro bona voluntate. Ad eum itaque omnia gratiarum dona referuntur: à quibus etiam apud Esaiam denominatur Spiritus sapiētiae & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & spiritus timoris Domini. Alij enim (vt inquit Paulus) datur sermo scientiæ, alij sermo scientiæ secundum eundem spiritum, alteri fides in eodem spiritu, alij gratia sanitarum, alij operatio virtutum, alij prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio ser-

*Esai. 11.**1. Cor. 12.**August. l. 1. de incarnat. verbi cap. 18.*

monum. Hæc autem omnia operatur vnus atque idem spiritus, diuidēs singulis prout vult. Hic est ille spiritus scientiæ in Salomone: scientiæ in Beseleel, cum dicat, Ecce impleui Beseleel spiritu Dei: Spiritus consilij in Mose & septuaginta iudicibus: fortitudinis in Iosue, quo profligatis regibus victorem Israëlē reddidit, & Iordanem transiit: idem etiam in Gedeone & Samsone cum hæc legantur: Tolle Iosue filiū Num, in quo est spiritus Dei. Etiam & de Gedeone: Spiritus Domini induit Gedeonem, qui clangens buccina, cum trecentis hominibus ducenta millia Madianitarum peremit. De Samsone verò: Irruit spiritus Domini in Samsone, & lacerauit Leonem. Hic est spiritus pietatis in Tobia, spiritus timoris in Simeone iusto & timorato, qui & expectabat redemptionem Israël Ergo omnia gratiarum dona ab eo proficisci credimus. Si quis patiens est in aduersis, hoc habet à Spiritu sancto, vt Iob: si quis doctus est illa scientia quæ charitati annexa est, vt Salomon, qui de cedro ad hyssopum vsque differuit, hoc habet ab eodē spiritu. Hic est spiritus disciplinæ effugiens fictum: cum maleuolam animam non adeat, nec corpus subditum peccatis. Per eum loquebatur aīna, & arguebat Prophetæ insipientiam: Per eum Apostoli quin & collato Spiritu sancto, fideles olim variis linguis loquebātur magalia Dei. Ad illum necessaria gratiarum dona reuocantur, sine quibus salui esse non possumus. Nam sanguis Christi per Spiritum san-

*3. Reg. 8.**Exod. 31.**Num. 11.**Nam. 27.**Iud. 6.**Iud. 14.**Luc. 2.**Num. 22.**Math. 10.**Act. 2.**8.*

Etum oblatum est (inquit Paulus) & emundat  
 conscientiam nostram ab operibus mortuis.  
 Ab huius virtute pēdet baptisma: vnde & spi-  
 ritus adoptionis dicitur, quem qui non habēt,  
 hi non sunt Christi. Quinetiam charitas diffu-  
 sa est in cordibus nostris per Spiritum sanctū  
 qui datus est nobis. Denique nulla est pecca-  
 torum remissio, aut sacramentorum admini-  
 stratio sine Spiritu sancto. Hunc Augustinus  
 in Epistola ad Bonifacium docet, non nisi in  
 vno corpore, in vna nimirum Ecclesia, viuifi-  
 cari. Cuius quidem hæretici habent quidem  
 foris sacramentum (inquit) sed rem ipsam in-  
 tus non tenent, cuius est sacramentum, & ideo  
 sibi iudicium manducant & bibunt. Denique  
 ab eo vita gloriæ donatur: de quo & Psaltes,  
 Spiritus tuus bonus deducet me in terram re-  
 ctam. Idcirco in mysterio, Stephanus cum es-  
 set plenus Spiritu sancto, vidit gloriam Dei. Si  
 enim noster oculus incapax est soli cōspicien-  
 do, nisi mediante nubecula, aut vitro: multò  
 minus anima nostra in Deum perfectè eleua-  
 bitur, nisi radius gloriæ, & Spiritu sancti do-  
 num concurrunt. Itaque cum vita naturæ, gra-  
 tiæ & gloriæ ab eius donatione pendeat: quo-  
 modo non ipsum rectè viuificantem agnosca-  
 mus? Additur, *Qui ex patre filioque procedit.* Hoc  
 etiam Iustinus Martyr in libro de Trinitate his  
 Apostoli sententiis confirmat. Tres primùm  
 elicit personas his verbis: Qui autem confir-  
 mat nos vobiscum in Christo, & qui vnxit nos  
 Deus, & qui signauit nos, & dedit pignus Spi-

Heb. 9.

Rom. 8.

Rom. 5.

Sine spiri-

tuffancto nō

est peccato-

rū remissio.

Epist. 50.

2. Cor. 1.

Spiritus. à

patre &amp; fi-

lio procedit.

ritus in cordibus nostris? vbi tres colliguntur,  
 is nimirum qui dat spiritum, & confirmat nos,  
 Christus in quo confirmamur, & Spiritus, cu-  
 ius pignus in cordibus nostris accepimus. Pro-  
 bat & Spiritum sanctum à Patre filioq; proce-  
 dere, cum modò spiritus Patris, modò spiritus,  
 filii dicatur. Sic Paulus in Epistola ad Galatas,  
 Misit Deus spiritum filii sui in corda vestra,  
 clamantē Abba pater. Et in alia Epistola: Non  
 enim accepistis spiritum huius mundi, sed spi-  
 ritum Dei patris. Quin & filius eum spiritum *Galat. 4.*  
 veritatis dicit, vt qui à se qui veritas est, proce- *1. Cor. 2.*  
 dit. Ait enim, Cum venerit ille spiritus verita- *Ioan. 14.*  
 tis, qui à Patre procedit, ille testimonium per-  
 hibebit de me. Augustinus lib. secundo de sym-  
 bolo ad Catechumenos, Quomodo (inquit) *Cap. 9.*  
 Spiritus sanctus est in Patre? filium audi: Speri- *Ioan. 15.*  
 tus qui procedit à Patre, ipse introducet vos in  
 omnem veritatē. Quomodo in Filio? Ipse in-  
 sufflauit in faciē discipulorum, & ait illis, Ac-  
 cipite Spiritum sanctum. Quomodo est spiri-  
 tus Patris? Ipse Dominus in Euangelio ait, Non  
 vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris qui *Matth. 10.*  
 loquitur in vobis, Quomodo est spiritus filii? *Rom. 8.*  
 Apostolus dicit, Si quis spiritum Christi non  
 habet, hic non est eius.

Cæterum Anastasius Antiochenus: Licet, in-  
 quit, voces istæ generatio & processio diuersæ *Li. 1. de ve-*  
 sint, minimè tamen essentiæ differentiā decla- *ris dogma-*  
 rant, sed personæ. Alia est enim persona Patris, *tibus.*  
 alia Filii, alia Spiritu sancti: & tamen Deus Pa-  
 ter, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus, non ta-

Nicetas li.  
2. thesauri

Catech. 16.

Iustinus  
Martyr.

Lib. 15. de  
Trin. c. 26.

Quando pro-  
cessit non  
querendū.

men tres dij, sed vnus est Deus. Videmus enim (inquit Nicetas Acominatus) vt hæc inseparabiliter hæreant, ignis lux & calor: quæ cum ratione diuersa sint, essentiam tamen vnã habent: sit autem ignis ad Patris, lux ad verbi, calor ad Spiritus sancti typum exprimendum. Dicitur & Spiritus sanctus amor: à quo etiam est, vt nos nobis & aliis charitatis vinculo cohæreamus. Atque hæc quidem scire sufficit, inquit Cyrillus. Naturam autem & substantiam spiritus ne curiosè scrutaris: Scrutator enim maiestatis opprimetur à gloria. Iustinus Martyr concione in Gentes, scribit Platonem in Mennone, & libro de virtute & memoria, gratiam Spiritus sancti virtutem vocasse, non quæ acquiratur, sed infundatur, vt felicitas, à Deo. Neque verò nos intellecturos quomodo infundatur, si modò queramus quid essentialiter sit virtus. Quanto minus igitur abstrusam illam Spiritus sancti à Patre & Filio processionem, nisi fidei obsequio tenebimus? Numquid enim (vt verbis vtatur Augustini) possumus querere, vtrum iam processerat de Patre Spiritus sanctus, quando natus est Filius: aut nondum processerat, & illo nato de vtroq; processit, vbi nulla sunt tempora? Non possunt ista ibi queri, vbi nihil in tempore inchoatur, vt in consequenti tempore perficiatur. Quapropter qui potest intelligere sine tempore generationem Filij de Patre, intelligat sine tempore processionem Spiritus sancti de vtroque. Et qui potest intelligere in eo quòd ait

Filius, Sicut habet Pater vitam in semetipso, sic dedit & Filio vitam habere in semetipso: non sine vita existenti iam Filio vitam Patrem dedisse, sed eum ita sine tempore genuisse, vt vita, quam Pater Filio gignendo dedit, coætterna sit vitæ Patris qui dedit: Intelligat quoque, sicut habet Pater in semetipso, vt de illo procedat Spiritus sanctus, idem etiam sic Filio dedisse, vt Spiritus sanctus ab vtroque sine tempore procedat. Et libro quinto de Trinitate: Si verò & quod datur, principium habet, eum à quo datur, quia nõ aliunde accepit illud quod ab ipso procedit, fatendum est Patrẽ & Filium principium esse Spiritus sancti, non duo principia: sed sicut Pater & Filius vnus Deus, & ad creaturã relatiuè vnus creator, & vnus Dominus, sic relatiuè ad Spiritum sanctũ vnũ principium. Ioannes Damascenus, coæternum illũ Patri his rationibus probat: Mês perfecta cum sit ad imaginem Dei, sine verbo & conceptu esse non potest: minus ergo Deus ipse sine verbo diuino, & immutabili. Est ergo illud Deo Patri coæternũ. Sed & oportet verbum ipsum spiritum habere: nam & verbum nostrum nequaquam spiritus est expers, licet in nobis spiritus alterius naturæ esse videatur: quod in Deo, qui omnibus incompositus est, locum non habet: Sicut ergo nec aliquando Patri verbum deest, ita neque Patri, neque Filio deest Spiritus sanctus. Iam cum verus Deus sit, rectè additur, *Qui cum Patre & Filio simul adoratur & conglorificatur.* Vna est enim trium gloria,

Ioan. 5.

August.  
Cap. 14.

Io. Damascenus.  
Lib. 1. de fide orthodoxæ.  
ca. 6. & 7.

*Athanas.* cum vnica sit maiestas. Athanasius librum edidit de cōmuni essentia Patris, & Filij, & Spiritus sancti, quo multis argumentis & scripturæ testimoniis vt tres personas, ita vnum Deū, vnam etiam trium gloriam esse confirmat. Vnus enim Dominus, vna fides, vnum baptisma, inquit Apostolus: idque secundum sanctificationem Cherubin. Nam & illi clamabant, Sanctus, sanctus, sanctus Dominus. Atqui nemo potest duobus Dominis seruire, nec simul duæ potestates coli possunt, nisi sint eiusdem ordinis: vbi enim par dignitas, par quoque adoratio. Non permisit tibi Christus diuidere honorem, cum diceret, hæc est voluntas Patris, vt honorent Filium, quemadmodum honorificant Patrem. Contumeliam in Filium Deus suam esse putat. Saluatoris enim verba sunt, Qui odit me, odit & Patrem meum. Sed & indeprecabilis est pœna blasphemantibus in Spiritum sanctum, vt quibus non remittatur nec in seculo, nec in futuro. Idem etiam Athanasius, quibusdam interiectis, Trinitatem à seipsa glorificari docet. Filius enim glorificat Patrem, cum id asserat, Glorificaui nomen tuum super terram. De Patre autem hæc restatur, Ego non quæro gloriam meam: est Pater meus qui glorificat me, quem dicitis quia Deus vester est. Pater autem dicit in Euangelio, Et glorificaui, & iterum glorificabo. Quod autem glorificatus sit Filius à Patre, & simul Pater à Filio, manifestum ex hac Christi oratione: Pater, clarifica Filium tuum,

Es. 6.

Ioan. 14.

vt & filius tuus clarificet te. Spiritus sanctus filium glorificat. Ait enim de Paracleto: Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Quod autem blasphemia in Spiritum sanctum non remittetur, id fit ob eius cum Patre & filio communionem, quodque nemo possit dicere Dominum Iesum, nisi in Spiritu sancto. Augustinus verò libro primo De Trinitate, ex eo maximè Spiritum sanctum Deum esse arguit, quod vera adoratio illi debeatur. Nam cum Apostolus eos detestaretur, qui seruierunt magis creaturæ quàm creatori, hæc tamen de Spiritu sancto docuit: Nos enim sumus circuncisio, spiritu Deo seruientes, quod est in Græco λατρεύοντες. Itaque non eo modo spiritu seruire monet, quo iubemur per charitatē seruire inuicem, quod est Græcè ἀγαπᾶν: sed eo modo quo Deo seruitur, quod est λατρεύειν. Vnde idololatræ dicuntur, qui simulachris eam seruitutem exhibent, quæ debetur Deo, secundum hanc enim seruitutem dictum est, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruiēs. Nā & hoc distinctius in Græca scriptura inuenitur: λατρεύσῃς enim habet. Itaque adorandus est Spiritus sanctus, inquit Epiphanius in Ancorato sermone: Qui enim adorant, eos in spiritu & veritate adorare oportet, vt docet Christus: nimirum quod vnus Deus in Trinitate adorandus est. Hoc etiam Ephesina Synodus, circa annum Domini 468 à ducentis Episcopis celebrata, Ephesina etiam autoritate Concilij Niceni confirmata.

Ioan. 9.

Cap. 6.

Phil. 3.

Galat. 5.

Math. 4.

Deut. 6. 10.

Epiphanius

Ephesina  
Synodus.

uit, ita ad Nestorium scribens: In confessione Nicenæ fidei hæc habentur. De spiritu quoque cum dicit, Ille me glorificabit, rectissime sentimus. Vnum Christum Dominum & filium à Spiritu sancto gloriam consecutum: quia eius spiritus nec melior, nec superior ipso est: sed quia humana opera faciens, ad demonstrationem suæ deitatis, virtute proprii spiritus utebatur. Nec verò spiritus sanctus alienius est à filio, licet in sua sit substantia & persona. Nā spiritus appellatus est veritatis & vëtris Christus. Itaque Deum in vnius substantiæ trinitate adoramus, Patrem & filium & Spiritum sanctum: sicut enim honor Patris & filij idem est, ita & Spiritus sancti.

*Quod spiritus sanctus locutus est per Prophetas: quodque Pseudopropheta, licet à spiritu maligno docerentur, sibi nomen spiritus sancti vendicarunt: & contra particularem inspirationem.*



**N**EMO sese naui committit, cui non aliquis patronus præfixus sit ut illam regat, & in tutum salutis portum deducat. Quis autem sese alicui Ecclesiæ, doctori aut Prophetæ totum deuouere audebit, quem non pietatis & veritatis spiritu duci intelligat? Fuerunt enim Pseudopropheta in populo sicut & in nobis magistri

mendaces, inquit Petrus, qui introducunt se-<sup>2. Petr. 2.</sup>tas perditionis, & eum qui emit eos, Dominum negant, superinducētes sibi celerem perditionem. Hos si quis interrogarit, quoniam spiritu ducantur, cum istud etiam iactabunt, quod olim Poëtæ,

*Est Deus in nobis, agitante calescimus illo?*

Ex eo nimirum, quod credimus in spiritum sanctum Dominum & viuificantem, qui locutus est per Prophetas: illi & de Prophetiæ dono, & accepto Spiritu sancto gloriantur. Verum multum interest,

*Dausne loquatur, an heros.*

Immò verò an veritatis, an verò mendacij spiritus loquatur. Nūquid enim sese Angelus Sathanæ transfiguratur in Angelum lucis? Num & ille sibi & veritatis & pietatis nomen arrogat, cum illam tamē omni sua industria oppugnare & subuerrere conetur? Siquidem (ut scribit Epiphanius in sermone Ancorato) est spiritus <sup>Epiphanius</sup> mēdax, spiritus pythonicus, vertiginis, procelle, scortationis, mutus, loquax, immūdus, surdus, & spiritualis nequitia: Ut qui suos in mendacia & scelera multa pertrahat. At verò vnus <sup>Spiritus ma-</sup> est Spiritus Deus, à quo omnis veritas. Huius <sup>lus multi-</sup> proprium est docere, & Ecclesiam dirigere: <sup>plex.</sup> hic locutus est per Prophetas: Vnde & Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines. Nec enim per Prophetas, eos modò intelligimus, qui <sup>Cur patius</sup> futura prædixerunt, sed per hos ut insigniores, <sup>per prophe-</sup> cæteros etiam omnes qui veritatem annuntia-<sup>tas spiritus</sup> runt. Quin & Prophetas potissimum Spiritu <sup>locutus es</sup> se dicitur.

*A spiritu s.  
omne bonū  
proficiscitur*

sancto afflato credimus, vt simul Christi my-  
steria, & doctrinā, nostrā verò reparationē, ab  
illis prædictam, à Deo etiā institutā agnosca-  
mus. Num scilicet & Doctores, & Euangelistæ  
Apostoli, & cæteri omnes à Christo in Eccle-  
siæ Catholicæ structurā instituti, Spiritus san-  
cti gratia donati sunt? Ab illo enim vt gratia sa-  
nitatū, ita & genera linguarū, & interpretatio  
sermonū proficiscitur. Veruntamē mirabilior  
quodāmodò cognitio Prophetis indulta est,  
vt qui longè antè quæ futura erant, prænutia-  
rint. Hic ex pastore Regē & Prophetā Dauid,  
ex agricola Heliseo alteram Heliam reddidit.  
ex persecutore Paulo vas electionis, ex piscato-  
ribus Apostolos, ex Publicano Euangelistā in-  
stituit. Hæc mutatio dexteræ excelsi, hæc ope-  
ratio est illius ineffabilis spiritus, qui in omni-  
bus & singulis operatur, & omnia trāsformat  
prout vult. Hic descēdit ī omnes iustos, Enoch,  
Enos, Noè, ac reliquos, Abraham, Isaac & Ia-  
cob. Nam de eo, quòd Ioseph habuerit spiritū  
Dei, etiā Pharaon expertus est, inquit Cyrillus.  
De Moyse autem, & rebus admirādis ab eo ge-  
stis virtute Spiritus sancti, in scripturis legi-  
mus. Idē in structurā illā Tabernaculi missus,  
repleuit sapiētia Beseleel & eos qui cū eo erāt  
artifices. In virtute huius spiritus Othoniel iu-  
dicabat, Gedeō inualescebat, Iephta vincebat,  
Samson vindicans se supra vires humanas cer-  
tabat, Samuel & Dauid prophetabāt. Quinetiā  
Saul, cū ad cuneū Prophetarū in Naioth Ra-  
matha venisset, non alia prorsus ratione quàm

*Catech. 16.*

*1. Reg. 19.*

vt Dauidem offenderet, inuitus etiā prophe-  
tauit. Nam factus est super eū Spiritus Domini  
& ambulauit ingrediens, & prophetabat, vsq;  
dum veniret in Naioth Ramatha. Quodq; ma-  
gna vis esset illius spiritus, expoliavit etiā ipse  
se vestimentis suis, & prophetauit cum cæteris  
corā Samuele, & cecinit nudus tora die illa &  
nocte. Vnde & exiuit prouerbiū, Num & Saul  
inter Prophetas? De eo sic Ezechiel: Et ingref-  
sus est in me spiritus, postquàm locutus est mi-  
hi, & statuit me supra pedes meos. Hūc Ecclesię  
promisit Dominus per Ioelē, dicens, Effundam  
de spiritu meo super omnem carnē, & prophe-  
tabunt filij vestri, & filię vestræ, & senes vestri  
somnia somniabunt, & iuuenes vestri visiones  
videbūt. Etiā super seruos & super ancillā in  
diebus illis effundā spiritū meū. Zacharias verò  
effundā super domū Dauid, & super habitato-  
res Hierusalem, spiritū gratiæ & miserationis.  
Ezechiel quoq;, dabo eis cor vnū, & spiritū no-  
uum tribuam in visceribus eorū. Et auferā cor  
lapidem de carne eorū, & dabo eis cor carneū,  
vt in præceptis meis ambulent, & iudicia mea  
custodiant, faciantq; ea: & sint mihi in popu-  
lum, & ego sim eis in Deū. Esaias etiam id ex-  
pressit: Effundā spiritū meū super semen tuū, &  
benedictionē meam super stirpē tuā: & germi-  
nabūt inter herbas quasi salices iuxta fluēta a-  
quarū. Et in aliò capite: Spiritus meus qui est in  
te, & verba mea quæ posui in ore tuo, nō rece-  
dēt de ore tuo, & de ore seminis tui, dicit Do-  
minus, amodò vsq; in sempiternū. Quibus ver-

*Ezech. 2.*

*Ioel. 3.*

*Zach. 12.*

*Ezech. 11.*

*Esai. 44.*

*Esai. 59.*

bis nō desituram Ecclesiam, & inter homines  
 Euangelicam veritatem confirmavit, cum sem-  
 per illa spiritu Dei dirigatur. Hic ille sese extu-  
 lit in Euangelij præconibus. Nam (vt Ezechiel  
*Ezech. 1.* prædixit) Quocunque ibat spiritus, illuc eunte  
 spiritu & rotæ pariter eleuabantur sequentes  
 eum, spiritus enim vitæ erat in rotis. Hoc ro-  
 borabatur Michæas, licet despici & contemni  
 suam doctrinam videret. Ait enim: Verūamen  
 ego repletus sum fortitudine spiritus Domini,  
*Mich. 3.* iudicio & virtute, vt annuntiem Iacob scelus  
 suum, & Israël peccatū suum. Eapropter enim  
 Christus in cœlum ascensurus, iusserat Apo-  
 stolos expectare promissum Patris, quod induer-  
 rentur virtute ex alto. Quomodo nō igitur lo-  
 cutus est per Prophetas, à quo omnis gratia,  
 veritas, & fortitudo proficiscitur? Se immun-  
 dum labiis Esaias, se balbū Hieremias fateba-  
 tur: verū quod illis deerat, adimpleuit spiri-  
 tus sanctus. Irruit spiritus in Balaam, & pro-  
 phetare cœpit: requieuit spiritus Helix super  
 Heliam, & Iordanem diuisit. Hinc & Azarias,  
*Num. 24.* filius Obed, facto in se spiritu Dei, egressus est  
*4. Reg. 2.* in occursum Asa. Hic induit Zachariam filium  
*2. Paralip.* Ioadæ sacerdotem, & stetit in conspectu po-  
*15.* puli, & dixit eis: Hæc dicit Dominus Deus,  
*2. Paral. 24* Quare transgredimini præceptum Dei, quod  
 vobis nō proderit, & dereliquistis Dominū, vt  
 derelinqueret vos? Hoc implebatur Esaias,  
*Esai. 48.* Nunc enim (inquit) Dominus misit me, & spi-  
*Ezech. 3.* ritus eius. Hoc Ezechiel: Eleuauit me spiritus  
 inter cœlum & terram, & adduxit me in Hie-

rusalē in visione Dei. Et capite vndecimo: Spi-  
 ritus leuauit me, adduxitque in Chaldæam ad  
 transmigrationem, in visione, in spiritu Dei. Et  
 sublata est à me visio quā videram. Hoc deniq;  
 in Apostolis loquebatur. Ait enim Christus,  
 Nō vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris  
 qui loquitur in vobis. Eapropter hūc illis do-  
 ctorem pollicebatur. Ille (inquit) docebit vos  
 omnia, & suggeret vobis omnia quæcūque di-  
 xero vobis. Ille arguet mundum de peccato, de  
 iustitia, & de iudicio. Ex quo efficitur, vt durè  
 agat Dominus in eos qui Prophetas & verbi  
 sui ministros contemnunt. Sic per Zachariam  
 ait: Et noluerunt attendere, & auerterunt sca-  
 pulam recedentes, & aures suas aggrauauerūt  
 ne audirent, & cor suū posuerunt vt Adaman-  
 tem, ne audirēt legem & verba, quæ misit Do-  
 minus exercituum, per manum Prophetarum  
 priorū. Nec enim homines à seipsis veritatem  
 illam enuntiabant, sed Spiritus sanctus illis vt  
 organis utebatur. Quod & Dauid confidenter  
 asseruit, in his nouissimis verbis: Dixit vir, cui  
 constitutum de Christo Dei Iacob, egregius  
 Psalter Israel: Spiritus Domini locutus est per  
 me, & spiritus eius per linguam meam. Deus  
 Israël mihi locutus est, fortis Israël. Domina-  
 tor hominum iustus, dominator in timore Dei.  
 Sicut lux auroræ oriente sole manè absq; nu-  
 bibus rutilat, & sicut pluuiis germinat herba  
 de terra. Hoc directore Esdras libros Legis, sū-  
 ma bellorū calamitate cōsumptos restituit sic  
 enim orauit: Si inueni in te gratiam, immitte in  
*Esdr. 14.*



*Cur à qui-  
busdã rece-  
det spiritus  
sanctus.*

*1. Petr. 5.*

*Psal. 50.*

*Vnde here-  
tici.*

me Spiritum sanctum, & scribam omne quod factum est in seculo ab initio, quæ erant in lege tua scripta, ut possint homines inuenire semitam: & qui voluerint viuere, in nouissimis uiuant. Interim verò si quis spiritum Dei habeat, magna diligētia cauere debet, ne suis peccatis ipsum prouocet, cùm aliquādo eos, quos antè sua gratia ditauerat, iustè exigentibus delictis, derelinquat: ex quo efficitur, ut illos spiritus malignus possideat. Sic enim à Saule Spiritum Domini recessisse legimus, quodq; statim spiritus malus illū vexarit, atq; afflixerit. Quis enim dubitat illū nostrū aduersariū, qui tanquā Leo rugiens circuit, quærens quē deuoret, cuiq; insidiari, si fortè in animā eius aditum valeat inuenire? Immò si quādo expulsus fuerit, redit, & assumit septem Spiritus nequiores se (inquit Christus) & tūc sunt posteriora hominis illius peiora prioribus. Iā si aliquē dereliquerit spiritus sanctus, quomodo nō statim eum totū sibi spiritus nequitiæ vēdicet? Eapropter scilicet orabat Dauid, Spiritū sanctū tuum ne auferas à me: ut qui in Saule experimēto didicisset, quā perniciosus spiritus deuocatur, quisquis à Spiritu sancto relinquitur. Hæc qui intentiùs perpenderit, nihil tot pseudopphetas & hæreticos demirabitur, nec dicet, Vnde tot illi? Vnde Spiritum sanctum & veritatem sibi vendicant, si non apud eos est & spiritus, & veritas? Et cur quæso ab Ecclesia descuerūt, nisi quòd aliter ab illo spiritu edocti sunt? Verùm cùm iam statuerimus relinqui eos à spiritu Domini,

& sta-

& statim insilire spiritum mendacij, superbix & rebellionis: quid mirum erit, si præ cæteris gloriantur, & mēdacia euomāt? Hoc attēdens Tertullianus, ad secretam rationem, propter quam nonnulli à Spiritu sancto relinquuntur, remittebat eos, qui sic suis etiam temporibus quærebant: Quare illa, vel ille, fidelissimi, prudentissimi, vītatissimi in Ecclesia, in illā partem transierūt? Quis verò (inquit) hoc dicens, non ipse sibi respondit, neq; prudentes, neq; fideles, neq; vītatos æstimandos, quos hæreses potuerint demutare? Et hoc mirum, opinor, ut probatus aliquis postea excidat? Saul bonus præ cæteris, liuore postea euertitur. Dauid vir secundum cor Domini, postea cædis & stupri reus est. Salomon omni sapiētia & scientia donatus à Domino, ad idolatriā à mulieribus inducitur. Tu, ut homo extrinsecus vnumquemque nosti, putas quod vides, Vides autem quousq; oculos habes, sed oculi Domini alti. Homo in faciem, Deus in præcordia contempletur. Quid scis igitur, qua ratione hunc vel illum spiritus Domini reliquerit? Si enim minime mirum est quod de Salomone & Saule legimus, cùm peccatores fuerint: quid tu miraris, si quis doctus ab Ecclesia desciscat? Hoc enim habet ex præuiis peccatis, quibus profingatâ Spiritus sancti gratiā, Sathanicam malitiam imbuit. At verò quid quod rursus dicas, illos sibi veritatem tribuere, se doctores, se Apostolos & Euangelistas vocare? quasi verò ij

*Tertullia-  
Lib. de præ-  
script.*

*Nō mirum  
si quis exci-  
dat ex Ec-  
clesia.*

*Arrogātia  
hæreticorū.*

DD

qui ad Christum: Exi à me Domine, quoniam homo peccator sum. Nō Paulus, qui se solum Iesum scire crucifixum scire professus est: non cæteri deniq; tanto humiliores, quāto maiore spiritu sancti gratia donati. Est enim ille spiritus humilitatis, nō superbiæ, abiectiois, nō iactantiæ: charitatis, non contumeliæ, confessionis, non blasphemæ. An scilicet ij omnes Prophetæ Dei sunt, qui se tales esse venditant? An omnes qui de Spiritu sancto gloriantur, illum habere credendi sunt? Non quidem abs re Paulus, Probate spiritus, si ex Deo sint. Nullus enim tam temerè & audacter se Dei esse pronuntiat, quā qui contra Deum est: Et nemo arrogantius de Spiritu sancto gloriatur, quā qui ne guttulam quidem illius gratiæ affectus est. Ad simiarum enim instar sic Pseudo prophetæ omnes præfari audebant, Hæc dicit Dominus, hæc spiritus eius: cū interim contra spiritum Domini coniurassent. Nunquid Spiritus sanctus per hos loquebatur? De his Hieremias: Nolite audire verba Prophetarum qui prophetant vobis, & decipiunt vos: visionem cordis sui loquuntur, non de ore Domini. Et alibi, Non vos seducant Prophetæ vestri qui sunt in medio vestrum, & diuini vestri: & ne attendatis ad somnia vestra quæ vos somniatis: quæ falsò ipsi prophetant vobis in nomine meo, & non misi eos. Quid enim est quod omnes sua somnia pro meris Prophetiis ingerant? Quod olim tamen à Pseudo prophetis, hoc etiam ab huius répestatis hæreticis ia-

Hier. 23.

Hier. 29.

ctari solet, cū particularem inspirationē, sibi factam obtrudunt & garrunt, cui sibi potius quā vniuersali Ecclesiæ credere profitentur. Et hæc pridem hæresis inter Israëlitas inualuit, cū primū Maria & Aaron propter mulierem Æthiopissam murmurarent: Dixerunt enim: Num per solum Moysen locutus est Dominus? Nonne & nobis similiter locutus est? Quod cū audisset Dominus, iratus est valde. Erat enim Moyses vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra. Et dixit illis: Audite sermones meos, si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. At non talis seruus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est. Ore enim ad os loquar ei, palam & non per ænigmata Deum videt. Quare ergo nō timuistis detrahere seruo meo Moyse? Iratusq; contra eos, abiit: & ecce Maria apparuit candens lepra, quasi nix. Hæc ergo arroganti spiritus hæresis, etsi non omninò in illis locum haberet, minabatur tamen in leuioribus facile se suos successus habituram. Deinum enim cū turbulentos Chore, Dathan & Abyron animos possedisset, temerariè illi contra Moysen & Aarō inclamare ausi sunt: Sufficiat vobis, quia multitudo sanctorū est, & in ipsis est Dominus. Cur eleuamini super populū Domini? Hinc nimirum populum à legis obseruatione & obedientia, hinc à summo sacerdotio, & ordine leuitico auocabant, vt suas omninò fantasias quasi verba Domini amplecterētur.

Num. 16.

Figura nos-  
trorū tem-  
porum.

Quod schisma hisce temporibus renouari perspicimus. Cur enim in summū Pontificē, cur in sacerdotum ordinē, cur in incruentū sacrificiū cur in decreta Ecclesiæ omnes cleuantur, nisi quòd hęc omnia nobis inuident, sua autē somnia sequuntur? Quid enim aliud dicunt, quàm quod illi? An non Deus in medio nostrū est? Et hi quidē veritati resistunt, & iis qui verbū Dei profitentur, obstrepūt. Sic cū Hieremias cōpleisset loqui ad populū vniuersos sermones, p quib. miserat eū Dominus Deus eorū ad illos, dixit Azarias filius Osaia, & Iohanā filius. Carre, & omnes viri superbi: Mendaciū tu loqueris. Nō misit te Dominus Deus noster, dicens, Ne ingrediamini Ægyptū, vt habitetis illic: sed Baruch filius Nereia incitat te aduersū nos vt tradas nos in manus Chaldæorū, & interficiat nos. Quin & Hananias Pseudopropheta tulit catenam de collo Hieremiae, & cōfregit eā: & magna cū arrogātia in conspectu populi dixit, Hęc ait Dñs: Sic cōfringā iugū Nabuchodonozor regis Babylonis post duos annos dierū, de collo omniū gentiū. Quā temeritatē Dominus per Hieremiā Prophetā corripuit. Nā factū est verbū Domini ad eū, dicēs, Vade, & dices Hananiae, Hęc dicit Dominus: Catenas ligneas contriuiisti, & facies pro eis catenas ferreas. Quia hęc dicit Dominus exercituū, Deus Israël iugū ferreū posui super collū cunctarū gentiū istarū, vt seruiant Nabuchodonozor regi Babylonis, & seruiēt ei: in super & bestias terræ dedi ei. Et dixit Hieremias, Audi Hanania, Non mi-

Hier. 43.

Arrogātia  
Pseudoprophetarum.

Hier. 28.

fit te Dominus, & tu cōsiderare fecisti populū istum in mēdacio. Idcirco hęc dicit Dominus: Ecce ego mittā te à facie terræ: hoc anno morieris: aduersum enim Dominum locutus es. Et mortuus est Hananias Propheta in illo anno, mense septimo. Quis verò non arrogantiā Sedechia, & cæterorū qui cū ipso erant, demiretur: cū Michæ Propheta Domini obstreperet, & colaphum impingeret? Cū enim simul ante portam Samariæ Iosaphat Rex Iuda, & Achab Rex Israël congregati, de tollenda Ramoth Galaad è manu Regis Syriæ consulerent & de euentu belli à Prophetis quærendū esset, quadringenti Pseudoprophetae inuēri sunt, & ne quidem vnus ex Prophetis Domini, nisi Michæas: & ipse instāte Iosaphat vocatus adfuit. Tantus erat Pseudoprophetarum numerus, vt nec mirū esse debeat, quòd tot hæreticorū capita pullularunt. Pollicebantur quidē hi certā & indubiam de Syris victoriā: quinetiā Sedechias filius Chanaā suo capiti cornua aptarat, quę cōmouens & euibrās, clamabat: Hęc dicit Dominus. His vētilabis Syriā, donec deleas eā. Cumq; aliter euenturum è verbo Domini Michæas Propheta prædixisset, accessit ad eum Sedechias, eumq; percussit in maxillā, & ait Mene ergo dimisit spirit⁹ Domini, & locutus est tibi? Tā superbè, tā arrogāter sibi Pseudopropheta Spiritū sanctum tribuebat, vt interim illū per Prophetam Domini loqui negaret. Quid ergo tutū esse possit his, qui se spiritū Domini habere gloriātur? An non hęc Sathanæ versutia, vt

3. Reg. 22.

hominibus illudat, quod particularem quādam inspirationē sibi vēdicāt, cui nitātur, quasi hæc ipsa plus energiæ & veritatis habeat, quàm spiritus ille, qui per Catholicā Ecclesiā docet, & difficilia quæq; interpretatur? Quasi verò novū sit homines à Sathana illudi, & per eos spiritum mēdaciū loqui, quibus deceptis ad alios etiā subvertēdos vtatur? Hoc sanè illa Michææ visio, quæ tūm in cōspectu Regū proposita est, satis testatur. Ait enim, Vidi Dominū sedētem super soliu suū, & omnē exercitū cœli assistentem ei à dextris & à sinistris. Et ait Dominus, Quis decipiet Achab Regē Israēl, vt ascendat, & cadat in Ramoth Galaad? Et dixit vnus verba huiusmodi, & alius aliter. Egressus est autē spiritus, & stetit corā Domino, & ait, Ego decipiam illū. Cui locutus est Dominus, In quo? Et ait, Egrediar, & ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarū eius. Et dixit Dominus, Decepit, & p̄ualebis: egredere, & fac ita. Iustē enim Dominus spiritui mendaciū tradit eos qui spiritum suū contēpserūt: ex quo fit, vt qui Ecclesiā, qui illius decreta, & antiquissimorum patrū interpretationes refellunt, quæ à Spiritu sancto prodierūt, facilē à spiritu maligno possideantur, & trahātur in reprobum sensum. Sic enim Philosophi distracti sunt, qui Deū nō sicut debuerāt glorificauerūt, & in cogitationibus suis euauerūt. Et quidē tantū suę opinioni nōnulli tribuunt, vt particularis inspiratio potissimū sit illis suę perfidię fundamentū. Statim enim atq; illis aut è sacris Bibliis cōtextus,

*Visio Michææ*

*Rom. I.*


*Particularis inspiratio hereticorum,*

aut ratio deest, ad sua somnia recurrūt, & dicere cōsueuerūt, hæc sibi à Spiritu sancto esse reuelata: Hæc se nō ab homine habere. Num (aiunt) *locutus est per prophetas?* Et idē sanè hæc mihi reuelavit sic intelligēda esse. Hoc vt magis persuadere videātur, quosdam sentētiās deprauāt, quas etiā sibi ipse Calvinus asciuit, cū ad plenam suæ doctrinæ rationē id iactat, eā demū esse verā fidē, quā in cuiusq; corde sigillat Spiritus sanctus, & quā cuiq; reuelat: Sic nimirū Esaiam dicere, Erunt omnes dociles Dei, sic & Mosen, Quis ascēdet in cœlum, aut quis descēdet in abyssum? Ecce propē est verbum in ore tuo. Quasi verò & Moses & Esaias his verbis suggererit sua somnia pro oraculis habere. Nā vnde quis certus est, quod ipse ille sit Spiritus sanctus, qui in se loquitur, nisi ad aliā cōmunē regulā recurrat, qua id ipsum cōfirmet? Omnes quidem dociles esse decet, nō doctores: omnes audire, nō omnes prædicare cōuenit. Nā quomodo prædicabunt, nisi mittātur? Quod autē Moses, Propē est (inquit) verbū in ore tuo: hoc vtiq; sic intelligēdū est, propē quidē illud esse in ore, si modo fides in corde sit: cū ex abundantia cordis os loquatur, & è corde bona & mala prodeant. Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Magnum itaque profectum fecerit, qui corde crediderit: tum enim verbum erit in ore. At verò non in omnium cordibus est fides: ex quo efficitur, vt ne quidem ex omnium ore verbum annuntietur. Quod autem Spiritum sanctum habita-

*Obiectio hæreticorum.*

*Rom. 10.*

*Resolutio obiectorum.*



re in cordibus nostris obiiciunt, hoc fatemur, si modò in vna sint Ecclesia, non dissecti, alioquin tū eos spiritus blasphemie rotos sibi vendicauerit, si semel à Christi corpore discesserint. Quid ergo proferunt, quod suā illā inspirationem confirmet? Hoc enim si cuique satis est sibi reuelatū dixisse, quòd à semetipso inuenit: an non amplissima cuique hæreſi ad blasphemādum via futura est? Nec enim est aliqua omnium hæreſis, quæ non etiam audacter prætulit, spiritum sanctum omnia sibi reuelasse, quæ tamen temerè contra veritatem somnari. An non Simon Magus empritium & venalem spiritum sanctum habere voluit, què cui-cunque voluisset, cōferret? Hic (vt scribit Tertullianus) ausus est se summam quādam virtutem dicere, id est summum Deum, mūdum autem ab Angelis suis institutū: quomodo igitur non summam suis blasphemis autoritatē tribuisset? Carpocratiani verò tātum sese extulerunt, vt animas suas Domino nostro Iesu coarquerēt: quæ & omnes Angelos Principes huius mūdi fabricatores pertrāsire possent, neq; tamē detinerentur: Inde tandē ad magnū fastū progressi ab impostore seipso etiam ipsi Iesu præferebāt: alij autē, non Iesu, dicebāt, sed Petro, & Andrea, & Paulo, & aliis Apostolis se præstātiores cēsebāt, huncque se gradum conscendisse ob excellētiā cognitionis. Hæc narrat Epiphanius. Ex his verò Gnosticorū secta, quæ à Gnosti, seu cognitione dicebatur, emerſit: è quibus Basilidiani, Valētiniani, Colobarſiani,

*Heretici ar-  
rogant sibi  
spiritum s.*

*simōmagus*

*Act. 8.*

*Lib. de præ-  
scrip.*

*Carpocra-  
tiani.*

*Epiph. in  
hæreſ. 27.*

& Borboritæ, & alij permulti prodierūt. Cherintus quoque (vt scribit Eusebius) per reuelationes quasdam, quas velut à magno Apostolo conscriptas, & post Angelos ei reuelatas iactabat, sua portenta introduxit. Quin & Ætiani, cum ab aliquibus arguerentur, Prophetarum & Apostolorum nomina reiiciebant, resiliētes, & dicentes, Hoc Apostolus velut homo dixit. Aliquando verò, Quid mihi profers ea quæ sunt in veteri Testamento? Quid de Marco Colobarſo, qui mulieres quas seduxerat, falsa spiritus & gratiæ suæ opinione deludebat, cūm (vt habet Irenæus) magicis imposturis calicem quem manu tenebat, in alterum quem mulier gestabat effunderet, non sine fastu quodam verborum? Quod & Altitæ, quorum Augustinus meminit, hausto vino cūm iam nutarēt, se tanto magis spiritu sancto perfusos esse crederent, vnde & toties in gyrum circa vtres vino plenos decurrerent & saltarent, donec seipso vino implentes, vtres novos esse dicerent, de quibus Christus dixerat, Nemo mittit vinum nouum in vtres veteres, sed novos. Quid de Montani spiritu, de Priscillæ & Maximillæ Prophetiā, & Cataphrygum virginibus, quæ se Deo afflatas esse credebant? Quid de Pepuza illa cœlesti Hierusalem, in qua cuique olim liberum fuit suas fantasias pro meis oraculis effundere? Exaggerat Cyrillus Hierosolymitanus Manetis blasphemiam, qui tanto abest vt minimè sibi illā gratiam tribueret, quæ à spiritu pendet: quòd &

*Euseb. Cas.  
Lib. 3. hist.  
Eccles. cap.  
28.*

*Ætiani.  
Epiph. in  
hæreſ. 76.*

*Anomae-  
rium.*

*Marcus Co-  
lobarſus.*

*Irenæus li.  
1. in hæreſ.*

*Altitæ.*

*August. de  
hæreſ. Quod  
vult. Deū.*

*Montanistæ*

*Catech. 6.  
& 16.*

ipse sibi Spiritus sancti maiestatem arrogabat. Mitto cæteros, quos longum esset in vnum texere. An non hisce etiam temporibus sunt, qui nullum aliud habeant refugium quàm ad reuelationes, & particulares quas vocant inspirationes? quasi verò iis solis sese Spiritus reuelarit, & cæteros abiecerit. Hoc in ore omnium est? Ita mihi Deus reuelauit, ita inspirat Deus, ita dictat Spiritus sanctus: cùm interim ea omnia reiiciant, quibus probare oportet spiritus si ex Deo sint. Hoc maximè in Anabaptistis, hoc in Thoma Muncero, vt scripsit Philippus Melanchthon. Suos enim monebat, vt corpus ieiuniis castigarent, vilitate vestiũ, pauca loquendo, toruum intuendo, barbã non radendo: Tum vt loca secreta peterent, & de Deo sæpè cogitarent, quid sit, num nostri curam gerat, num vera sit fides nostra: signa simul postularent, quibus ostenderent quòd simus illi curæ, quòdque nostra fides recta sit: Scripturis non fiderent: accepti verò Spiritus sancti, somnia certissima signa esse putarent. Quàm in tuto verò nostra fides collocaretur, si reiectis Scripturis, & in dubium reuocatis, omnibus somniis herendum esset? Non est ab- simile verò id quod Cinglius in sacramentaria suæ sententiæ patrociniũ adducit, non omninò somnium, sed nescio quam visionem, qua differere videretur cum aduersario scriba, qui cùm minimè discerneret, alterne esset, an albus: à quo loca Scripturæ requireret, in quibus est pro Significat, interpretari possit. Nec

Thomas  
Muncerus.  
Melanch-  
thon in hi-  
stor. Thoma  
Munceri.

Cinglius.

Lutherus.

diffimile quod Lutherus se cum sathanico spiritu de missa differuisse scripsit. Scilicet hisce præceptoribus, his spiritibus vsi sunt, quos nomine Spiritus sancti obtruserunt. Quàm in tuto omnia sita erant, si credendum nugis, fantasias, scribis atris & nigris? Verùm hoc illi se à Spiritu sancto habere dicunt: quasi non omnes hæretici idem iactarint, cùm tamen vnus sit spiritus, idem vnionis & pacis author, non discordiæ, & prophanæ cuiusque doctrinæ: Porrò si cuique creditur, qui se Deo afflatum dixerit, quo loco statuendi erunt Gentiles, quos falsa hac accepti numinis opinione toties Sathan illudit:

*Sicut apud Delphos in parua Phocide, nigris  
spelunca latebris clausus vocalis Apollo:  
Sicut Chaonia Phoebo illabente volucres,  
Vel caua Cumæum spelea sonantia carmen?  
Verùm hæc vel fallax hominum versutia fecit,  
Vel Stygia mentes auium per nescia, certis  
Motibus, humanum fingeant guttura murmur.*

Quid non Pythiæ? Quid non Bacchantibus tribuemus? quid non Mænadibus, & cæteris idololatriæ monstris? Si verò legislatores consideremus, cur Numæ & Minoi non minus quàm Moyse credamus?

*Nam Iouis arcanis Minos admissus est:*

Numa verò sese cum Ægeria Nympha cõgressus nocturnos habere promulgauit. Quomodo non igitur omnia perplexa erũt, si particularis illa inspiratio & reuelatio admittitur, & non ad aliquam legem probatur? Fuit ex Ana-

Gentiles.

Mætuanus  
lib. 2. de ca-  
lunitatibus  
temporum.  
Vnde voces  
in oraculis  
delphicis.

Bacchantes:  
Minos.

Numa.

Ioan. Morelli.  
1. Cor. 4.  
1. Cor. 8.  
Tertullian.  
Cōclusio libri, & in sequentē introductione.

baptistis Ioannis Morelli, qui ut quemq; donum Prophetiæ habere concluderet, id ex Apostolo detorquebat: Sectamini charitatem, æmulamini spiritualia, magis autem ut prophetetis. Hoc ipse etiam Bezza in libro de disciplina ecclesiastica condemnat: quod non de omnibus indifferenter, & promiscuè, sed de iisduntaxat intelligendum sit, qui speciali quadam gratia prophetiæ donum habeant. An non scilicet Paulus apertè in consequentibus verbis testatus est, Prophetiæ donum minimè omnibus patere? An à vobis (inquit) verbum Dei processit? an in vos solos peruenit? Omnia ergo honestè, & secundū ordinem fiant. Nam, ut in superioribus, si quis existimat se scire aliquid, nondum cognouit quomodo oporteat eum scire. Fiant igitur omnia ordine, quo donata sunt. Num omnes Apostoli? num omnes Prophetæ? Diuisiones enim gratiarum sunt. Tertullianus libro de monogamia: Aduersarius (inquit) spiritus ex diuersitate prædicationis apparet, primo regulam adulterans fidei, & ita regulam adulterans disciplinæ: quia cuius gradus prior est, eius corruptela antecedit, id est fidei, quæ prior est disciplina. Itaque ad vtramque regulam spiritus probari oportet, si nihil fidei, nihil disciplinæ detrahât: quin potius ipsam augeant & confirmēt. Hoc enim vnum nobis spiritus Domini commendat, quod & fides, & disciplina hominibus traditur & conseruatur. Verum iam alia quæri video: In qua Ecclesia sit illa fides & disciplina, quæ &

per manus tradita, & ad vsque fideles qui nunc sunt, deriuata est. Iactant enim omnes suam fidem, iactant & suam disciplinam: & in infinitum deduci quæstiones viderentur, cum quisque pro se respondeat: nisi ad illius Ecclesiæ definitionem recurratur, quæ Verbum Dei habeat, & Spiritu sancto dirigatur. His itaque de nostra fide in Deum, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum pertractatis, ad reliquas Symboli partes transeamus, quæ nimirum & Ecclesiam describunt, & Sanctorum communionem asserunt: remissionem etiam peccatorum, carnis resurrectionem, & vitam æternam repromittunt.

## LIBER TERTIVS.

*De vera Ecclesia, unde dicatur, quid sit, quid credere Ecclesiam, quòdque ij qui decreta Ecclesiæ contemnant, non verè credunt Ecclesiam: ubi de authoritate Ecclesiæ, quòdque illa & scripturas & traditiones sanctas probauerit: ex quo sit, ut hæretici Ecclesiam auerferentur.*



VM multis in rebus, tum maxime in discernenda veræ sapientiæ schola, magno iudicio opus esse veteres sancciuerunt, cum tot essent Academici, Peripatetici, Stoici, Cyrenaici, Eliaci, Megarici, Cynici,

Eretrici, & Epicuræi: quorum omnium nemo  
 alteri cederet, sed quod cæteris abstrusum &  
 ignotum esset, sese assecutum esse iactaret.  
 Ex quo effectum est, ut permulti, cum se Phi-  
 losophiæ deuouissent, modò hanc, modò illam  
 scholam sequerentur: omnibus demum pro-  
 batis, eam quæ magis arrisisset, amplecteretur.  
 Veruntamen nonnullos longè sua fallebat  
 opinio, ut qui uerborum fucò & lenocinio,  
 qui quæstionum apparatu, & probabili qua-  
 dam resolutionum coniectura, delinirentur:  
 aut iis allicerentur, quæ rudem, terrestrem &  
 carnalem, sed superbum, lasciuum & inertem  
 hominem demulcere solent. Et quidè illi ma-  
 gis hortos Epicuri probabant, quàm Platonis  
 Academiam, Aristotelis Lycæum. Siquidem  
 magnum animis tormentum iniici censebant  
 meditationibus, subtilitatibus, & iis quæstio-  
 nibus quæ è rerum naturis, è morali etiam sa-  
 pientia promerentur, incumbere: satius qui-  
 dem rati hortorum arborumque deliciis ob-  
 lectari, & leuibùs irritamentis animos refice-  
 re. Quibus sanè nostro seculo mihi similes vi-  
 dentur ij, qui cum Christianam Philosophiam  
 profiteantur, non illam è Christi schola, sed ex  
 Libertinorum, Sacramentariorum, Anabapti-  
 starum, aliorum Sophistarum officinis requi-  
 rant: quas cum aliquando sectati fuerint, am-  
 plectuntur, ut quæ ad carnalem sensum magis  
 accedant. Atqui tanto in diiudicanda uera Ec-  
 clesia prudentiores esse deberent, quanto id à  
 Christo audiunt: Si quis Ecclesiam non au-

Math. 18.

Sophista fi-  
 guram ges-  
 serunt hæ-  
 reticorum.

Diogen.

Laërt. lib. 1.

de uita phi-

losoph.

secta phi-

losophorū.

dierit, sit tanquam ethnicus & publicanus, sed  
 & istud Pauli ad Timothæum, Ecclesia est do-  
 mus Dei uiui, columna & firmamentum veri-  
 tatis. Quæ enim pars fidelis cū infideli? ethnici  
 cum Christiano? Hi enim soli Christiani sunt,  
 qui in Christi Ecclesia consistunt, & hi soli ve-  
 ritatè profitentur, qui columnæ & firmamen-  
 to innituntur. Tolle firmamentum & colum-  
 nam, quomodo nõ ruere oportebit, quicquid  
 superstructum est? Quomodo non facilè cadet  
 omnis fides, si Ecclesia contemnatur? Itaque ne  
 quis ab illa desciscat, aut pro ea Sathanicam  
 congregationem amplectatur: ex fidei Symbo-  
 lo, quomodo uera Christi Ecclesia discernen-  
 da sit, edocemur. Quisque enim nostrum dicit,  
 credo sanctam Ecclesiam catholicam & apostolicam:

2. Timot. 3.

Ecclesie no-  
 men unde.

Ecclesie  
 quot modis.

quæ si penitius aduertamus, illà facilè ab Ec-  
 clesia malignantium discernemus, nec nisi vo-  
 lentes, & malitia excæcati, aberrabimus. Ut  
 ergo à nomine ordiamur, Ecclesia congrega-  
 tionem, cætum, & concionem sonat: unde &  
 ἐκκλησις, euocatio seu prouocatio est: & ἐκκλη-  
 τῶν, idem quod in ius vocare. Hanc Hebrei  
 קהל Cahal, congregationem uocant plurimum  
 ad diuina tractanda: utuntur & nomine קהל  
 Eda, quæ cætum significat. Sumitur etiam Ec-  
 clesia pro loco in quo ius dicitur, aut de rebus  
 publicis agitur. Cùm uerò ad diuina transfer-  
 tur, communio seu congregatio fidelium est:  
 siue illi beata pace perfruantur, & tunc Ecce-  
 sia triumphans: siue hi magnis laboribus ad  
 portum salutis contendunt, & tunc Ecclesia



Psal. 25.

Catech. 18.

Synagoga  
quid.

militans nuncupatur. Habet tamen & Sathan suam Ecclesiam, de qua Psaltes, Odiui Ecclesiam malignantium, & cum impiis non sedebo. Habet enim ille suos cœtus & scholas, in quibus per suos Antichristos Dei verbum deprauat & peruertit. Cyrillus Hierosolymitanus Ecclesie nomen requirit, utique secundum translationem Septuaginta interpretum, ex multis veteris Testamenti locis: sicut in Leuitico dicit Dominus, Et omnem congregationem seu Ecclesiam conuoca ante ostium tabernaculi testimonij. Tandem enim Aaronem constituit, qui quæ sacra essent & faceret, & doceret. Et in Deuteronomio Moyses, Tunc (inquit) Dominus dixit ad me: Conuoca populum, & audiantur verba mea, ut discant timere me. Rursus nominis Ecclesie meminit, cum de Tabulis inquit: Et in ipsis scripsit omnes sermones, quos locutus est Dominus ad nos in monte de medio ignis in die Ecclesie. Sed & Psaltes dicit, Confitebor tibi in Ecclesia magna, in medio Ecclesie laudabo te: cum iam sic antea cecinisset, In Ecclesiis benedicite Deo Domino de fontibus Israël. Frequens est enim Ecclesie nomen apud Septuaginta, maxime cum de eo cœtu hominum agitur, qui ad audiendam Dei voluntatem congregatur. Fuerunt enim ab initio conciones & cœtus fidelium, seu primum ad Patriarchas coirent, seu tandem ad Moysen, sacerdotes, legis interpretes, & Prophetas. Alludit autem Synagogæ nomen ad Ecclesie significationem: est enim

συνά-

συνάγωγη, congregare, & in vnum ducere vel contrahere. Veruntamen Ecclesie nomen ipsis etiam Gentilibus, quod Apostoli docuerunt, frequentius erat, & nomen Synagogæ ipsis eorum temporibus male audiebat, quod Christi doctrinam persequeretur: quo factum est, ut reiecto & contempto Synagogæ vocabulo, Ecclesie nomen Christianis in usu fuerit.

Cæterum Ecclesia modò pro loco sumitur, *Ecclesia pro* in quo fideles congregantur, ut Iudith sexto: *loco.* Et conuocatis omnibus Presbyteris ciuitatis, & concurrunt omnis populus, & per totam noctem intra Ecclesiam orauerunt. Designat & *Pro cœtu.* cœtum fidelium certo etiam loco collectum. Sic Paulus ad Romanos scribens, Salutant vos omnes Ecclesie, inquit, & ad Corinthios, Ecclesia quæ est Corinthi: & Ecclesia quæ est in *Rom. 16.* *1. Cor. 1.* *1. Cor. 16.* domo Priscæ & Aquilæ. Ad Colossenses, meminit Ecclesie in domo Nymphæ. In Apocalypsi verò Ecclesie septem describuntur, & à loco denominantur. Sumitur & Ecclesie nomen pro his qui præsent: ut cum Christus ait, *Pro præsentis.* Si te non audierit, sit tibi velut Ethnicus & publicanus.

Sed tamen (ut scribit Lactantius libro quarto diuinarum institutionum) quoniam singuli quique cœtus hæreticorum se potissimum Christianos, & suam esse Catholicam Ecclesiam putant: sciendum est illam esse veram, in qua est confessio, & pœnitentia, quæ peccata & vulnera, quibus subiecta est imbecillitas carnis, salubriter curat. Iunilius verò Cõmentariis

EE

Quid Ec-  
clesia.

in Genesim Ecclesiam definit, Matrem omniū per orbem verā vitā viuentium. Ex scripturis colligimus, illam quidem, si modò hīc militer, congregationem esse fidelium in vnum Christi corpus mysticum, quæ & verbo Christi reficitur, & sacramentis purificatur. Tanta est autem hic cœtus apud Christū, vt ipse ei semper adfit, & numquam desit, sicut ex eiusdem verbis colligimus: Si duo aut tres ex vobis cōfenserint de vna re super terram, fiet illis à patre meo. &, Quoties duo aut tres congregati fuerint in nomine meo, in medio illorum sum. & rursus, Ego vobiscum sum vsq; ad consummationem seculi. Vnum verò corpus esse mysticum docet Paulus, etiam ducta similitudine à matrimonij sacramēto, quo fiunt duo in carne vna: hoc nimirū ad Christi capitis cum suis membris vnionem exprimendā. Nam & vnum corpus multi sumus (inquit) omnes qui de vno pane & de vno calice participamus. Reficitur autem illud diuini verbi pabulo, reficitur & Eucharistia: quæ Christus panis nomine in Capernaum nuncupauit, quæ etiam Psaltes intellexit, cum hæc caneret, Paraasti in conspectu meo mensam: & rursus, Memoriam fecit mirabilium suorum miserator & misericors Dominus, escam dedit timentibus se. Denique purificatur Ecclesia sacramentis, purificatur baptis- mate & pœnitentia: cum hæc illa vim abluant, vt peccata expurgent, & animam à delictis emundent.

Cœterum cum dicimus, *Credo Ecclesiam*, vis

sermonis mutatur: omittitur enim prepositio, *In*. Non enim dicimus, *Credo in Ecclesiam*, sed *Credo Ecclesiam*. Nam (vt docet Augustinus) credere Ecclesiam, non in Ecclesiam debemus: quia Ecclesia non Deus, sed domus Dei est. Sic enim creaturas à creatore, & humana à diuinis se-  
*Serm. 57.*  
cernimus, vt scribit Cyrillus, aut Ruffinus, tractatu suo de symbolo. Exprimatur autem hic articulus (vt scribit Petrus Chrysologus) quia neque à capite membra, neque sponsa separatur à sponso: sed dum tali coniunctione spiritus fit vnus, fit omnia & in omnibus Deus. Ergo ipse in Deum credit, qui in Deo sanctam Ecclesiam confitetur, & agnoscit. Porro Ecclesiam credere, non modò hoc spectat, vt ne-  
*Hi qui du-  
bitat de Ec-  
clesia decre-  
tis, non cre-  
dunt Eccle-  
siam.*  
quis dubitet quòd Ecclesia sit, sed & ne in quæstionem reuocet quicquid ab ipsa est: adeò vt qui ipsam credit, cœtera quoque quæ ipsius sunt, implicitè se credere profiteatur. Nec enim quis causari poterit, aliquid non in cæteris articulis expressum esse, vt illud credere teneatur. Nam si verè Ecclesiam credit, credit & illam scholam esse veritatis, neque latum vnguem ab eius interpretatione & traditione credendum esse censet. Quid enim est aliud Ecclesiam credere, quàm credere etiam in ter-  
*2.*  
ris cœtum esse fidelium, qui regatur à Spiritu sancto, qui Christo insertus sit, & Deo per fidem vniatur? Iam nisi illa rata sunt, quæ ille cœtus probauerit, quæ didicerit: quomodo à Spiritu sancto dirigi credetur? Quod si non ab eo dirigitur, nec quoque Christi Eccle-

3. fia est: si verò dirigitur, quomodo non Spiritui sancto iniuria infertur, & Christo, si quid reiicitur quod à corpore illo mystico profectum est? Nec enim hîc de particulari aliquo seorsim posito differimus, sed de vniuersali illa & sancta Ecclesia: cùm nomen Ecclesiæ, nomen sit multitudinis.

*Chrys. hom. 1. in 1. ad Thessal.* Quis enim contempto Propheta, non simul & spiritum, qui per eum loquitur, contempserit? Eapropter enim cùm Israëlita regem sibi præfici postulassent, & displiceret hic sermo in oculis Samuëlis, quòd se iam contemni videret: dixit Dominus ei, Non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos. Iuxta omnia opera sua, quæ fecerunt à die qua eduxi eos de Ægypto, vsque ad diem hanc, sicut dereliquerunt me, & seruierunt diis alienis, sic faciunt & tibi. Sed & ipse Christus, Qui vos audit (inquit) me audit: & qui vos spernit, me spernit. Iam si is, qui Prophetam vnum, aut Apostolum spreuerit, etiam ipsum Deum & Christum spreuisse dicitur: quomodo non magis diuinam maiestatem contempserit, qui Ecclesiam Prophetis, Apostolis, & omnibus fidelibus celebrem riserit? Qui Apostolum audit, Christum audit: quomodo non magis qui Ecclesiam audit, Christum audire dicetur? Christum enim in Ecclesia manere, & per Ecclesiam loqui quis dubitat? Manet enim in nobis spiritualiter per fidem, & sacramentaliter per Eucharistiam. Dicit enim Apostolus Christum per fidem habitare in cordibus nostris.

Dicit & Christus, Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. Imò & vnum nobiscum efficitur, cùm (vt scribit Paulus) simus os ex ossibus eius, & caro de carne eius. Cæterùm ipsum in Ecclesia loqui quis non intelligat, præfertim cùm audacter Paulus clamet, An experimentum quæritis illius, qui in me loquitur Christus. Iam cùm Christus in Ecclesia maneat, & per eam loquatur & doceat, quomodo non Ecclesiæ doctrina, doctrina Christi est? Adde quòd cùm Dominus Apostolicam prædicationem ad suam originem reuocaret, ne quis homines simplices, & piscatores eos esse causaretur, ait: Non vos estis qui loquimini, sed spiritus patris qui loquitur in vobis. Quid apertius dici potuit ad contundendam hominū superbiam, qui cùm de decretis Ecclesiæ differunt, dicunt, homines illos esse qui hæc statuerunt. quasi verò ab ipsis, & non à Deo, Ecclesiæ doctrina profecta sit. Non vos estis qui loquimini, inquit Christus. Loquebantur Apostoli, & non loquebantur. Loquebantur quidem, si externa organa spectes, cùm intesim non nisi quæ illis aspirabantur, dicerent. Nam (vt scribit Ireneus) in Ecclesia posuit Deus Apostolos, Prophetas, & Doctores, & vniuersam reliquam operationem spiritus: cuius non sunt participes omnes, qui non concurrunt ad Ecclesiam, sed semetiplos fraudant, per sententiam malam, & operationem pessimam. Vbi enim Ecclesia, ibi & spiritus: & vbi spiritus Dei, illic Ecclesia, &

7.  
Matth. 10.  
Doctrina  
Ecclesiæ, nō  
hominum,  
sed Dei do-  
ctrina est.

Li. 3 in hæ-  
ref. c. 40.

8. omnis gratia. Ex quo factum est, ut magna quaedam autoritate Prophetę suas exhortationes & oracula munirēt his verbis: Hęc dicit Dominus. Idem etiam Paulus sequitur, cum de virginitate & matrimonio differēs, His (inquit) qui matrimonio iuncti sunt, precipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere: quod si discesserit, manere innuptā. Hęc etiam adicit, Puto autem quod spiritum Dei habeam. Ita ad Spiritum sanctum doctrinę suę gravitatem remittebat. Iam cum is, qui Pauli, aut Prophetę pręcepta contempserit, in Deum inobediencię reus esset: quomodo non condemnabimus eos qui Ecclesię Christi detrahunt? Quam verò excusationem habent, qui pręcepta Ecclesię à decretis diuinis separant: quasi quę Ecclesię sunt, non etiam Dei sint? Nam si quę sunt Pauli, aut Petri, non omninò ipsorum sunt, sed Dei: quomodo non magis quę Ecclesię sunt, Dei erunt? Num maius est corpus membro, & Ecclesia Paulo? pręsertim quod omnes labores, & Pauli prędicationes ad communem Ecclesię ædificationem conspirent. *Ædificauit Paulus, ædificauit Petrus, ædificat & quisque fidelium in fundamento Christo: Ædificatio autem illa in corpus Christi mysticum cõsurgit. Huc spectat quod Paulus ait, se adimplere ea quę desunt, pro Christi corpore quod est Ecclesia. Itaque cum in commune bonum Ecclesię conspirent omnia quę Paulus, quę Petrus, & ceteri veritatis testes contulerunt, nec negari aut detrahi possit*

1. Cor. 7.

1. Cor. 3.

pręcepto alterius eorum: quis Ecclesię decreta contemnenda arbitrabitur?

Plus est enim totum parte: & propter vnum quodq; tale & illud magis, ut docet Philosophus. Ideò verò non contemnitur Paulus, aut Petrus, quia membrum est Ecclesię, viuum & sanum: ideò illis creditur, quia cum eius membra essent, à Christo capite abundarunt. Multo magis igitur, aut saltem æquè, Ecclesię credendum est. Nam si quis putauerit illos, non ab eo quod ad Ecclesiam pertinerent, veritatis lumen accepisse: quomodo hoc interpretabimur quod ait Christus, Nisi palmes in vite *Per Eccle-* manserit, fructum ferre non potest: ita neque *siam p̄ vi-* vos, nisi in me manseritis? At verò quonam *ri partici-* vinculo Christo colligamur & inserimur, nisi *pamus Chri-* eo quo membra nos inuicem agnoscimus, & *sto.* omnes in vno corpore baptisati sumus, siue Iudæi, siue Gentiles: vnum etiam corpus multi sumus, omnes qui de vno pane & de vno calice participamus? Hoc autē corpus quid aliud quàm Ecclesia est? Itaque Paulus & Petrus, ceterique & Apostoli & Prophetę, eò maximè audiendi sunt, quod mediante communi Ecclesię vinculo, Christo cohærent. Mediam itaque Ecclesiam agnoscamus, è qua electi Dei abundarunt, & à quibus etiam ipsa abundauit, ut in vnum & quę sunt Apostolorum & Prophetarum, & quę Ecclesię sunt, conferantur. Nam si quis Ecclesię doctrinam & pręcepta *II.* sustulerit, quomodo non etiam quicquid est ab Apostolis & Prophetis subuerteretur?

Si quis enim corpori iniuriam facit, an non membris? si quis toti detrahit, an non etiam constitutivis partibus? A corpore enim ad membra necessaria cōsecutio est, ut ex eo quòd Paulus corpora nostra templa Spiritus sancti agnuit, tandem etiam hæc intulit: Tollens ergò membra Christi, membra efficiam meretricis. Itaque si quis doctrinam Ecclesiæ adulterinam esse dixerit, an non idem etiam de doctrina Apostolorum, et si non aperte, saltem tamen implicitè concludet?

12. Nimirum ad honorem sponsi redundat, si quid honoris sponsæ defertur: ad sponsi etiam dedecus, si quid in sponsa reprehenditur. At verò desponsavit sibi Christus Ecclesiam, quomodo igitur non ei suus honor debeat? quid illi velut adulteræ detrahere audeat? An non de membris eius dicitur, despondi vos vni viro virginem castam exhibere Christo? Nam si virgo est, pura quoque est eius fides, pura doctrina.

Huc recurrunt ea omnia, quæ nos in superiore libro de traditionum autoritate diximus, cum ab aliis scripturas testimonium accipere cōcluderemus. Traditio enim doctrina Ecclesiæ est per manus accepta. Ego verò Euāgelio non crederē (inquit Augustinus) nisi me Ecclesiæ catholicæ commoneret autoritas. Nam (ut libro trigesimo tertio Contra Faustum Manichæum differit) si cum hereticis de canonicis libris queratur, ut cū Manichæis, qui vetus Testamentum reiecerunt, aut cum aliis qui

*Contra E-  
pist. Mani-  
ch. cap. 5.*

*Cap. 6.*

alios libros contempserint, num ad Ecclesiæ *Scripturas* & *traditio* autoritatem confugiendum erit? Ecce scilicet (inquit Augustinus) istas literas quas habemus in manibus, si post aliquantum tempus *vetustas* & *confirmat* & *docet Eccle-* te huius nostræ, vel illas cuiusquam Fausti esse, *sua.* vel has neget esse meas: unde conuincitur, nisi

quia illi, qui nunc ista nouerūt, notitiam suam ad longè etiam post futuros continuatis posterorum successioneibus traiciunt? Quæ cum ita sint, quis tandem tanto furore cæcatur, nisi dæmoniorum mendaciloquorum malitia atque fallacia cōsentiēdo subuersus sit, qui dicat hoc mereri non potuisse Apostolorum Ecclesiam, tam fidam, tam numerosam fratrum concordiam, ut eorum scripta fideliter ad posteros traicerēt, cum eorum cathedras vsque ad præsentis Episcopos certissima successione seruaret, cum hoc qualiumcunque hominum scriptis, siue extra Ecclesiam, siue in ipsa Ecclesia, tanta felicitate proueniat?

Ex his efficitur, ut Catholicæ Ecclesiæ omnia subiici oporteat, maximè verò scripturarum interpretationes: cum non quid ille vel ille, sed quid Ecclesia sentiat, & credat, quærendum sit. Alioquin, quis sectariorum non amplum dicendi campum haberet, si quisque suas opiniones sequi possit: Ecclesiam autem Catholicam auerteretur? Vincentius Lirinensis, Nestorij sceleratam præsumptionem notat, quòd sacram scripturam se primum & solum intelligere, & omnes eos ignorasse iactaret, quicumque ante se magisterij munere præditi,

*Vincentius  
Lirinensis.*

*Nestorius.**Gnostici.**Epist. 190.  
ad Innocen-  
tium.**P. Abai-  
lardus.*

15.

*Hic articu-  
lus nos ab  
haereticis se-  
mercit.*

diuina eloquia tractauissent, vniuersos scilicet sacerdotes, vniuersos confessores & martyres, quorum alij legem Dei explanassent, alij explanantibus consensissent & credidissent: totam postremò nunc errare, & semper errasse asseueraret Ecclesiam, quæ, vt ipsi videbatur, ignaros erroneosq; doctores & sequuta esset, & sequeretur. An non eadem temeritate Gnostici, Catholicæ Ecclesiæ patres cõtempserunt, dum sibi metipsis solis omnem veritatis cognitionem vendicarent? Sic quoque Abailardus in se omnium manus prouocabat, cum Patrum sententiis constrictus, hæc diceret: Omnes sic, sed non ego. Quid ergo tu? inquit Bernardus. Quid melius asseris? quid subtilius inuenis? Quid secretius tibi reuelatum esse iactas, quod præterierit tot sanctos, effugerit sapientes? Si ergo cuique liberum est quæ voluerit effingere, quomodo non omnia incerta erunt? Itaque cum ad amissim Ecclesiæ Catholicæ omnia reduci oporteat, manifestum est quid iste articulus possit. Docet enim iis omnibus fidem adhibendam, iis etiam parendum esse, quæ ab Ecclesia docentur & præcipiuntur.

Hic sanè fidei articulus nos maximè ab hæreticis segregat. Si quid enim illi admiserint, quòd cæteris significatur: saltem in hoc errareprehenduntur, quòd Ecclesiam Catholicam non admittant, cum ea potiùs oppugnant, quæ ab ea proficiscuntur, seu ad scripturarum interpretationem, seu ad traditiones, aut omnium disciplinam. Nec enim Donatistæ Nouatiani

Ætiani, aut Pelagiani Apostolicum Symbolum in quæstionem verterunt qui tamen Ecclesiæ Catholicæ & Apostolicæ authoritatem exploserunt. Quanti ergo pòderis est hæc confessio, cum nos Christo inserat, & à prophanorum hominum contubernio segreget? Hic autem non modò quæritur inter dispensatores Dei, Vt fidelis quis inueniatur: sed inter tot hominum cõgregationes, quæ se Christianorum nomine insigniunt, quis se Ecclesiam Dei verè nuncupare possit. Quis enim hæreticorum non sibi hoc nomen vsurpauit? An non fuerunt qui se Apostolicos dicerent, quasi qui propius Apostolorum doctrinam sequerentur? qui Catharos, vt qui purius Deo seruirent? Num etiam Donatistæ (vt scribit Optatus Mileuitanus) nostra templa prophana ducebant, quasi qui se solos Dei Ecclesiã constituere putarent? Num de Nauatianis conqueritur Cyprianus, quòd cathedram in cathedram erigerent, sibi que baptisandi & offerendi potestatem arrogarēt? Quin & ad Iubaianum scribit, Nouatum simiarum more Ecclesiæ Catholicæ authoritatem sibi vendicasse. Hoc omnibus hæreticis commune est. cum nullus eorum sese Ecclesiam Sathanæ esse fateatur. Itaq; ne quis in discernenda vera Christi Ecclesia incautus erret, notæ illius & à Symbolo Apostolico, & Niceno petendæ sunt.

*Heretici sibi nomē Ecclesia arrogant.  
Cathari.  
Apostolicis Donatistæ.  
Optatus in Parmenianum.*

De notis vera Ecclesie, quarum prima est, quod sit una, unde impossibile est aliquem hereticum & catholicum esse: quodque eius unitas in continuatione ab Adamo usque ad consummationem mundi confirmatur.



**V**o D certis quibusdam nationibus varietas morum & idiomatum facit, ut ab inuicem distinguantur: hoc illarum notarum, quae in fidei symbolo assignantur, faciunt, ut vera Christi sponsa ab adultera segregetur. Duae vero in Apostolico Symbolo assignantur, quod sancta sit & catholica: duae rursus in Constantinopolitano Niceno adiciuntur, quod una sit, & Apostolica. Et primum quidem Vnam Ecclesiam esse agnoscimus, ne forte tot esse fidelium coetus aliquis putauerit, quot sunt hominum opiniones & fantasiae. Si quis enim dixerit, Hic aut illic est Christus: minime credendum esse, ipse Christus docuit: quod non in qualibet secta sit, sed in vnica Ecclesia. Vides enim in bene constitutis nuptiis, vnicam sponsam vni spouso assignari: Ut sint duo in carne vna. Iam cum Ecclesia Christi sponsa sit, vnicam agnoscere necesse est. Hoc sponsus ille noster in Canticis cecinit, Vna est columba mea, perfecta mea, vnica est matri suae. Augustinus librum edidit de unitate Ecclesie, in quo haec asserit: In scripturis sanctis canonicis Ecclesiam requiramus. Totus Christus caput & corpus est: caput, Vnigeni-

Ecclesie unitas probatur.

Tertul. lib. de monogamia.

Cantic. 6.

Cap. 4.

tus Dei filius: & corpus, Ecclesia, sponsus & sponsa, duo in carne vna. Quicumque de ipso capite ab scripturis dissentiant, etiam si in omnibus locis inueniantur, in quibus Ecclesia designata est, non sunt in Ecclesia. Et rursus quicumque de ipso capite scripturis sanctis consentiunt, & veritati Ecclesiae non communi-  
*August. lib. de fide ad Petrum. Cap. 45.*  
cant, non sunt in Ecclesia, seu corpore Christi. Huius typum habuit Arca Noe, quae caeteris naufragis & pereuntibus, in securum portum eos deduxit, qui illam ingressi sunt. Nec vero plures erant Arcae, sed vna: nec extra illam salus esse poterat. Ex quo concludit Augustinus, nec extra Ecclesiam sacramenta prodesse, licet eorum integritas vbique cognoscatur. Sed & Paradisus Ecclesiam quodammodo expressit. Sicut enim per verba Dei nominus vbi sit plantatus Paradisus, sic per verba Christi, vbi sit Ecclesia, didicimus. Per omnes (inquit) Gentes incipiens ab Hierusalem. Ab isto vniuerso ad partem quamlibet quisquis separat hominem, ille diaboli filius & homicida conuincitur. Ut enim in Paradiso diuinae leges, decreta & sacramenta instituta sunt, sic & in Ecclesia. Utrobique pascitur homo arbore vitae, & diuina consolatione reficitur. Verum hac homini felicitatem inuidit Sathan: siue irruentem illum in primum hominem, seu in quoscunque fideles, consideremus: cum hoc vnum nitatur, ut homines a deliciarum Paradiso, ab Ecclesia nimirum seducat & perdat. Quinetiam Israeliticae plebi argumenta unitatis Ecclesiae exhi-

August. lib. de fide

ad Petrum. Cap. 45.

Arca Noe.

2.

Idem lib. 3.

contra Donatistas cap. 17

Paradisus.

Lib. 2. contra

litteras Petilian.

Cap. 13.

*Domus una in qua familia comeditur* bita sunt, cum in vna domo per familias agnū comedi oporteret. Vbi enim ad salutem Christi verus agnus accipi poterit, quam in vna Ecclesia? Vnicum olim templum, vnicus etiam mons Syon, Dei cultu insignis. Eapropter ad Moysen Dominus dixit, Est locus apud me, & stabis supra petram. Et paulò post, Tollam manum meam, & videbis posteriora mea. Quia enim (inquit Augustinus) ex sola Catholica Ecclesia veritas conspicitur, apud se esse locum Dominus perhibet, de quo videatur. In petra Moyses ponitur, vt Dei faciem contempletur: quia nisi quis fidei soliditatem tenuerit, diuinam presentiam non agnoscit. Aduersariam verò Ecclesiam prætulit illa turris Babel, in qua linguarum diuisio & confusio facta est, cum prius esset terra vnus labij. Quomodo enim non diuisos à se inuicem, immò & à semet ipsis hæreticos obseruabis? Mentiar (inquit Tertullianus) nisi à regulis suis variant inter se, dum quisque pro arbitrio suo modulatur. Sed & quod ipsi semel probauerint, statim mutāt, vbi sese leui aliqua ratione traduxerit opinio. Quomodo enim vnā Ecclesiam apud Lutherum, Calvinum, aut alios hæreticos animaduertes, cum quotannis etiam ab his quæ crediderant, moueantur? cum toties formulas, catechismos, definitiones, ordinem & disciplinam mutant? Adde quòd non est Deus dissensionis, sed pacis, ex quo facilè nota Sathanicæ Ecclesiæ colligitur: cum omnia turbare, & in quæstionē cōuerrere soleat. Hic est qui primos

*Serm. 1. in vigil. Pentecost.*

*Figura Ecclesie malignantium.*

*Hæretici semper contradicunt.*

parentes hac quæstione abducere tētavit, Cur præcepit vobis ne de fructu arboris manducaretis? qui tumultuosos in Moysen, ingratos in Prophetas, impios in Christum concitauit. Ego Deus (inquit Dominus) & non mutor. Ex quo efficitur, vt licet multæ sectæ prodeant, vna tamen semper maneat Ecclesia. Alioquin si multiplex illa censenda est, an non & ipsa fides, & illius obiecta conuelluntur? Siquidem (ait Tertullianus) retractare oportebit omnem disciplinam, quasi pro libito hæreticorum Christus sua immutet, & dicat, Semel Euangelium, & eiusdem regulæ doctrinā Apostolis meis delegaueram: sed libuit mihi postea aliqua inde mutari. Resurrectionem promiseram, etiam carnis: sed recogitavi, ne implere non possem. Natum me ostenderam ex virgine: sed postea mihi turpe visum est: quasi verò Verbum Domini non maneat in æternū: quod vt semper idem & simplicissimū est, ita & vnitatem Ecclesiæ confirmat. Hanc Helyas Propheta ex Dei simplicitate cōvincebat, ne forte si ad alium deflecterent, Israëlitæ sibi condonari posse crederent. Cum enim modò Deo vero, modò Baali adhærerent, Vt quid (inquit) claudicatis in duas partes? Si Deus est Baal, sequimini eum: si autem Deus Israël verus Dominus est, sequimini eum. Sic docebat duabus sententiis & Ecclesiis neminem distrahi posse. Hoc etiam Christus satis expressit. Qui non est mecum (inquit) contra me est: qui non colligit mecum, dispergit, sed & Iacobus, Qui offen-

*Fides una.*

*Tertul. Lib. de prescrip- tionibus contra hg. 2.*



Qui sunt ex  
tra Ecclesiam  
excusatione  
erroris sui a-  
pud Deum non  
habere.

Politici  
Atheistae.

derit in vno, factus est omnium reus. Aut enim Christo in vna Ecclesia adherere necesse est, aut illi aduersari. ne quis scilicet velamen impietatis requirat, & declinet ad excusandas excusationes in peccatis, dicens, Mei miserebitur Dominus, si forte errauero, & veram Ecclesiam dereliquero: cum id mihi non certa quadam scientia contingat. Frustrâ hæc sanè. Qui enim se ab Ecclesia auertit, sese in Ecclesiam erexit & armauit: & qui Christum in Ecclesia non amplectitur, illum extra Ecclesiam habiturus non est. Non potestis Deo seruire & Mammonæ, nec duobus dominis seruire: ita neque duas Ecclesias sequi. Quot sunt verò his nostris temporibus, qui vtrique parti fauere videantur, cum neutri faueât, sed vtramque auersentur? Qui enim fidelis est, infidelis non est: & qui pro Ecclesia est, simul contra Ecclesiam esse non potest. Hos nonnulli Politicos nuncupant, vt qui hominibus applaudant, & secundum reipublice mutationes externam fidei professionem traducât. Sic vbi hæreticis prosperè successerit, nusquam peiores repereris: vbi verò malè illis cesserit, tum ad nouam fidei formulam, & sacramentum periurij recurrunt: tum ad templa nostra confugiunt, & mutante, immò reluctante prophana conscientia, sese Catholicos esse mentiuntur. Atqui vnica est Ecclesia, quæ non corpora modò, sed ipsas maxime voluntates & animas in vnitatem fidei & cultus colligat. Hac in parte cum ab Ecclesia discrepent, quomodo in Ecclesia aduersari cen-

enseantur, licet quemuis hypocriseos fucum prætexant? Porro ex serie temporum vnica Ecclesia deprehenditur, vt quæ ab initio ad nos vsque decurrerit, & ad finem vsque sit perseveratura, non interuallo aliquo temporis discissa, sed in electis saltem paucis, quauis etiam occurrente tempestate superstes. Fuit enim illa primùm in Adamo & Eua, cum iam in seipsis mysterium gererent Christi nobiscum vnionis, & in nomine Domini congregarentur. Benedixit etiam illis Deus, & dixit, Crescite, multiplicamini, & replete terram & subiicite eam, & dominamini piscibus maris. Nec quidem etiam peccato adueniente, omnino illa decidit: cum (vt de Petro negante legimus)

*Mens maneret innocens,*

*Animusque seruaret fidem.*

Nec enim infidelitate lapsus est Adamus, qui & statim vocem Domini agnouit: sed vxoris blanditiis delinitus, mandatum Domini prætergressus est. Siquidem (vt scribit Augustinus) non ignorabat præceptum, neque illud non contemnendum esse, sed vxoris persuasionem Dei mandato præposuit: sicut Aaron erranti populo ad idolum fabricandum non consensit inductus, sed cessit obstructus: nec Salomonem credibile est errore putasse idolis esse seruiendum, sed blanditiis fæmineis ad illa fuisse impulsum. Vt ergo non decessit fides Adami, sed licet mortua ipso etiam peccato patrato perseverauit: ita & Ecclesia quæ & maxime

*Ecclesie vni-  
tas in conti-  
nua succes-  
sione.*

1.

2.  
*Ecclesia etiã  
in Adamo  
peccante.*

*Peccatum  
Adami non  
fuit infide-  
litatis.*

*Lib. 14. de  
ciuit. Dei.  
Cap. 11.*

*Berosus lib.  
1. breuiarij  
hist.*

*Sethoite.*

*Noë.*

*Ecclesia nū-  
quam desit*

*3. Reg. 19.*

*Rom. 11.*

restituta est in duobus, statim atque Domini exhortationibus ad reatus sui cognitionem, & pœnitentiam, deducti sunt. Scribit Berosus Adamum multa filiis mandasse: nec dubium, cum esset velut ἀρχιερεύς & Pontifex, omniumque primus diuini verbi præco. Quis verò ante diluuium Sethoitas filios Dei fuisse negauerit, populum electum, gentem etiam sanctam, sed quid tandem conciliatis inter filias hominum connubiis peiores euaserint? Ita tamen, ut eo tempore quo corrupta omnia videbantur, Ecclesia saltem in paucis perseuerarit. Fuit enim Noë vir iustus, qui Arcam extruxit, in qua pauci, id est, octo animæ saluæ factę sunt per aquam. Si demum ad ea tempora progrediamur, quæ diluuium consecuta sunt, habemus Patriarchas, illorumque familias: Israëliticum etiam populum à Deo selectum: tandem verò Christianam plebem ita succedentem, ut omni tempore à fidelibus dici potuerit, *Credo Ecclesiam.* Cedo enim tempus quo illa desuisse videatur. Sit iis diebus, quibus Helyas ad Dominum clamabat, Altaria tua Domine, destruxerunt, Prophetas tuos occiderunt gladio, & remansi ego solus, & quærunt animam meam. Accipe animam meam: neque enim melior sum quàm patres mei. Sed quid illi diuinum respōsum? Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curuauerunt genu ante Baal. Impudentissimi tamē hæretici Ecclesiam desitutam, immò & desuisse, Euangelicam etiam doctrinam latuisse, in se solos autem regnum Dei, quod

interierat. peruenisse proclamant. Tam temerè Christi sponsam aduersantur, tam audacter sese solos iactitant, quasi qui cæteris ignaris, in summum doctrinæ Catholicæ apicem peruenierint. An verò aliquando ruit fides? An non, etsi pauci saltē aliqui sunt, qui Ecclesiā Christi militantem præ se ferant? Augustinus enarratione in Psalmum centesimum primum, Donatistas maximè arguit, qui suo tempore Ecclesiam Gentium periisse dicebant. Hoc dicunt (inquit) qui in illa non sunt. O impudentem vocem. Illa non est, quia tu in illa non es: Vide ne tu idē non sis: nam illa erit, etsi tu non sis. Hanc vocem abominabilem & detestabilem. præsumptionis plenam & falsitatis, nulla veritate suffultam, nulla sapientia illuminatam, nullo sale conditam, vanam, temerariam, præcipitem, perniciosam, præuidit spiritus Dei, & contra illos annuntiauit vnitatem, dicens: In conueniendo populos in vnum, & regna ut seruiant Domino. Et paulò post, Quoniam dicturi erant contra, fuit Ecclesia, & non est. Exiguitatem (inquit) dierum meorum annuntia mihi. Quid est quod nescio qui, recedentes à me, murmurant contra me? Quid est quod perdiri me periisse contendunt? Certè enim hoc dicunt, Quia fui, & non sum: annuntia mihi exiguitatem dierum meorum. Nō à te quæro illos dies æternos: illi sine fine sunt, vbi ero: non ipsos quæro, temporales quæro, temporales mihi annuntia. Quandiu ero in isto seculo, annuntia mihi propter illos qui dicunt, fuit,

*Hæretici  
biiciunt Ec-  
clesiam in-  
terisse.*

*Donatista.*

*Augustinus*

*Psal. 101.*

& iam non est: propter illos qui dicunt, Imple-  
 ræ sunt scripturæ, crediderunt omnes Gentes.  
 Sed, apostatauit & periit Ecclesia de omnibus  
 Gentibus? At verò Christus, Ego (inquit) vo-  
 biscum sum vsque ad consummationem secu-  
 li. Sed hîc existunt, & dicunt, Vobiscum sum  
 (inquit) vsque ad consummationem seculi, quia  
 nos præuidebat, quia pars donati erat in terra.  
 Nunquid ipsa est, quæ dixit, Exiguitatem die-  
 rum meorum annuntia mihi: ac non illa po-  
 tius, quæ superius loquebatur, In conuenien-  
 do populos in vnum, & reges vt seruiant Do-  
 mino? Vnde vobis cor dolet? Quia & Impera-  
 tores contra hæreticos leges proponunt, vbi  
 & istud impletur, Et regna vt seruiant Domi-  
 no. Quin & in alio Psalmo Dauid: Deus (in-  
 quit) fundauit eam in æternum. Verùm Dona-  
 tistæ obiectabant, quòd etiam à nostri seculi  
 turbulentis hominibus proferri solet, Domi-  
 num de extremis temporibus hæc prædixisse,  
 Filius hominis cum venerit, putas inueniet fi-  
 dem in terra? Hoc autem (inquit Augustinus)  
 sic dictum intelligimus, vel propter ipsam fidei  
 perfectionem, quæ ita difficilis est in homini-  
 bus, vt in ipsis quoq; admirabilibus sanctis, si-  
 cut & in Mose, inueniatur aliquid vbi trepida-  
 uerint, vel trepidare potuerint: vel propter illam  
 iniquorum abundantiam & paucitatem bonorum. Pro-  
 pterea enim tanquam dubitans hoc Dominus,  
 dixit. Neque enim ait, Veniens filius hominis  
 non inueniet fidem in terra: sed putas inueniet  
 fidem in terra? Nec enim temerè Paulus, cum

Math. 28.

Psal. 47.

Quæstio.

Luc. 18.

Lib. de vni-  
tate Eccles.

Cap. 13.

de sacrosanctis Liturgiæ mysteriis ageret, hæc  
 inferuit: Mortem Domini annuntiabit donec  
 veniat. Nam ad secundum vsque Christi aduen-  
 tum, & mors Christi & resurrectio annuntia-  
 bitur, nimirum in Ecclesia Catholica. Nec qui-  
 dem Ecclesiæ persecutiones, martyria, exilia,  
 tyrannorum opposita decreta, comminationes,  
 Ecclesiæ progressum impedierunt: quin potius  
 (vt scribit Theodoretus) Christi aduersariis  
 hoc euenit, quod & his, qui fatui oleum igni in-  
 stillant, hunc se extincturos rati, cum interim  
 illum magis accendant: quodque his, qui licet  
 syluam scindunt, pullulantes tamen ramos, &  
 luxuriantem rursus radicem perspiciunt. Vt enim  
 Verbum Domini manet in æternum, ita & in  
 æternum manet Ecclesia Dei. Legimus quidem  
 à facie draconis mulierem, Ecclesiam scilicet,  
 in eremi penetralia fugituram: neque tamem il-  
 lam perituram, aut desituram audimus, præser-  
 tim cum ipso etiam iudicij tempore, quosdam  
 viuos superfuturos audierimus, qui, vt è nume-  
 ro electorum erunt, in momento immutabun-  
 tur. Hæc est ergo illa vnitas, quæ extrema me-  
 diis colligat, nec diuisionem & interualla pa-  
 titur, sed continuum cursum habet. Discindi e-  
 nim aliquid contingit ab altero, si notabili ali-  
 quo interuallo disiungatur. Atqui vna est Eccle-  
 sia. Illam quoque ab Adamo in perpetuum tan-  
 dem duraturam credere debemus, maximè cum  
 à militantibus ad triumphantes transeat. Nam  
 de his qui superato seculo beatam quietem ade-  
 pti sunt, dicitur: Hi sunt qui venerunt de tribu-

Theodore-  
tus lib. affe-  
tionum gra-  
uarum ser. de  
martyribus

Apo. 7.

*Ecclesia triumphans**Ecclesia Moisaica & Christi eadem.*

lacione magna, & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine agni: & idè sunt ante thronum Dei, & seruiunt ei die ac nocte in templo eius, & qui sedet super throno, habitabit inter illos. Neque esurient neq; sitient amplius, neque cadet super illos sol, neque vllus æstus: quoniam agnus, qui in medio throni est, reget illos, & deducet eos ad fontes aquarum, & absterget Deus omnem lachrymã ab oculis eorum. Vt enim non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit, ita qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Itaque tanto abest, vt pereat Ecclesia, quòd viua illius membra, cum ex hac valle miseræ erepta fuerint, maiore gloria & honore perfruentur. Quòd si aliquis aliam fuisse Iudeorũ synagogam, aliam nunc esse Ecclesiam dicat, ex quo non semper illam fuisse concludat: multum sanè hallucinabitur. Nec enim Christus aliam Ecclesiã instituit, sed ipsam illam sanctificauit, & purificauit lauacro aquæ in verbo vitæ, siquidem vt non alia fuit Patriarcharum, nec alia Mosis & Prophetarũ, & nostra fides, sed vnica & simplicissima, sicut & vnicus est Deus: ita nec alia est Ecclesia, si tu mēbra consideres, licet alius sit ornatus membrorum. Quis enim negauerit, etiam Prophetas & Patres illos, qui legalibus ceremoniis ad dicti erant, Christi corpori mystico per fidem incertos fuisse? Alioquin, vbi salus eorum? Vbi redemptio, cum necesse sit Christo prius inferri, quàm vitam hauriamus? Idè scilicet ille eos è captiuitate eripuit, quòd sui essent, & ad

Ecclesiam suam pertinerent. Nam quis non admittat congregationem illam, quæ simul cum Christo triumphante ascendit in cœlum, veram Christi Ecclesiam fuisse? An non primogenitus mortuorum, & primogenitus in multis fratribus dictus est, quòd dudum mortali vita functos Patriarchas & Prophetas etiam fratrum nomine dignaretur? Huc verò spectant ea, quæ Christus de sua doctrina disseruit, non venisse se legem soluere, sed adimplere. Ad eundem enim modum non venit synagogam, seu Ecclesiam Mosaicam dissipare, sed perficere, & sanctificare. Quod & ipse in parabola vineæ satis expressit. Nam cum per vineam fidelium cœtam intellexisset, qui Scribis & Pharisæis creditus erat, tandem intulit, Vineam suam locabit agricolis. Eadem nimirum prorsus vinea, eadem Ecclesia, idem fidelium cœtus, Apostolis locatus est: autoritas autem à Scribis & Pharisæis ablata est. Vide denique quid Christus dixerit, cum de Moyse cathedra ageret. Num vt Scribas qui tum sedebant, ita Apostolos qui in Ecclesia sessuri erant, intellexit? Ita cathedræ & Ecclesię successerunt, qua vna est & simplicissima. Neque sanè è Iudæis illi ad Ecclesiam Israëlitis pertinebant, qui Christum negarunt. Sic enim habet Daniel, Et non erit eius populus, qui eum negaturus est. Exierunt è nobis (inquit Christus) sed non erant ex nobis. Nam licet numero in Ecclesia esse videretur, non tamen meritò: cum cum, in quem lex & Prophetæ

*Aliud esse in Ecclesia numero, & aliud merito.*

conspirant, abnegarent. Illi autem verè ad Synagogam Dei pertinebant, qui & filij Abrahæ, & veri Israëlita nuncupari poterant: sicut & Nathanaël, ad quem Christus, Ecce verè Israëlita, in quo dolus non est. Iam verò si ad eos, seu qui ante legem, seu qui legis tempore, aut gratiæ per Iesum factæ considerantur, fidelium cœtum referas, illum inquam qui veris credentibus constituitur: an nos illos nobis copulabis? Sic enim scribit Apostolus, ædificari nos super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu. An non Apostolos & Prophetas coniunxit? An non illis nos superstrui oportere monuit? Iam cum vnica sit Ecclesia, ad illam etiam Prophetæ, ad illam Synagoga, id est congregatio credentium sub Mose, reuocabitur. Est ergo vnica Ecclesia, seu doctrinæ & cultus simplicitatem, seu temporis successionem consideremus: cum extrema minimè desungantur à mediis, sed continua serie velut vnum corpus concilietur.

Eph. 2.

*Vnitas Ecclesiæ confirmatur unitate Pastoris: quòdque Petrus supremus Ecclesiæ pastor constitutus sit, nec interim Christi maiestas minuitur, immò potius augetur: quòd Christus & Petrus fundamentum Ecclesiæ esse dicuntur.*

**V**UNITATEM corporis nihil æquè confirmat, vt vnitas capitis. Multa enim membra cuiusque esse contingit, sed vnum caput. Nam si duo capita vni corpori aptentur, monstrum fabricabitur, non minus quàm

*Humano capiti cervicem pictor equinam*

*Iungere si velit, & varias connectere plumas.*

*Horatius li. de arte poë-*

*tica.*

Nos ergo, Ecclesiam vnã Christi sponsam, vnum etiam in ea supremum Episcopum agnoscimus: ad quem cœterorum ratio recurrere debeat. Quis enim, si rerum ordinem & naturam perscrutetur, non ad vnitatem omnia reduci videat? Nam & Philosophi multa indiuidua ad vnicam speciem, multas species ad vnicum genus: multa demum genera ad supremum aliquod referunt. Fontes autem omnes & riuuli à mari prodeunt, & in illud refluunt, vt à quo sortiuntur originem, ad id etiam reducuntur. Interim verò multi riuuli ad fontem, multi fontes ad fluuium, multi fluuij demum ad vnicum mare relabuntur. Nec tantum id in fontibus, sed & in arboribus: cum quæque multos ramos ad radicem vnicam reducat. His exemplis Cyprianus vnitatem illam amplificat. Auelle (inquit) radium solis à corpore, diuisionem lucis vnitas non capit. Frange ramum ab arbore, fractus germinare non poterit. A fonte præcide riuum, præcisus atrescit. Ita ad vnum solem omnes radios, ad fontem riuos, ad arborem ramos: & ad vnicum Pastorem & Episcopum omnes paræcias, diœceses, Patriarcha-

*Vnum caput*

*necessarium*

*Indiuidua.*

*Fontes.*

*Arbores.*

*Lib. de simp-*

*plicit. Præ-*

*latorum.*

tus, omnem denique Ecclesiæ ordinem reduci  
necesse est. Hoc etiam in apibus contemplare,  
quæ cum numerosæ sint,

*Vergil. in  
Georgicis.*

*--reges, paruosque quiritas*

*sufficiunt, aulæque & cerea tecta refugunt.*

*Obiectio hæ-  
reticorū de  
vno capite  
Christo.*

Hic ordo naturæ à Deo positus est, ut in mini-  
mis maxima cōspiceremus. Verum audio quid  
turbulenti & rebelles heretici obiiciāt: Agno-  
sci quidem ab omnibus Christum, caput super  
omnem Ecclesiam, vnicum & simplicissimū:  
nec aliud inter homines requirendum esse. At-  
qui nos Christum supremum omnium vtriuf-  
que Ecclesiæ, at demum Christo vicaneum ca-  
put substerni credimus, quod Ecclesiæ mili-  
tanti præsideat, & prospiciat. Nec quidem mi-  
rum videri debet, quod Christo substitutum  
caput agnoscimus, cum etiam idem de Christo  
fateri oporteat. Ideone scilicet, quia Christus  
caput est, nullum aliud assignari potest, cui il-  
le subsit? Nullum etiam, quod ei substituatur?  
Vtrumque sanè. Est enim & aliud caput Chri-  
sto superius & aliud ei substitutum, ut ex Pau-  
li doctrina didicimus: si quidem caput Christi  
Deus (inquit) caput viri Christus, caput mu-  
lieris vir: non quidē eodem gradu vir & Chri-  
stus, etsi vtrumque caput sit. Quid ergo obiici-  
tur, vnū esse caput, ex quo consequatur, quòd  
Christus Episcopus vnus sit, ita inquam vnus,  
ut nec alius ei substituatur? Nam si quid hæc  
conclusio potest, ut neget Christo substitutum  
esse aliquod caput, an non etiam Christum  
ipsum caput esse negabit? Eodem nimirum

*Caput sub-  
stitutū pro-  
batur.*

modo procedet ratiocinatio. Deus caput est,  
Christus itaque caput esse non potest. Imò ve-  
rò ex eo, quod Deum supremum omniū, ipse  
etiam Christi caput esse cognouimus, etiam ad  
Christum omnis Ecclesiæ caput progressi su-  
mus. Ex quo efficitur, ut qui Christum omnis  
Ecclesiæ caput agnouerit, etiam virum mulie-  
ris Episcopum Ecclesiæ caput esse fateatur.  
Quod enim est carnali mulieri vir, sine derri-  
mento superioris capitis: hoc est Ecclesiæ mi-  
litanti supremus Episcopus, absque superioris  
Christi potestatis iniuria. Itaque mihi quæso *Caput Chri-  
sto substitu-*  
prospice, quomodo omnia suo ordine fieri o-  
porteat. Non idèd, quia Christus caput est vi-  
ri, vir non est muliere superior: sed è conuerso, *tum Chri-  
stum non e-*  
vir à Christo abundare dicitur, ut capitis in-  
mulierem vices gerat. Ita nec idèd, quia Chri-  
stus caput est omnis Ecclesiæ, supremus ali-  
quis caput esse negatur: quin potius posita  
Christi autoritate, autoritas etiam hominis  
confirmatur. Iam ut omnia ad vnitatem redu-  
cantur, familia ad patrem, mulier ad virum v-  
nicum, & Ecclesia militans ad vnicum Episco-  
pum referetur. Illum igitur vnitatis ordinem  
prospice. Ad vnum curionem parœcia, quæ  
multis constituitur: ad vnum Episcopum mul-  
tæ parœciæ, ad vnum Archiepiscopatum mul-  
ti Episcopatus, ad vnum Patriarcham multi  
Archiepiscopatus, ad vnum summum Ponti-  
ficem multi Patriarchatus recurrunt: & ut ad  
sublimiora conscendas, cum iam militantis  
Ecclesiæ caput vicaneum constitueris, vtriuf-

que iam Ecclesie Christum caput vnicū, Christi verò summū & simplicissimū caput Deum considera. Sic gradatim vnitas procedet, vt qui multa folia ad ramusculum, multos ramusculos ad ramum, multos ramos ad stipitem, multos stipites ad radicem reduxerit. Verūm quid vicaneo capite opus est, dixerit hæreticus, cū Christus ipse nobiscum sit vsque ad consummationem seculi? Ego verò eodem iure requiram, quid Apostolis opus fuerit, cū pro Christo legatione fungerentur, vt scribit Paulus? Sed & qui baptizat, qui consecrat & conficit, imò qui verbum Dei publicè annuntiat, non sua, sed Christi virtute vtitur. An verò quia ille nobiscum est, nec Apostolo, nec verbi Dei & sacramentorum ministro opus erit, in quibus & per quos ille operatur? Imò verò ex eo, quòd ille nobiscū inuisibiliter versatur, creditam hominibus potestatem tantò magis suspicimus, & veneramur, cū per eos loquatur, iubeat, prospiciat nobis, medeatur, soluat, liget, lanet, & iustificet. Quemadmodum igitur ad confirmationem suæ nobiscum spiritalis & inuisibilis presentie ministros instituit, per quos ea perficeret, quæ ad optimum ordinem, & nostram salutem necessaria sunt: ita quòd maior eius virtus nobis innotesceret, summum Pontificem Ecclesie suæ præesse voluit, vt ex eo ad vnitatē supremæ Dei & Christi potestatis progredieremur: vt sicut legatione fungi pro Christo, dignitatem illam summam Christi non minuit, sed celebriorem red-

*Alia obiectio hæreticorum.*

*Io. Chrysost. ho. 83. in mattheum.*

dit, ita in vicaneo capite, summum illud caput tanto illustrius appareret.

*Idem rursus*

Et hoc sanè non dissimili nominis argumento conuincimus. Sicut enim Christus caput, ita & fundamentū Ecclesie dicitur. Caput vnum est, & fundamentum vnum est: cū aliud nemo possit ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. An verò sic vnum est fundamentum, vt nec idem nomen Prophetis & Apostolis communicet? Communicat sanè. Nam (vt scribit Paulus) superædificati sumus super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu. Sed & Ioannes ita ciuitatem sanctā Hierusalem nouam descendentem de cælo describit, vt duodecim eius fundamenta numeret. An ideò Christus non vnum est fundamentū, quia Prophetæ & Apostoli fundamenta sunt? Aut ideò nec Prophetæ nec Apostoli fundamenta sunt, quia Christus vnicum fundamentum est? Atqui vtrumque verū est, & Christum esse vnicum fundamentum, & tamen Apostolos esse fundamenta. Vnicum est primum fundamentum Christus: sed multa sunt fundamenta in Christo. Ita quoque vnicum est caput omnis Ecclesie Christus, sed multa capita in Christo. Quis enim dubitet inter Angelos quosdam principes esse, cū etiam Beelzebub inter dæmonia principatum gerat? Quid autem vetat Principes illos, seu Cherub, seu Seraph, seu aliorum ordinum, capita vocare? Sic cū ad Christum omnis & militans & trium-

*scis confir-*

*matheo.*

*papa caput est Ecclesie, pater Patris*

phans; multa quoque reducentur capita

Idem etiam se ostium dixit, per quod in ouile ingredi oporteat. An ideo nomen istud Apostolis negabitur? At verò Ioannes Hierosolymæ, id est, Ecclesiæ, duodecim portas describit, secundum numerum Apostolorum. Sic nec illa dignitatis nomina Christi maiestati derogant, si in hominibus agnoscantur.

Nunc verò ex ipsius Dei doctrina, supremum in Ecclesia pastorem esse colligamus. In lege naturæ ad primogenitos redibat ius sacerdotij, ut scribit Eucherius: ab iis demum ius Ecclesiæ congregandæ ad Patriarchas deuoluebatur. sic ad unitatem capitis ante legem acceptam, Ecclesia regrediebatur.

Legis verò tempore, etsi plures sacerdotes, leuitæ, plures & alij tabernaculi Mosaici, seu templi ministri essent, vnus tamen aliis præerat. Nam ut Deus vnus totius leuitici sacerdotij author agnosceretur, ita illum ordinem sancit, ut Aaron, & post eum maximus natus filius sicque demum in Leuitica familia summus Pontifex crearetur. Hic autem ab aliis sacerdotibus differebat, non modò quod natus maximus inter filios & posteros Aaronis, quòdque vnus esset per totam vitam, alij plures: sed & quòd solus sanctuarium semel in anno ingrediebatur, quod aliis numquam licebat: & quia authoritate, etiam ornatu ab aliis distinguebatur. Aaronis enim vestes erant, rationale, super humerale, tunica, cidaris, baltheus, vitta, lamina, tintinnabula. Ad eos au-

tem summa referebatur, ut in consequentibus audituri sumus. Ita Deus suæ Ecclesiæ unitatem, & naturæ, & Mosaicæ legis tempore, in unitate pastoris seu Pontificis commendauit. An verò hunc ordinem noua lex dissoluisse diceretur, cuius est non dissoluere, sed omnia adimplere? Imò verò Christus in cælum ascendens, licet multos sui Euangelij præcones instituerit, vni tamen maximè suam Ecclesiam commendauit. Cùm enim post suam resurrectionem Petrum interrogaret, num se diligere-

ret, addidit: *Pasce oves meas, pasce agnos meos*: τὸν ποιμαίνε τὰ πρόβατά μου, βόσκου τὰ ἀρνία μου. Quibus verbis authoritatem illam commendabat, quam in pastore Ecclesiæ agnoscimus, ut pascat verbo & doctrina, & omnia caueat, quæ ad gregem Christi necessaria sunt. Numquid enim greges à pastoribus pascuntur? Pastorem igitur illum constituebat gregis sui, suæ Ecclesiæ. Hanc autem eius authoritatem, ante resurrectionem, & facto quasi signo testatus, & verbis pollicitus fuerat: facto quidem, ut cùm Petro speciali quadam gratia dictum est, *Duc in altum*: ut summa rerum ad eum deferretur, qui tandem homines capturus esset. Sed

& ut obseruat Augustinus, cùm exactores didragmæ ad Paulum dixisset, Magister vester non soluit didragmam: hoc dicto magistrum, ut pro omnibus discipulis solueret, conuenerunt. Saluator autem, cùm pro se & Petro dari iuberet, pro omnibus exoluisse videtur: quia sicut in Saluatore erant omnes causæ magiste-

*Christus vnus summus pastor Petrum declarauit.*

*10.20.*

*Ezech.*

*Facto verbo Petrus constitutus summus.*

*Tom. 4. lib. 1. quæst. ex nouo Testamento. quæst.*

*75.*



Luc. 22.

Math. 16.

Omnes Petro subiciuntur.

Petrus Ecclesie fundamentum.

rij, ita & post Saluatorem in Petro omnes ed-  
 tinentur. Ipsum enim constituit caput eorum,  
 ut pastor esset gregis dominici. Nam inter cœ-  
 tera dicit discipulis, *Vigilate & orate, ut non  
 intretis in tentationem: Petro verò, Ecce Satana  
 nas expetuit vos, & ut ventilet sicut triticum. Ego  
 autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: & tu tan-  
 dem conuersus confirma fratres tuos. Quid ambigi-  
 tur? Pro Petro rogabat, & pro Iacobo & Ioan-  
 nes non rogabat, ut cæteros taceam. Manife-  
 stum est in Petro omnes contineri. Rogans e-  
 nim pro Petro, pro omnibus rogasse dignosci-  
 tur: semper enim in præposito populus aut,  
 corripitur, aut laudatur. Hæc Augustinus. Iam  
 si id, quod Christus Petro promiserat, his at-  
 tnectamus, cui dubium erit, illum esse Ecclesie  
 summum Pastorem institutum? Quò enim hæc  
 Christi verba tendebant, *Tibi dabo claves regni  
 cælorum, nisi ad exprimendam in cæteros om-  
 nes potestatem? Adiciebat enim, Et quodcumque  
 ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis, &  
 quodcumque solueris super terram, erit solutum & in  
 cælis. Hæc quidem tunc soli Petro. Iam qui  
 quodcumque dicit, nihil eximit: sic & omnes  
 Petri iurisdictioni submittendos docebat, cum  
 in quoscumque ligandi, & soluendi potesta-  
 tem accepisset. Nam quòd cæteris illud idem  
 ex æquo dicitur, vtrique in eos qui singulo-  
 rum ditionis essent. Sed tum cæteri Petro  
 minimè equabantur, cum ipsi soli hæc in quos-  
 cumque promissio fieret. Quinetiam cum hæc  
 polliceretur, Petrum suæ Ecclesie fundamen-  
 tum**

tum constituit, vtrique vt ad eum fundandæ  
 Ecclesie vnitas reduceretur. Cùm enim Pe-  
 trus hanc de Christo confessionem edidisset,  
 Tu es Christus, Filius Dei viui, qui in hunc  
 mundum venisti: Christus hæc adiecit, *Beatus  
 es Simon Bar-Iona, quia caro & sanguis non reuela-  
 uit tibi, sed pater meus qui est in cælis. Et ego tibi,  
 quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo  
 Ecclesiam meam, & porta inferi non preualebunt ad-  
 uersus eum. Nam licet Christus primaria Petra  
 sit, Petrum tamen secundariam esse intelle-  
 xit: cùm Petrus in Christo ædificatus esset, *Serm. 13. de  
 vt satis explicat Augustinus, qui & in libro *verb. Do-  
 Retractationum admonet, quomodo intel-  
 ligendum sit, quòd in aliis locis Petram Chri-  
 stum dixerit. Dixit enim (inquit) quòd in Pe-  
 tro tanquam in petra fundata sit Ecclesia: qui  
 sensus etiam cantatur ore multorum, in ver-  
 sibus beati Ambrosij, vbi de gallo gallinaceo  
 ait,***

*Hoc ipsa Petra Ecclesia  
 Canente culpam diluit.*

Sed scio me postea sæpissimè sic exposuisse,  
 quòd super hanc petram, quam Petrus confes-  
 sus est, ædificanda esset Ecclesia. quòd sic in-  
 telligendum est, ac si Petrus ab hac petra ap-  
 pellatus, personam Ecclesie figuraret. Cur  
 enim nomen Simonis mutauit, vt tandem  
 Cephas seu Petrus diceretur, nisi allusione ad  
 hanc sententiam, quòd super hanc Petram  
 suam esset ædificaturus Ecclesiam? Nimirum  
 (ait Ambrosius) tanquam saxum immobile,

Serm. 47. totius operis Christiani compagem molē-  
*Nomen Si* que continere debuerat. Nec enim sine gran-  
*monis mu-* di mysterio alicuius nomen mutatum esse le-  
*tatum est* gimus. Abram tandem Abraam vocatus est,  
*nō sine grā-* quod multarum Gentium pater futurus esset,  
*di mysterio.* ad confirmationem diuini huius pacti: Erit se-  
*Genes. 17.* men tuum sicut stellæ cœli, & arena maris, &  
*Mutatur* in femine tuo benedicentur omnes tribus ter-  
*nomen A-* ræ. Quod enim prius אַבְרָם Abram dicebatur,  
*bram.* patrem excelsum sonat: quod autem אַבְרָהָם A-  
 braham, patrem multitudinis designat. Quin  
 etiam in testimonium fœderis, dixit Deus ad  
 Abraham: Sarai uxorem tuam, non vocabis  
 Sarai, sed Saram. Et benedicam ei, & ex illa da-  
 bo tibi Filium, cui benedicturus sum. Et qui-  
 dem maiorem vim ipsa nominis minutio tri-  
 buebat. Nam cum שָׂרַי Sarai sit princeps mea,  
 dilectam utique & plurimi apud virum æsti-  
 matam dicebat: verum ut non modò apud A-  
 braham, sed & apud omnes illam celebrem  
 declararet, principem seu dominam per ex-  
 cellētiam vocari voluit, quod est שָׂרָה Sara. An  
 non etiam magnum quid mutatio nominis Ia-  
 cob in Israël designauit, quando ille cum An-  
 gelo luctatus est? יַעֲקֹב Jacob enim supplantato-  
 rem designabat, non modò quia plantam  
 fratris, cum ex utero egrederetur, tenebat: sed  
 & in futuræ rei Prophetiam, quod fratrē Esau  
 à iure primogenituræ supplantaturus esset: &  
 hic tandem, יִשְׂרָאֵל Israël, præualens cum Deo  
 dictus est.

Si quis verò in nouo Testamento requirat,

cur Christus filios Zebedæi Ioannem & Iaco-  
 bum præ cœteris Apostolis nouo quodam  
 nomine vocauerit בני רגשי Benai Regeschi,  
 quod ab Hebraico fonte legit Græca dictio  
 Boanerges, id est, filios tonitruui: nōne vt ex-  
 cellentissimos illos assereret? Eapropter enim  
 præ cœteris illos suæ transfigurationis, excita-  
 tionis filiæ Iairi, & eorum quæ in horto facta  
 sunt, instante suæ passionis tempore, cum Pe-  
 tro testes esse voluit, vt eos etiam cœteris præ-  
 ferendos doceret. Iam qui ad Simonis nomen  
 venerit, quomodo non à Christo satis expli-  
 catum intelliget: cum hæc diceret, Tu vocaberis  
 Petrus, & super hanc Petram edificabo Ecclesiam  
 meam? Quod sanè etiam apertius Syriacus Mat-  
 thæi contextus explicat, vt ne nomen Petra  
 hac in sententia, alio quàm ad Petrum conuer-  
 tatur. sic enim habet: אַבְרָהָם אֵמַר לְךָ דָּאֵנְתָּ הוּ  
 אֵפְחָא אֵמַר אֵפְחָא אֵמַר אֵפְחָא אֵמַר אֵפְחָא אֵמַר אֵפְחָא  
 Aphana amar ana  
 Lach, danth hu Cipha, veel ha da Cipha Eb-  
 neiha Leidthi: est, Etiam ego dico ego tibi, quod  
 tu es Cipha, id est petra, & super hanc Cipha,  
 id est petram, edificabo Ecclesiam meam. Quis non  
 videt eandem in utroque dictionem esse, &  
 quæ Petri personam, & quæ fundamētum Ec-  
 clesiæ designet? Utrobique enim est Cipha, id  
 est Petra. Quod cum minus eleganter Græci  
 & Latini in fœminino generi homini conue-  
 nire arbitrarentur, in masculinum traduxerūt:  
 Græci quidem, ὅτι σὺ εἶ πέτρος. καὶ ἐπὶ ταύτῃ  
 τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μὲν τὴν ἐκκλησίαν: La-  
 tini ad instar Græci sermonis, Quod tu es Pe-

Filiis Ze-  
bedæi nomē  
impositum.

Nomen pe-  
tra nō aliò  
quàm ad Pe-  
trū reflecti-  
tur in ver-  
bis Christi.  
Eadē dictio  
petrū et Pe-  
trā designat

Sarai.

Jacob.

Genes. 25.

27.

Genes. 35.

trus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Quo factum est, ut nonnulli nomen Petri à Petra secreuerint, quasi alius sit Petrus, & alia Petra, in qua Ecclesia ædificatur. Liquidior verò & clarior mihi sermo constiterit, si vna eadēq; dictio seruetur, ut non de vno & altero differi videatur. Nam de ipso Sillione, Petram illam dici, antiquissimus Tertullianus docuit, in suo libro de præscriptionibus contra hæreticos. Explodens enim eos, qui necdum Apostolos nostræ fidei satisfacere censebant: Quis (inquit) ingratae mentis credere potest aliquid eos ignorasse, quos magistros Dominus dedit, indiuiduos habitos in comitatu, in disciplinatu, in conuictu? quibus obscura quæque seorsum ediffererebat, illis dicendum esse cognoscere arcana, quæ populo intelligere non liceret? Latuit aliquid Petrum, ædificandæ Ecclesiæ Petram dictum, clauis regni cælorum consecutum, & soluendi & alligandi in cælis & in terris potestatem. Sic enim (ut scribit Theophylactus) remuneravit Petrum Dominus, mercedem illi magnam conferens, quòd supra ædificaret Ecclesiam suam. Hoc agnouit & Hieronymus suis Commentariis in Matthæum. Ex quo effectum, ut primi illi Ecclesiæ Patres non dubitauerint Petrum insignioribus titulis donare. Hunc Dionysius Areopagita Coryphæum vocat, cum de transitu diuæ Virginis differit. Est autem κορυφαῖος in quoquo ordine caput & princeps: quo c-

*Tertull. l. de præscript.*

*Theophil. in Matth. Hieronym.*

*Dionys. l. de diuinis nominibus.*

*Petrus Coryphæus.*

*Cyri. hierosol.*

tiam nomine pluribus in locis Cyrillus Hierosolymitanus Petrum nuncupat. Nam Catechesi secunda, Petrus (inquit) Apostolorum princeps excellentissimus, coram ancilla ter negauit Dominum: sed ad se rediens, fleuit amarè. Eundem in Catechesi vndecima, & Principem Apostolorum, & supremum Ecclesiæ præconem: rursus verò Catechesi decima septima, Regni cælorum clauigerum vocat. Sic ad vnicum Petrum, ut ad supremum, Ecclesiæ vnitas redacta est, ut scribit Cyprianus: eaque etiam in cæteris Petri successoribus commendata est. Nam exordium ab vnitate proficiscitur (inquit) ut Ecclesia vna monstratur. Et alibi, Non ignoramus vnum Deum esse, & vnum Christum esse Dominum, quem confessi sumus, vnum Spiritum sanctum, vnum Episcopum in Ecclesia esse debere. Ex quo enim magis vnitas arboris, quàm è radice, riui quàm ex fonte, exercitus quàm ex Imperatore, regni quàm ex rege, domus quàm ex patrefamiliis, seruorum quàm ex Domino, ædificij quàm ex fundamento, corporis quàm ex capite, Ecclesiæ quàm ex Episcopo? Ergo ut in his omnibus ex vno vnitatem, ita quoque ex vnico summo Pontifice Petro, & eius successoribus Romanis Pontificibus, Ecclesiæ Christi vnitatem deprehendimus.

*Lib. de simplicit. prælat.*

*Lib. 3. epist. II.*

*Secunda nota Ecclesiæ, quod sancta est, & tamen mali bonis hic permixti sunt: quod in futuro implebitur, ut sine ruga sit: quo demum peccato non peccant fideles. quodque per malos ministros etiam Dei verbum & sacramenta administrantur.*

**V**ex fructibus arbor agnoscitur, & in vultu filiorum quædam parentum efformatur imago: ita & vera Ecclesia Christi sponsi specie quadam illustratur. Sic enim olim Dominus Israëliticam plebem ad vitæ innocentiam conuocabat, ut morum & animæ candore suos aggregari doceret. Sanctificamini (inquit) & sancti estote, quoniam ego sanctus sum. Custodite præcepta mea, & facite ea. Ego Dominus qui sanctifico vos. Secunda igitur veræ Ecclesiæ nota est, ut sit sancta, quam etiam in Apostolico symbolo legimus. Nam inter cætera eius epitheta hoc ex Scripturis depromitur, ut cum Psalter Ecclesiam sanctorum, montem Syon sanctum & Sanctuarium Domini vocat: cum Malachias habitaculum iustitiæ, Esaias populum sanctum & quæsitam ciuitatem nuncupatur: cumque fideles, qui in gremio Ecclesiæ sunt, filij sanctorum apud Tobiam, semen sanctum apud Esaiam, innocentes & recti, immaculati, & recti corde apud Psalter dicuntur. Porro sanctus vocatur, non omninò quòd quisquis est in Ecclesia militare, sine peccato sit, aut quasi statim is extrà fiat, qui in aliquo offenderit: sed quòd vocatione sancta sit, sancta sit &

*Leuit. 20.*

*Eccles. sancta.*

*Psal. 88. 2. 96.*

*Malach. 3.*

*Esai. 62.*

*Tob. 2.*

*Esai. 6.*

*Psal. 18. 37. 32.*

*1.*

sua soliditate, sancta meliori sua parte, à qua maximè denominari debet, sancta in sui intima ratione, cum peccatū quodcumque fecerit homo, extra corpus sit, nec ad Ecclesiam pertineat, sed ea tantum doceat & probet, quæ pia & sancta sunt: sancta etiã suo effectū, cum eos qui illi adhærent, & totos sese cum in doctrina, tum in moribus, ad instar illius componunt, Christo colligās, mira sanctificatione repleat. Dicitur & sancta, quòd extra illam nihil sanctum esse possit. Nam quòd Ecclesia militans peccatores quosdam complectatur, facile qui seipsum & humanas infirmitates nouerit, fatetur. Quis enim dicet, mundum est cor meū, & purus sum à peccato? Si dixerimus quia peccatum non habemus (inquit Ioannes) ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. An idè nemo dicere potest se in Ecclesia esse, quia sibi plenam innocentiam vindicare non potest? Hoc si nemo potest dicere, quomodo inuocabit? quomodo credet? quomodo sperabit? quomodo in suam salutem contendet, cum hæc omnia in Ecclesia fiant? Ergo quia quis vitam malè actis obscurarit, statim se à fide & spe defecisse arbitrabitur? Minimè sanè. Alia enim peccata sunt contra fidem, alia verò in mores militant, alia denique talia sunt, ut sine his vix transigi possit humana infirmitas. Ex quo efficitur, ut Augustinus in libro de hæresibus, Pelagianos notet, qui dixerint vitam iustorum in hoc seculo nullum omninò habere peccatum, ex his verò Ecclesiam Christi perfici, ut sit omninò

*Quidam peccatores in Ecclesia.*

*Proverb.*

*20.*

*1. Ioan. 1.*

*1.*

*2.*

*Peccatorum distinctio.*

*Augustin. hæres. 88. pelagiani.*

sine macula & ruga, quasi non sit Christi Ecclesia, quæ in toto terrarum orbe clamet ad Deum, *Dimitte nobis debita nostra*. Nam si id verè clamat, agnoscit ergo quisque in se debita, obligationes & peccata, quæ sibi à Deo remitti supplicat. Iam cum inuocatio & oratio sit effectus fidei, fides verò caracter eorum qui in Ecclesia sunt: qui sunt quos Christus id orare docuit, nisi qui ad eius corpus mysticum pertinent? Neque sanè ij audiendi sunt, qui fideles omnes, postquam semel in Christo regenerati sunt, sanctos & immaculatos manere contendunt: vt quod olim Nouatus temerè contra catholicam Ecclesiam asseruit. Nam cum Decij tyrannide plures Christiani mortis metu fidem abnegassent, resipiscentes tamen ad Ecclesiam tandem confugerent, quaestione orta, num qui in persecutione lapsi essent, ad communionem admitterentur: Nouatus Romæ omnium sententiæ resistit, repellendos eos censens, ne eorum consortio cæteri corrumpentur. Cum autem eius consilium non succederet, secessit ille cum suis ab Ecclesia, suosque *καθάρους*, id est, puros & sanctos nuncupauit, vt apud Epiphanium & Eusebium legimus. Verùm responderi oportet huic Pauli sententiæ, quam non modò Pelagiani, sed & Donatistæ, Circuncelliones, Hussitæ, & non ante multos dies Lutherani adferunt, vt pro suo dogmate Ecclesiam etiam militantem solùm iustis constare confirmet. Hæc enim habet Paulus:

Math. 6.

Cathari.  
Nonatiano  
rum Her.  
Cotigit cir-  
ca ann. 250.

Euseb. li. 6.  
hist. Eccles.  
cap. 33.

Epiph. her.  
38. Cathar.  
Augustin.  
her. 69.

Ephes. 5.

Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aque in verbo vitæ, Vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi: sed vt sit sancta, & immaculata. Nunquid ergo ita nunc sancta est, & immaculata, vt bonis permixtos malos minimè habeat? Hieronymus in Pauli Epistolâ ad Ephesios, & Augustinus libro tertio De doctrina Christiana, Ecclesiâ sine ruga & macula, non militantē, sed triumphantem, definiunt. Non enim sic accipiendum est, quasi iam talis sit, sed quòd præparetur, vt sit, quando apparebit, etiam gloriosa. Nunc enim propter quasdam ignorantias & infirmitates membrorum suorum, habet vnde quondam die tota dicat, *Dimitte nobis debita nostra*. Si quidē, Vt idem libro primo De doctrina Christiana, Christus suos exercet hoc tempore, & purgat medicinalibus quibusdam molestiis, vt erutam de hoc seculo in æternum sibi copulet coniugem Ecclesiam, non habentem maculam, neq; rugam, nec aliquid huiusmodi. Porro quoniam in via sumus, nec via ista locorum est, sed affectuum, quam intercludebant, quasi septa quædam spinosa præteritorum malitiæ peccatorum: ided suis membris penitentiam in remissionem peccatorum prædicari voluit. Quòd si quem moratur id quod rursus apud Paulum legimus, Si quis spiritum Christi non habet, hic non est eius: quasi nec ille qui in aliquo infirmitatis peccato errauerit, Ecclesiæ

*Explicatur  
obiecta sem-  
taria Pauli*

*Hieron. in  
Paulum.  
August.  
Lib. 3. De  
doctr. Chri-  
stiana.  
Cap. 34.  
Cap. 15. 17.*

*2. Obiecto.  
Rom. 8.*

*Esse Christi* Christi esse non possit, maximè hallucinatur. *multis modis dicitur.* Atqui esse Christi, multis modis dicitur, non minus quàm habere spiritum Christi, & in carne esse. Hæc nimirum sunt verba Pauli: Quoniam sapiëntia carnis inimica est Deo: legi enim Dei subiecta non est: non enim potest. Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt. Vos autem in carne non estis, sed in spiritu: si tamen spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem spiritum Christi non habet, hic non est eius. Itaque esse Christi dicimur, aut vocatione, aut electione. Multi enim vocati sunt, pauci verò electi. De vtrisque autem dicitur Ecclesia, maximè cum eam inde duci asserat Athanasius, quòd omnes conuocet, & ad Christum congreget. Ad eum enim pertinet is qui baptifatur, credit, & ea omnia exercet quæ veri Christiani sunt: qui tamen, si tandem vitam & doctrinam mutet, in hæreses ruat, & ita moriatur, iam non eius esse dicitur. Immo si quis post susceptum filiorum Dei characterem, qui nobis in baptifmate confertur, nomen illud impia vita obscuret, & sic decedat: etsi Christi quidem fuisse dicatur, tamen illius tandem esse negabitur. Sic enim per Ezechielem Dominus clamat: Si auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, secundum omnes abominationes quas operari solet impius, nunquid viuet? Omnes iustitiæ eius quas fecerat, non recordabuntur. In præuaricatione qua præuaricatus est, & in peccato suo quod peccauerit, in ipsis morietur. Hoc etiam illæ virgines con-

*Athan.*  
*quæst. ad*  
*Antioch.*  
*quæst. 71.*

*Ezech. 18.*

firmant, quæ quòd secum oleum suo tempore minimè habuerunt, cum se ad nuptias admittit postulant, id à sponso audiunt, Nescio vos. Quid est autem nesciri à sponso, nisi & excludi à Christo? Et tamen & hic prius iustus & illæ virgines fuisse perhibentur: virgines, inquit, per fidei professionem, quomodo nos Apostolus Christo inferi docet. Despondi enim vos, inquit, vni viro virginem castam exhibere Christo. Denique illos, quos ad sinistram velut hædos filius hominis statuet, & iudicabit, fidem habuisse, & in Ecclesiæ gremio aliquando mansisse, minimè dubium est: cum non de infidelitate & blasphemia, sed vita malè acta iudicandi sint. Hos autem à se Christus expellet, hos iam suos esse negabit, qui tamen per sacramenta & fidem ei aliquando adhæserant. Ex his manifestum est, esse Christi, non modò id designare, vt quis mystico eius corpori, Ecclesiæ militanti adhæreat: sed & maximè, vt cum hinc migrauerit, beata spe gloriæ perfruat. Sic illud Paulus non tantum ad vocationem, sed & ad electionem retulit, quo modo qui spiritum eius non habet, hic non est eius. Sed spiritum Dei habere, aliter dicimus. Hæc autem varietas non ex Spiritu sancto, quasi multiplex sit & compositus, sed ex ratione doctorum emergit. Habet enim ille Spiritum sanctum, quia credit: ille, quia cum fide etiam charitatem habet, qua piè & sanctè operatur. Nemo enim potest dicere Christus Iesus, nisi in Spiritu sancto: & diffusa est charitas in cordi-

*Math. 25.*

*2. Cor. 11.*

*Math. 24.*

*Rom. 8.*

*Quid est spi-*  
*ritum Dei*  
*habere, a-*  
*puòd Pauli.*

*Rom. 5.*

1. Cor.

Fides spiritus sancti donum est.

An spiritus sanctus omnino deserat peccantem.

Quid esse in spiritu.

Tres hominum conditiones.

bus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Neque verò, teste Paulo, sufficientes sumus cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est. Quanto minus sine Spiritu sancto credere possumus? Iam cum fides Dei donum sit, & nemo credat, nemo etiam diligat nisi per Spiritum sanctum: si in aliquo fides maneat, nutante tamen charitate: num secundum unum ille Spiritum sanctum habere dicitur, & secundum alterum non habere? Habebit enim, si fidem spectes: non habebit autem, si defectum charitatis attendas. Hæc autem vulgaria sunt in nobis, ut licet constantia magna nostram fidem asseramus, in multis tamen, quæ charitatis ordinem spectant, deficiamus. Iam verò quod Paulus Spiritum Dei habere dicit, latius sumit, quam ut ad charitatis regulam referatur: cum prius de prudentia & sapientia carnis differuerit, quæ Dei sapientiam, immò & fidem oppugnat. Legi enim Dei subiecta non est, inquit: non enim potest. Quod etiam id explicat, quod dixit *Esse in carne*. Non enim sic intellexit, quasi idem esset quod labi infirmitate carnis: cum interim lapsus homo per spiritum releuetur, quia spiritu vivit, & ea quæ sunt Dei, apprehendit: sed sic esse in carne, sopito & quasi extincto spiritu, ut nihil aliud sapiamus, quam quod carnis sit. Tres enim hominum conditiones statuere possumus, quorum hic cum sit infidelis, & omnibus vitiis addictus, in carne sit, & non in spiritu: ille, cum fidelis sit, & omni vitæ puri-

tate conspicuus, in spiritu sit, & non in carne: iste verò, etsi fidelis sit, quia tamè magnis tentationibus premitur, iisque infirmitate carnis aliquando succumbit, è quibus statim per penitentiam emergit, esse quidem in spiritu dicitur, sed labi in carnè. *Esse* igitur aliud est quam *labi*. Nam qui labitur, non semper in his conquiescit, in quæ lapsus est, sed statim excitatur per spiritum, ut ad Deum clamet gemitibus inenarrabilibus. Esse autè propriè idem quod cõquiescere, & totum sese deuouere. Hoc modo si quis in carne esse dicitur, ut iam nec spiritu viuat, nec bona illa æterna, à quibus decidit, per fidem apprehendat, nec in illo vlla spiritualis vitæ scintilla sit: iam à sese Spiritum sanctum abdicasse videbitur. Quod iis maxime contingit, qui fidem negarunt, & ab Ecclesia Christi recesserunt. Ut quæ carnis sunt, liberius sequerentur, in iis conquiescerent, & illa pro veritatis via & doctrina amplecterentur. Hi sanè qui sic in carne sunt, ut Spiritum sanctum non habent, ita neque Christi esse dicentur. At verò si quis peccauerit, concupiscentia allectus & abstractus, & statim spiritu sese excitat, & vnde exciderit considerat: illum etiam ad Christum pertinere Ioannes monet: Filioli (inquit) si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum iustum: & ipse est propitiarius pro peccatis nostris. Verùm fortè etiam aliquem mouet quod Ioanes scribit: Qui facit peccatum, ex diabolo est, quoniam ab initio peccat. Omnis qui ma-

Quid esse in carne.

1. Ioann. 2.

Alia obiectio.

1. Ioann. 3.

ex diabolo est. Iam cum illud peccatum, quo quis diaboli filius efficitur, & ex Deo natus esse negatur, sit iniquitas: iniquitas autem sit peccatum ad mortem: consequitur de illo peccati genere superiora intelligi debere. Ut enim orare monuit pro eo qui peccauerit non ad mortem: ita quoque & ei veniam & gratiam, & Christi patrociniū profuturū docuit. Est autē peccatum ad mortem, quo filij diaboli peccant: quo nullus eorum qui natus est ex Deo, peccare dicitur. Itaque quod peccatores in Ecclesia militante iustis permixtos esse dicimus, sic intelligimus, ut non peccent, peccatum ad mortem. Nam si quis hoc fecerit, iam Christum à se, & se ab Ecclesia & Christo excluderunt. Est autē id maximē finalis impœnitentia, ut in sequentibus dicturi sumus. Ex his manifestum est, eos tantum in Ecclesia esse, qui fidem habent: infideles autem omnes hæreticos ab Ecclesia sinu reiici: cum sponte alij à Christi corpore sese resciderint, alij necdum ei inserti fuerint excommunicati verò iustā censurā ab eo repulsi sint. Cœterum & rationibus, & parabolis, expressis denique verbis, malis boni permixti esse docentur. Quod enim est corpus aded saltem leuiter malè habeat? At neque corporis infirmitates animi morbis comparari possunt: immò pluribus animam languere quam corpus intelliget, qui singulas affectiones & perturbationes, quibus trahimur & succumbimus, examinauerit. Nec quoque tam

*Qui nō sunt  
in Ecclesia.*

*Probat  
permixtio  
malorū cū  
bonis.*

*Corporis  
morbi, &  
humores.*

*Plutarch.  
De variis  
corporis &  
animi mor-  
bis.*

## DE FIDE

*Quo pacto  
non peccant  
fideles.*

*1. Ioan. 1.*

*Ecclesia nul-  
lum peccatū  
approbat.*

*1. Ioan. 5.*

*Peccatū ad  
mortem est  
iniquitas.*

*1. Ioan. 3.*

tus est ex Deo, peccatum non facit: quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est. In hoc manifesti sunt filij Dei, & filij diaboli. Quomodo ergo peccator Ecclesie membrum erit? Verum peccati ratio attendenda est, ne fortè sibi pugnātia Ioannes dixisse videatur. Primū enim ait, si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus, ut ea nobis remittat, & emundet nos ab omni iniquitate. Si ergo confessio peccatorum ab his fit, qui in Ecclesia sunt, quomodo non peccator in Ecclesia esse dicitur? Ad eam itaque deformitatem reflecti oportet, quā peccat, ut secundum eam nullus in Ecclesia esse dicatur. Nec enim Ecclesia peccatum approbat, aut nāuum aliquem: Vnde & ea parte quis ab Ecclesia, ab eius monitis & præceptis, deflectit & à Christo: cum interim secundum interiorem hominem in illo uiuat. Demū peccati ratio ex ipso Ioanne dignoscenda est, ne fortè quis statim se iustum præsumat, quia per fidem & baptismatis sacramentum Christo insertus est: aut statim desperet, quia in peccatū lapsus est. Hæc ergo adiicit. *Qui scit fratrem suū peccare peccatum nō ad mortē, petat: & dabitur ei vita, peccanti non ad mortē. Est peccatū ad mortem, non dico ut pro illo roget quis. Omnis iniquitas peccatum est, & est peccatū ad mortē.* Ex his colligimus, de quo peccato differat, cum prius peccatum ad iniquitatem retulerit, dicens: *Omnis qui peccatum facit, & iniquitatem facit, & peccatum est iniquitas: cum statim inferat, Omnis qui facit peccatum*



illustris est fidelium congregatio, si modo è mortalibus constituatur, cuius non aliquod membrum alicui, licet leui, perturbationi sit obnoxium.

2. Nam & inter Apostolos Christi vnus diabolus dicitur: & rursus inter electos Petrus Christum negat, Thomas dubitat. Quin & traditorem in Ecclesia fuisse docuit Psalter his verbis: Si is qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo. Tu verò homo vnanimis, dux meus, & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulauimus cum consensu. Et tamen qui edebas panes meos, magnificasti aduersum me supplantationem. Si quis autem Dauidem peccantem perpenderit, an idè ipsum à Spiritu sancto derelictum, & ab Ecclesia rescisum esse concludet? Cur ergo patrato adulterio sic orat, Spiritum sanctum tuum ne auferas à me. Redde mihi lætitiā salutaris tui, & spiritu principali confirma me: nisi illum suā adhuc in eo gratiæ radios emittentem agnosceret? Quorsum autem fidelibus pœnitentiā & remissio peccatorum prædicaretur, si nullus eorum ne in minimo quidem labitur? Quorsum illi pro remissione peccatorum orant? quorsum sese peccatores fatentur & agnoscunt? Hoc verò Ioānes Baptista testatus est, cum de Christo ait: Ventilabrum in manu eius, & permundabit aream suam: Ecclesiam enim aream dixit, quam quotidie ventilabro verbi, & pœnitentiæ expurgat. Si purgat autem aream, quis non aliquas immunditias infidelibus quibusdam esse

Ioan. 6.

Math. 27.

Psal. 40.

2.

3.

Psal. 50.

4.

5.

Math. 23.

esse videat? Ad hoc plures parabolas & exempla retulit. Nam & Zizania tritico: quin & in ipsa area paleam grano immixtam esse dixit. Nec est qui non per granum electos fideles, per paleam reprobos, qui tamen in eadem Ecclesiæ area sint, satis intelligat. An non scilicet inter conuiuas inuentus est, qui non haberet vestem nuptialem? Idè sanè ligatis manibus & pedibus missus est in tenebras exteriores. Sed & iuxta Pauli similitudinè, in magna domo non solum sunt vasa aurea & argenta, sed & lignea & fictilia: & quædam quidem in honorè, quædam autem in cõtumeliam. Magnam autem domum Apostolus Ecclesiam nuncupauit, Domum Dei viui: vasa autem fideles, & per materiæ diuersitatè, animarum quoque seu conuersationis varietatem intellexit. Quid ergo vasa in cõtumeliam, nisi eos designauit, qui quòd nomen Christianum prauis operibus obscurant, propter impœnitens cor thesaurizant sibi iram in die iræ? Denique Christus Apostolos præmonuit, vt peccanti fratri condonarent. Ait enim: Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum solum. Cum fratrem appelleret, Christianum & fidelem intellexit. Neque verò statim alienum ab Ecclesia iudicauit, donec cõmonitiones, & doctrinam Ecclesiæ contempnat, cum adiicit: Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus, & Publicanus. Ergo illum nondum exclusum significat, cum in fratrem peccauerit. Ad hoc referri potest vitis & Palmitum ratio quam Christus ad exprimen-

Math. 13.

Math. 22.

2. Tim. 2.

Math. 18.

Ioan. 15.

dam Ecclesiæ suæ conditionem assumpsit. Ego sum vitis vera (inquit) & vos palmites. Omnem palmitem in me non ferentem fructum purgabit pater, ut fructus plus afferat. Palmites autem non modò Apostoli sunt, sed & fideles. Purgantur illi, non omninò tolluntur, donec steriles eos esse plenius innotescat. Et hoc sanè ex parabola Ficus didicimus, cum ex ea quam censuram in peccatores & infructiferos Christiana Ecclesia proferre debeat, ab ipso Christo audiamus. Arborem (inquit) fici habebat quidam plantatam in vinea sua: & venit quærens fructum in illa, & non inuenit. Dixit autem ad cultorem vineæ: Ecce anni tres sunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio. Succide ergo illam. Ut quid enim terram occupat? At ille respondens dixit ei: Domine, dimitte illam & hoc anno, usque dum fodiam circa illam, & mittam stercora, si quidem fecerit fructum: sin autem, in futurum succide eam. Porrò vinea Domini, Ecclesia eius est, in qua non modò sunt qui bonorum operum fructus producant, sed & alij: velut

Luc. 13.

*Infelix lolium, & steriles dominantur avena.*

6.  
Apo. 2.

Hos autem patienter expectat Deus, donec per mortem euellat, Vbi nec exhortationibus, nec verbis, nec aliis cultoris vineæ censuris respiscere voluerint. Quid est verò quod Ioannes Ephesi Ecclesiæ scribit, quòd primam charitatem deseruerit, eamque monet Ut pœnitentiam agat, & prima opera faciat, nisi quòd

peccatores Ecclesiæ permiscerentur? Idem etiam de Pergami & Laodiceæ Ecclesia scribit, illisque ni pœnituerint, futurum minatur, ut eorum candelabrum de loco suo moueatur. Est & in Canticis canticorum, quod de sancta Ecclesia dictum omnis Christianus agnoscit: Sicut lilium inter spinas, sic anima mea inter filias. Vnde verò appellat spinas (ait Augustinus) nisi propter malignitatem morum? & easdem vnde filias, nisi propter communionem sacramentorum? Videt & Ezechiel signatos quosdam, ne cum malis interirent, de quibus ei dicitur: Qui gemunt & mœrent peccata & iniquitates populi mei, quæ fiunt in medio eorum. Populum suum non diceret, quem solis illæsis illis perire mox iubet, nisi eum populum, qui eius sacramenta gestabat. Dicit & Dominus desuper seminatis zizaniis: Sinite vtraque crescere usque ad messem: id est, triticum & zizania. Et ipse interpretatur messem esse finem seculi, agrum verò, Vbi vtrumque seminatum est, mundum esse. Oportet itaque usque in finem seculi crescere vtrumque per mundum. Est & alia similitudo aptissima, qua Christus bonorum malorumque in vna Ecclesia commixtionem probat. Simile est regnū cælorum (inquit) sagenæ missæ in mare, ex omni genere piscium cōgregantis: quam cum impleta esset, educentes, & secus littus sedentes, elegerunt bonos in vasa sua, malos autem foras miserunt. Sic erit in consummatione seculi. Exhibunt Angeli, & separabunt malos de

7.  
Cantic. 2.Lib. de unitate Ecclesie. cap. 13.  
Ezech. 9.8.  
Math. 13.

9.

medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis. Ibi erit fletus, & stridor dentium. Nunc ergo, quia à bonis malisque hæc vita communiter ducitur, Ecclesia ex utrorumque numero visibiliter congregatur, inquit Gregorius: sed Deo inuisibiliter iudicante discernitur, atque in exitu suo à reproborum societate separatur. Modò verò esse in ea nec boni sine malis, nec mali siue bonis possunt. Hoc enim tempore coniuncta utraque pars sibi necessariò congruit, ut & mali mutantur per exempla bonorum, & boni purgentur per tentamenta malorum. Accedit & Augustini exemplum, quòd in Christo sic Christiani sunt quomodo humores mali in corpore. Num sic corpus expurgari potest, ut non alicubi corruptus humor lateat? Releuatur quidem corpus, quando illi euomuntur: Releuatur & Ecclesia, cum deprauati Christiani exierint. Interim tamen nec Pharmaca & iteratæ potiones corruptos omnes humores educunt: nec censuræ deprauatos quosque Christianos sic expellent, ut nihil eorum inter electos reliquum sit, antequàm ex hac vita migrauerint. Neque enim, ut scribit Origines, possibile est ad liquidum purgari Ecclesiam, dum in terris est, ita ut neque impius in ea quisquam, neque peccator residere videatur, sed sint in ea omnes sancti & beati, in quibus nulla prorsus peccati macula deprehendatur. Nam corpus Christi, quod modò iustis area est, postea horreum erit. Quandiu autem area est, non recusat paleas sustinere: cum

*Lib. 2. Moral. cap. 12.*

*tract. 5. in Epistol. 10.*

*Hebr. 2. 2. in Iesum Nouel.*

*August. serm. 107. de tempore.*

tempus aduenerit, reponet triticum, & à paleis segregabit. Interim verò nihil Ecclesiæ auctoritatem minuit, si quis bonis malus immixtus est. In quo tamen maximè errarunt Audiani, Donatistæ, Rogatiani, immò & omnes hæretici. Nam cum nihil habent, quod in suorum dogmatum patrocinium faciat, Ecclesiasticorum vitia pretextunt: quasi & ipsi sine peccato sint, & primi in eos lapides iaculari possint. Quibus sanè verè dicetur: Hypocritæ, eicitte primùm trabem ex oculis vestris, ut festucam ex fratris oculo eruere possitis. Sic Donatus Cæcilianum apud Ecclesiam detulerat, non omninò quòd dignam accusationis materiam in illo deprehenderet, sed liuore tabescens quòd contra suam voluntatem Ecclesiæ Carthagenensi præfectus fuisset. Qui cum illata crimina minimè probare posset, schisma concitauit, atque omnium Ecclesiæ ministrorum prophana esse sacramenta sancit. Dicant vero (inquit Augustinus) cui sancto secundum salutem spiritualem obfuerit, vel in sacerdotibus, vel inter populum constituto, malus aut maculatus sacerdos? Vbi erat Moyses & Aaron, ibi murmuratores sacrilegi, quos Deus à facie sua semper perdere minabatur. Vbi erat Caiphas, & cæteri tales, ibi Zacharias, ibi Simeon, & cæteri boni: vbi Saul, ibi Dauid: Vbi Hieremias, vbi Esaias, vbi Daniel, vbi Ezechiel, ibi sacerdotes mali, & populi mali, sed sarcinam suam vnusquisque portabat. An idèò verò Ecclesia deserenda est, quia in ea aliqui

*Epiph. hæres. 70.*

*Ministorum Ecclesiæ vitia non preiudicant iustis.*

*August. ad quosd vult Deu. hæres. 69.*

*Idè in Epist. parmenia. lib. 2. cap. 7*

mali sunt? An perimendus homo, si ægrotauerit: euellenda arbor, si quādo fructū nō tulerit: eruendus oculus, si q̄ leui humore caligauerit?

*Mali sacer-  
dotes conse-  
crant.*

Ex his etiam reiicere possumus, quæ contra nos hæretici prætexere solent, cū non habent quod ad suæ impietatis patrocinium faciat. Quid enim aliud potius obtendunt, quàm vitia sacerdotum? An verò si quis gradum hunc suum prophana conuersatione deturparit, donum Dei euelletur? At verò (vt doct̄e scribit Gregorius Nazanzenus) sicut duo annulli, vnus aureus, ferreus alter, vterque regia imagine sculptus, ceræ ambo imprimantur, quid inter signum hoc & illud intererit? Vnū est auri & ferri signaculū, materia diuersa. Ita vna autoritas & potestas sacerdotalis, licet diuersa sit vita. Id etiā alia similitudine docet Augustinus. Nā (inquit) qui fuerit superbus verbi Dei & sacramentorū minister, cū diabolo & Iuda reputabitur, sed Christi donū nunquā contaminatur. Quod per illū fluit, purum est: quod per illū trāsit, liquidū venit ad fertilē terram. Putasne, quia lapideus est canalis, nullum fructum horto effluxa aqua adferat? Aptissima sunt & apud Chrysoptomū in eā rē argumēta. Quid enim curæ est egroto, si deformis sit medicus, modò quod ad salutem opus est, caueat? Emptor verò si in foro sit, quæ necessaria sunt, cōparat, cœtera præterit. Quid tu ergo ī sacerdotū moribus immorere, & nō potius quid dicant, & quæ sacramēta administrent, attendis? Aurū de terra eligitur, terra verò abiicitur. Etiā

*Orat. de san-  
cto laua-  
cro.*

*Tract. 5. in  
Ioann.*

*Homil. 34.  
in Heb.*

& illa quæ Dei sunt, in Ecclesiæ ministris recognoscēda sunt ipsa sancta esse & integra: & vita hominis à dono Dei discernēda est. Sic fiet, Vt semper sanctam Ecclesiam, & humanam interim infirmitatem agnoscas: Deumq; eo magis fateare, quo thesaurum istum in vasis fictilibus repositum intelliges. 2. Cor. 4.

*Quomodo Ecclesia sancta sit, vocatione intima sui ratione, effectu: quodque extra illam nihil, sanctum sit, & à meliori sui parte sancta esse dicatur.*



**N**IMAM quidem à corpore, & cœlestia discernimus à terrenis: quanto magis hominū etiā fidelium deprauatos mores ab illa doctrina quā probat Ecclesia? Nec enim ars nautica in naufragium, aut medica in mortem deducit, sed hæc ad tutum portum, illa ad salutem contendit. Si quid autem est nāui, ignoratiæ & erroris in earum professore, quid est quod ipsas disciplinas accuses? Nō enim regulam culpaueris, si quid in obliquum ductū sit, cū id non regulæ, sed eius errore factū sit, qui lineam duxerit. Itaque sicut omnes disciplinas integras semper & sanctas fateberis, licet à professoribus aliquis error emerferit: ita semper sanctam Ecclesiā credimus, quamuis hi qui eius doctrinam audiunt, in multis offendant. Neque verò lux tenebras efficit, nec Ecclesiæ doctrina aliquem in peccatum deducit: quin potius eum, postquā ceciderit, eriget: postquā à recto viuendi instituto recesserit, ad viam reducit. Primū itaque sancta est Ec- *Ecclesia nō  
accusanda  
si quis fide-  
lium peccet*

*Ecclesia san-  
cta vocatio-  
ne.*



I. clesia vocatione. Non enim vocati estis in im-  
 munditiam ( inquit Paulus ) sed in sanctifica-  
 tionem: Vt sciat vnusquisque vas suū possidere  
 in honore & sanctificatione, non in passione  
 desiderij, sicut Gentes quæ ignorant Deū. Nec  
 quæq; illa est vt Ecclesia Gētiū, quæ suos ad ne-  
 fanda quoque inuitabat, dum ipsa vitia in suis  
 diis coleret, adulteria, stupra incestus, furta, ho-  
 micidia, ebrietates, comessationes, & similia,  
 quæ qui faciunt, regnum Dei non possidebūt.  
 Eapropter enim Paulus ad Romanos: Quem  
 fructum ( inquit ) habuistis in concupiscentiis  
 vestris, in quibus nunc erubescitis? Nunc au-  
 tem cum per vinculum spiritus & pacis Eccle-  
 siæ cohæreamus, fructus spiritus colligendi  
 sunt, charitas, gaudium, pax, patientia, longa-  
 nimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fi-  
 des, modestia, continentia, castitas. Et qui-  
 dem ex fructibus ipsis Ecclesiam facilè discer-  
 nimus, siquidem hos ex doctrina seligamus.  
 Quoties enim de moribus agitur, ad præcepta  
 deueniendum est, Vt si fortè illa deprauatum  
 quid cōmendarint, deprauata etiā & corrupta  
 esse dicātur: sin verò omnia pia & sancta insti-  
 tuat, omnia impia & corrupta auersetur, nō iā  
 doctrinæ, sed hominis vitium esse cognoscas.  
 Ex his efficietur, vt quoties de moribus, seu eo-  
 rum qui in Ecclesia catholica sunt, aut eorum  
 qui ab ea recesserunt, differetur: facilè discer-  
 nas quæ sancta sit, etiamsi & hi & illi vitia  
 sectentur. Nec enim vt diximus, sancta dicitur,  
 quòd omnes qui in ea sunt, sancti sint & iusti:

1. Thes. 4.

Theodor. af  
sect. Græcar

Rom. 6.

Galat. 5.

Quomodo  
Ecclesia ex  
fructib. col-  
ligamus.

sed quod illa sanctitatem omnem doceat, ini-  
 quitatem autem omnem & peccatum auerse-  
 tur. His ergo positis constitue mihi quamlibet  
 sectam: & si quid impium, inhumanū, aut ini-  
 quum commendet, illam auersare. Nicolaitæ  
 promiscuam venerem, idem Gnostici & Ada-  
 mitæ commendarunt, Sunt qui furta & homi-  
 cidia approbent, qui rebelliones & parentum  
 contemptus. Hoc si doctrina illorum annun-  
 tiat, procul pellenda est, cum Dei verbo aduer-  
 setur. Duo sunt enim, in quibus quamque do-  
 ctrinā probari oportet, fides, & mores. Si quid  
 ergo fidei, si quid bonis moribus dissonum at-  
 tulerit, condemnabitur. Hic tu catholicos ab  
 hæreticis discerne. Si quidem vt exemplo res  
 ista clarior euadat, duos homines perpenda-  
 mus, vnum Catholicum, alterum hæreticum.  
 Vterque sit moribus deprauatus, vterque la-  
 sciuius, bibax, piger, sit & mendax. Quonā que-  
 so modo vnum ab altero discernes? Doctrinā.  
 Hic enim cum Catholicus sit, doctrinam au-  
 dit, & credit, quæ sua vitia condemnat: ille ve-  
 rò sua se doctrina munit, & per eam sibi licen-  
 tiam in omnes affectus prætexit. Hunc sua re-  
 uocat Ecclesia, illum sua secta indurat. Hunc  
 doctrina Ecclesiæ ad pœnitentiam inducit, il-  
 lum sua hæresis obdurat, vt quādoque se iustè,  
 aut saltem venialiter fecisse arbitretur. Ad eò  
 & de genere conuersationis qualitas fidei esti-  
 mari potest, inquit Tertullianus, doctrina in-  
 dex disciplinæ est. Negant Deum timendum: itaque libera sunt illis omnia & soluta. Vbi

Doctrina  
Ecclesiæ sã-  
ctitatē do-  
cet.  
Nicolaitæ.Collatio ca-  
tholici &  
hæretici pec-  
catorum.Lib. de præ-  
script.

autem Deus non timetur, nisi ubi non est: Vbi Deus non est, nec veritas vlla est. Vbi veritas nulla est, meritò & talis disciplina est. At ubi Deus, ibi metus in Deum, qui est initiũ sapiẽtiæ, Vbi metus in Deum, ibi grauitas honesta, & diligentia attonita, & cura sollicita, & adlectio explorata, & communicatio deliberata, & promissio emerita, & subiectio religiosa, & apparitio deuota, & pressio modesta, & Ecclesia vnita, & Dei omnia. Proinde hæc pressiora apud nos testimonia disciplinæ ad probationem veritatis accedunt: à qua diuerrere nemini expedit, qui meminerit futuri iudicij, quo omnes nos necesse est ante Christi tribunal astare, reddẽtes rationem imprimis ipsius fidei. Hæc ille. Itaque cùm Ecclesia militans ex doctrina probari debeat, doctrina autem & veram fidem, & integros sanctòsque mores commendet, omne verò vitij genus auersetur: rectè quidem vt doctrina sancta, ita & Ecclesia sancta esse prædicatur. Sunt enim eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum, terræ purgatum septuplum. Sed &

2. lex Domini immaculata, conuertens animas, testimonium homini fidele, sapientiam præstans paruulis. Ex quo efficitur, vt non modò vocatione sancta sit, quia neminem ad peccatum, omnes verò ad pietatem & iustitiam cõuocet, sed & sui intima ratione. Nec enim ad Ecclesiam pertinet peccatum, sed sanctitas & magnificentia in sanctificatione eius. Nam sicut cæcitas non pendet à visu, & surditas ab

*Conclusio.*

*Sancta ex  
sui intima  
ratione.*

auditu, cùm sit eorum priuatio: sic nec peccatum ab Ecclesia, cùm tota pulchra sit. Sic Psalteres Christum in sole posuisse tabernaculũ dicit, quòd Ecclesiam suam lumine suæ maiestatis illustrauerit, vt sit sancta & immaculata. Vt enim quòd quis à via regia discesserit, & errauerit, non à via, sed ab errante proficiscitur: ita quidem & tutum iter nobis in Ecclesia statuitur. Si quis verò ad dextram aut sinistram declinauerit, quid aliud quàm seipsum accusabit? Ecclesiæ est dirigere, eripere, sanare illustrare: non tenebras offundere, captiuum reddere, & perdere. Si quis ergo errat, si quis peccat, si quis perit, ne Ecclesiam inculpet, sed seipsum. Est enim vt lex sancta, ita & Ecclesia sancta, cùm in sanctitatem nitatur, & quicquid ei contrarium est, abhorreat. Quæ enim conuentio Christi ad Belial? luci ad tenebras? Ecclesia Christi cum Ecclesia dæmoniorum? Hæc est enim, de qua ait in Canticis: Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es! Oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet. Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. Quomodo igitur peccatum ad eam pertinere potest, quod illa horret & abominatur? Interim verò non est, quod quis concludat, eum qui peccauerit, ad Ecclesiam minimè pertinere: cùm alia parte viuat, & peccatum quod fecerit, detestetur. Non enim nos fugit quod dicitur, In multis offendimus omnes: sed dum fidelis anima à peccatis quotidianis se per poenitentiam mundat (inquit Philo Carpathius)

*I. Cor.*

*Cantic. 4.*

*Philo Car-  
pathius*

*In Cantic.*

*Cantic.*

dum quotidie minora peccata cum lachrymis lauat, & à maioribus sibi cauet, quamuis frequenter peccet: per assiduam tamen poenitentiam, munditiam suam perpetuò seruare contendit. Hinc eidem alibi præcipitur: Sint omni tempore vestimenta tua candida. Et illud, Iustus meus ex fide uiuit. Quamuis enim mox ut peccat, à iustitia deuiet, tamè dum semper credit in eum, qui iustificat impium, & assidue sub eius fide peccata sua deflet, per assiduas ablutiones iustitiam suam retinet. Quis enim fidelis ea ratione, qua in Ecclesia est, non se à peccatis cohibet, & temperat? non castigat corpus suum, & in seruitutem redigit, ne fortè reprobus efficiatur? Quis si lapsus sit, non statim peccatus tundat, ad Deum clamet, & veniam deprecetur? Hoc docet Ecclesia. Docet corpus castigare, non affectibus illius duci: docet spiritu facta carnis mortificare, nò desideria carnis sequi: docet in sacro & cinere veniam deprecari, & peccatum detestari, non ipsum amplecti & probare. Ex quo efficitur, ut is qui peccat, à consilio Ecclesiæ labatur: qui poenitentiam agit, Ecclesiam attendat. Huius autem ad Deum conuersionis si fundamentum in homine maneat, fides nimirum (accedètem enim ad Deum oportet credere quia est) efficitur, ut illum à corpore Christi, ab Ecclesia rescisum minimè dicamus. Ita secundum internam animi fidem in Ecclesia erit, licet ab Ecclesiæ cõfiliis quodammodò recessisse videatur. Hic est ille interior homo, qui renouatur de die in diem:

*Ecclesia peccantem reuocat.*

*1. Cor. 9.*

*Tertull. l. de poenitentia.*

*Heb. 11.*

*Interior homo quid.*

qui quandiu in Ecclesia est, seipsum iudicat & condemnat, si quando carnis desideriis illicitatur. Condelector enim legi Dei secundum interioriorem hominem, inquit Paulus: video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Non enim quod volo bonum, hoc facio, sed quod nolo malum, hoc ago. Itaque cum interior ille homo, etsi non semper præceptis, fidei tamè semper adhæreat, sese etiam Ecclesiæ coniungit: ea quoque parte ad sanctitatem Ecclesiæ se componere nititur, licet per legem membrorum erret & labatur. Denique Ecclesiam ab effectu 3. sanctam nuncupauimus: eos enim quos com- *sancta ab effectu.* plectitur, sanctificat, & gratiæ Christi participes efficit. Nec enim palmes ferre fructum poterit, nisi manserit in vite. Nec enim modò, ut Psaltes ait, Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris, quòd ad proximum vitæ exemplar sese quisque componat: sed quòd per unionem illam, quam cum Ecclesia contrahimus, omnis redemptio, remissio & sanctificatio conferatur. Nam cum Ecclesia Christi corpus sit: qui in Ecclesia manet, in Christo manet: Vnde in illos gratia defluit à Christo, sicut unguentum in capite quod descendit in barbam Aaron, & sicut ros Hermon qui descendit in montem Syon.

Ex quo efficitur, ut ipsa sola Ecclesia sancta esse dicatur, in qua sola sanctificemur, & salutem consequamur. Quid enim vitæ supererit

*4. sancta, cū extra illam nihil sanct.*

*Sermone de gestis cum Emerito.* membro, quod à corpore rescissum fuerit? an non putrescet? Extra Ecclesiam totum potest præter salutem, inquit Augustinus. Potest habere honorem, potest habere sacramentum, potest cātare Hallelu-ya, potest respōdere Amen, potest Euangelium tenere, potest in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti fidem habere & prædicare: sed nusquam nisi in Ecclesia Catholica salutem poterit inuenire: Quid enim? ait Cyprianus. Stare tu & viuere putas posse de Ecclesia recedētē? sedes sibi alias, & diuersa domicilia condētem? Cū dictū sit ad Raab, in qua præformabatur Ecclesia: Patrem tuum, & matrem tuam, & fratres tuos, & totam domum patris tui colliges ad te ipsam in domum tuam, & omnis qui exierit ostium domus tuæ foras, reus erit. Nec quidem, vt contra Cresconium Grammaticum differit Augustinus, sufficientem excusationem habere poterit is, qui se Deum colere, baptisma accepisse, & quibusdam credidisse dixerit. Athenienses enim Deū quem ignorabant, coluerunt: & demones credunt, & contremiscunt: & licet quis fidem habeat, ita vt montes transferat, charitate autem destituatur, nihil ei prodest. Quanto minus ergo, si à Christi corpore mystico recesserit? Rectè ergo sancta est Ecclesia, cū in illa sola sanctificari nos oporteat. Illam etiam sanctam meliori sui parte nuncupauimus. Quæ verò melior pars Ecclesiæ, quàm electi, eo etiā tempore quo solum Deum spirant, qui (vt scribit Apostolus) secundum propositum vocati sunt

*Sermone de gestis cum Emerito.*

*Tract. 3. de simplic. Prælat.*

*Ios. 2. Nihil prodest ei qui recesserit ab Ecclesia.*

*Lib. 1. c. 29.*

*Act. 17.*

*Iac. 2.*

*Rom. 8.*

sancti? Sunt & qui sanctam illam dici arbitrentur, quod contra omnes insultus firma & solida permansura sit. Martianus enim sanctum propriè dici censet, quod ab iniuria hominum defenditur, & contra quæque aduersa munitur tractum à sagminibus herbis, quas Legati populi Romani ferre solebant, ne quis illis iniuriam vel minimam inferret. Inde sanctos ciuitatis muros, sanctas etiam leges Imperatores vocant, quod eas nemini impunè violare liceret. Iam si Christi Ecclesia eo modo sancta esse perhibetur, magnis rationibus ducitur. Quis enim stabit aduersus electos Dei? quis est qui condemnet? quis non separabit à charitate quæ est in Christo Iesu? Sed & si quis templum Dei violauerit, disperdet illū Deus. Nam præterquam quod portæ inferi non præualebunt aduersus Ecclesiam, nec soliditatem Ecclesiæ omnes hominum, imò & dæmonum impetus supplantare poterunt: ipsa semper inuiolata, integra, & indiscissa permansura est. Si quis enim ab Ecclesia diuiditur, non proinde discinditur Ecclesia. Discindit ille se, non discindit autem aut subuertit Ecclesiam. Quidni enim dicat, quod & virtus apud Mantuanum, *Non perco deserti, perit qui deserit, error Alligat errantem:* Multis quidem verbis contenderunt milites de vestimentis Christi, Cū tamen ad tunicam deuenissent, quæ incōsutilis erat desuper, contexta per totum, dixerunt: Non scindamus eam, sed fortiamur de illa cuius sit. Cōtrā verò

6.

*De diuisione rerum.*

*sancta quia inuita.*

*Mantuanus li. 2. de calamitatibus temporum.*

*Ecclesiæ discindi non potest. Ioh. 19.*



3. Reg. 11. cum Salomone moriente regnum eius & populus scinderetur, Achias Propheta regi Roboam obuius factus in campo, in duodecim scissuras, vestimētum suū descidit, dicēs, hunc ibi decem scissuras quia hæc dicit Dñs: Ecce scindo regnū de manu Salomonis, & dabo tibi decē scepra: & duo scepra erūt ei, propter seruum meum Dauid, & propter Hierusalem ciuitatem quam elegi, vt ponam nomē meum illic. Cum duodecim tribus Israēl scinderētur, vestimentum suum Achias Propheta scidit: at verò (inquit Cyprianus) quia Christi populus non potest scindi, tunica eius per totum textilis & cohærens, non est à possidentibus diuisa. Indiuidua, copulata, connexa, ostendit populi nostri (qui Christum induimus) concordiam cohærentem. Hæc Ecclesiæ mira connexio facit, vt subuerti & violari non possit. Cōcordia enim parua res crescunt, discordia verò maximę dilabuntur. Quinetiam vt leges sanctos ciuitatis muros designant, ita diuina protectio efficit, vt quouis impetu Ecclesia prosterni nequeat. Si enim Sathan se nihil in Iob potuisse commemorat, quòd Dominus domū eius vallasset, quid poterit in Ecclesiā? Cū infirmor, tunc potens sum, inquit Paulus: ita quanto affigitur & opprimitur Ecclesia, tãto fortior & illustrior euadit. Ex his efficitur, vt illa errare non possit. Si quis enim error in singularē quēdam obrepit, interim tamen Ecclesiam cadere non permittit Deus. *Fundauit enim terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in seculum seculi,* inquit

Tract. 3. de simpl. Prælat.

Iob. 1.

August. e. narrat. in Psal. 103.

inquit Psaltes. Quod sic interpretatur Augustinus, vt terra Ecclesiā significet. Quæ est autem firmitas eius, super quam fundata est, nisi fundamentū eius? Quod est autem fundamentū, nisi Christus Iesus? Ibi ergo firmati sumus. Meritò ibi firmati non inclinabimur in seculum seculi: nihil enim firmitus isto fundamento. Infirmus eras, sed firmum fundamentum te portat. In te firmus esse non poteris: firmus eris semper, si ab illo firmo fundamento non recedas. Nō inclinabitur in seculū seculi: ipsa est prædestinata columna & firmamētū veritatis.

I. Cor. 3.

*Tertia nota Ecclesiæ, quòd sit Catholica: vbi de his qui Ecclesiam angulis circumscripserunt, cum tamen Euangelium per totum orbem primum diuulgatum sit: quòdque ipsa Ecclesia sit visibilis.*



NON potest abscondi ciuitas supra mōtem posita, inquit Christus: nemo etiam lucernam sub modio ponit, sed super candelabrum, vt qui ingrediuntur, lumen videant. Quæ est autem hæc ciuitas nisi Ecclesia? Quomodo verò supra mōtem posita est, nisi quia Catholica est, & vniuersam terrā replet? Hoc enim Ecclesiæ Christi proprium est, vt non in vno terræ angulo, sed per omnes regiones diffundatur. Inde vbi illam vnā & sanctam, etiam & Catholicam confitemur. Hæc est enim, quæ etiam à Psalte dicitur Ciuitas Dei nostri, in monte sancto

Psal. 47.

eius, quæ fundatur exultatione vniuersæ terre, mons Syon, latera Aquilonis, ciuitas regis magni. Vt autem Catholica esse demonstretur, nobis iste mons requirendus est, inquit Augustinus.

Psal. 3.

Non enim frustrâ in alio Psalmo dicitur, Voce mea ad Dominum clamaui, & exaudiuit me de monte sancto suo. Quis est ergo iste mons? Magna cura inquirendus, magna sollicitudine inuestigandus, labore etiam occupandus, & ascendendus est. Sed si in aliqua parte terrarum est, quid faciemus? Peregrinabimur de terra nostra, vt ad illum montem peruenire possimus? Imò verò tunc peregrinabimur, si in illo non sumus. Fuit enim quidam lapis angularis, contemptibilis, in quem Iudæi offenderunt, præcisus de monte sine manibus, hoc est de regno Iudeorum veniens sine manibus, quia humanum opus non accessit ad Mariam, de qua natus est Christus.

Rom. 9.

Daniel. 2.

Sed si lapis iste, vbi in eum offenderunt Iudæi, ibi remaneret: tu quod ascenderes, non haberes. Quid autem factum est? quid dicit Prophetia Danielis? Quid? nisi quia creuit lapis iste, & factus est mons magnus? Quam magnus? Ita vt impleret vniuersam faciem terræ. Nam cum olim inter nos hereticos Donatistas quæreretur, vbi esset Ecclesia, sic respondit Augustinus: Illa quidem vna est, quam maiores nostri Catholicam nominarunt: vt ex ipso nomine ostenderet, quia per totum est, secundum totum enim καθ' ὅλον Græcè dicitur. Numquid enim sic ostendimus Ecclesiam, quomodo ostenditur hominibus noua luna. Nonne aperta est? nonne manifesta? non-

Contra Petil. epist. ca. 2.

Augustin.

tract. 2. in

Epist. Iean.

ne obtinuit gentes: Nonne impletur, quod ante tot annos promissum est Abrahe, in semine eius benedici omnes gentes? Siquidem ab Hierusalem cepit, & omnes gentes impleuit. Agnoscimus agrum, vbi vitis plantata. Hæc nimirum illa est vinea Domini, de qua Psaltes: vineam de Ægypto transtulisti, eiecisti gentes, & plantasti eam. Dux itineris fuisti in conspectu eius, & plantasti radices eius, & impleuit terram. Operuit montes umbra eius, & arbuta eius cedros Dei. Extendit palmites suos usque ad mare, & usque ad flumen propagines eius. Porro omnes ferè hæretici Ecclesiam vnicò angulo includere voluerunt, dum se solos Christi membra esse iactarunt, siue illi in Africa, seu in Europa, aut alia quauis orbis parte, imò siue in aliquo prouinciæ oppido suam impietatem profiterentur. Sic Samaritam suam montem, Phryges verò suam Pepuzam celebrarunt, quasi illa esset cœlestis Hierusalem, cuius toties Scripture meminerunt. Quam vt certo quodam testimonio probasse videretur, his inuentis suos (vt scribit Epiphanius) deludebant: quod Priscillæ eorum Prophetissæ in Pepuza dormienti aliquando Christus in forma mulieris apparuisset, & infusa in eam sapientia, hunc locum sanctum esse, & huc à cœlo Hierusalem descendisse, reuelasset. Habuerunt & Carpocratiani (teste Clemente Alexandrino) Cephaleniam insulam, quam solam & Epiphanius Carpocratis filij, & eius bibliotheca, & spiritu celebrem dixerunt: & dignam, in qua vera Ecclesia congregaretur. Donatistæ Ecclesiam in Africa concludebant,

Act. 1.  
Psal. 79.  
Qui Ecclesiam angulis concluderunt.  
Samaritæ.  
Phryges.  
Epiph. l. 2. tom. 1. hæret. 49.  
Carpocrat. Clem. li. 3. Stromat.  
Donatistæ.

*Tract. 2. in  
1. epist. 10.  
Adamiani.* quòd illam penes se solos stare asserent. Dicebant & Christum duas solùm linguas tenere, Latinam, & Punicam, id est Africam, ut illis exprobrat Augustinus. Adamiani verò sua contra Paradisi nomine insignibant, in quibus tantum innocentia, in cæteris verò locis peccatū regnaret. Quid, quòd in Bohemia (ut testis est Æneas Sylvius) quidam hæretici sibi montem selegerunt, in quem quòd natura munitissimus esset, sua sacrilegia subtraxerunt: quem triplici muro cinctum montem Thabor vocarunt, ex quo etiam Thaboritæ dicti sunt? ut enim tres Apostoli in monte Thabor, Christo transfigurato, ita se hoc in loco magnorum mysteriorum participes effici iactabant. Nec dissimilis fuit Orbitarum impostura, qui sua loca ab Oreb illo celebri denominabant, quasi ad instar Helix, diuina hinc visione, & consolatione recrearentur. Quid quòd Anabaptistarum permulti sese in solitudines conferunt, ubi penes se solos Ecclesiam esse, qui & selecti sint, ut vniuersum orbem veritati contrarium doment, & pedibus subiiciant? An non etiam omnes hæretici de paucitate gloriantur, & hoc semper in ore habent, quòd sint pusillus grex Christi? At verò licet in magnas angustias ante Apostolicam prædicationem Ecclesia Christi redigeretur, tandem tamen in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. si quidem in vniuersum orbem illa statim propagata est, ut iam Catholica nuncupetur. Et hoc quidem Prophetæ prædixe-

rant: hoc etiam euenisse rei ipsius veritas contestatur. Sic enim Psalter Christi regnum describit, cum hæc Patrem ad filium loquentem inducit: Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terre, cumq; alibi ait, Reminiscantur & cõuertentur ad Dominum vniuersi fines terræ, & adorabunt in conspectu eius vniuersæ familiæ gentium. Et rursus, Latentur & exultent Gentes, quoniam iudicas populos in æquitate, & Gentes in terra dirigis. Confiteantur tibi populi omnes. Esaias verò, Parum est mihi ut fæces Israël cõuertas. Ecce dedi te in lucem Gentiū, ut sis salus mea vsque ad extremum terræ. Et rursus, Ab oriente adducam semen tuum, & ab Occidente congregabo te. Dicam Aquiloni, da, & Austro, Noli prohibere. Affer filios meos de longinquo, & filias meas ab extremis terræ. Et Hieremias cap. 3. Congregabuntur ad eum omnes Gentes in nomine Domini in Hierusalem. Malachias denique: Ab ortu solis vsque ad occasum (inquit) magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco offertur nomini meo oblatio munda. Ipsi verò etiã temporibus, quo nobiscum in terris Christus mortalis versabatur, sic propagabatur Ecclesia, ut nec creditu difficile esset hanc breui terram omnem implenturam esse. Nam præter id quòd Christi doctrina & miracula per Galilæam, Iudæam, Samariam, & omnem circum regionem diuulgabantur, iam ex regionibus exteris nonnulli fidem amplectebantur. Quis enim negauerit Magos illos, qui

ab Oriēte venerunt Hierosolymā, noua stella  
 tanquam signo diuino excitatos, doctrinæ ve-  
 ritatis adhæsisse: cū Christum agnouerint, in-  
 cunis positum adorarint, infanti munera ob-  
 tulerint, & à Maria & Ioseph edocti non sine  
 magna animi consolatione ad propria remea-  
 rint? Coniicere etiam licet quosdam, saltē Æ-  
 gyptios, multa de fide à Maria audire potuisse,  
 eo tempore quo cum paruulo illato apud eos  
 mansit. Est & Abgari Edessæ regis ad Iesum e-  
 pistola, eiusdemque responsio, qua satis con-  
 stat in Mesopotamia fidem tūc aliqua habuisse  
 initia. Quinetiam quidam ex Græcis, qui  
 Hierusalem ascenderant vt adorarēt, Iesum vi-  
 dere contendebant: quo suæ vocationis argu-  
 mentum dabant. Scribit & Nicephorus, Per-  
 farum regem tanto studio Christi videndi fla-  
 grasse, vt in Iudæam pictorem miserit, qui eius  
 imaginem exprimeret. Denique nemini dubiū  
 est, Romanos ad eam fidē accessisse, cū Cen-  
 turiones, reguli, & ipsi milites Christum fate-  
 rentur. Hæc propagandæ postmodum Eccle-  
 siæ fuerunt argumenta. Quomodo non igitur  
 Catholica dicatur, cū Apostoli sua doctrina  
 vniuersum terrarum orbem impleuerint? Hoc  
 scilicet Christus iniunxerit, cū ascensurus in  
 cælum, ait, Ite in vniuersum mundum, prædi-  
 cate Euangeliū omni creature. Eritis enim mi-  
 hi testes in omni Iudæa & Samaria, & vsq; ad  
 vltimum terræ. Quod quanto obsequio & di-  
 ligentia perfecerint, testatur Paulus. An non  
 (inquit) audierunt? At qui in omnē terrā exiuit

*Abgarius  
 Edessæ rex  
 Christo scri-  
 psit.*

*Ioan. 12.*

*Lib. 2. c. 7.*

*Matth. 28.*

*Act. 1.*

sonus eorū, & in fines orbis terræ verba eorū.  
 Qui & Romanorū fidē commendans, ait, fides  
 vestra annunciat in vniuerso mūdo. Idē etiā  
 in sua ad Colossenses epistola: Euangeliū audi-  
 stis (inquit) quod prædicatum est in vniuersa  
 creatura quæ sub cælo est, cuius factus sum ego  
 Paulus minister. Et ne Donatus ad Latinam &  
 Punicā linguā Ecclesiam redigat, quasi cæteræ  
 sacri Euangelij minimè participes sint, audiat  
 Apostolos primū in ipsa die Pētecostes om-  
 nib. linguis locutos magnalia Dei, audiat & id  
 quod electi pro gratiarū actione in cælo verò  
 agno offerunt: Dignus es Domine accipere li-  
 brum, & aperire signacula eius: quoniā occisus  
 es, & redemisti nos Deo in sāguine tuo, ex om-  
 ni tribu, & lingua, & populo, & natione, & fe-  
 cisti nos Deo nostro regnū & sacerdotes, & re-  
 gnabimus super terrā. Quid enim hoc regnū,  
 nisi Ecclesia Dei est? Hæc itaq; ex omni lingua,  
 populo & natione cōgregatur. Quod sanè in-  
 ductione manifestū esset, si quis singulas pro-  
 uincias, regiones, & orbis partes discusserit: si-  
 mūlq; ex historiis petat, nū quis Christianā in  
 eis fidē promulgarit. Hoc etsi ex dispersione &  
 Apostolorū peregrinatione facilè colligitur,  
 potest tamen & ex Apostolicis viris magnā ve-  
 ritatis vim assequi. Paulus quidē & Petrus &  
 Ioannes omnē ferè Græciā, Syriam, Hellespō-  
 tum, omnes ferè Synagogas ab Hierusalem ad  
 vsq; Romanā urbē, Euangelij lumine illustra-  
 runt. Marcū verò in Ægypto & Alexātria suos  
 therapentas habuisse, ipse etiā Philo designare

*Rom. 10.*

*Rom. 1.*

*Coloss. 1.*

*Act. 2.*

*Apoc. 5.*

*Apostoli, et  
 eorū disci-  
 pli per or-  
 bem diffu-  
 si sunt.*

*Philo. li. de  
 vita sup-*

*plicum.*

videtur: maximè cum per totà Pétapolim, Cyrenè, Lybiam, Barbarià, & Ægyptum verbum Dei disseminaret, vt scribit Nicephorus. Andræas in Scythiam profectus est, teste Origene & Eusebio: què Scythis, Sugdianis, Satis, & circumuicinis nationibus prædicasse tradit Sophonius: adèd vt ad vtrumq; Pontū Euxinum accesserit, vt est apud Nicephorum. Philippus verò primūm Scythas, demū eas nationes, quæ Oceano iunctæ sunt, docuit. In Phrygia etiam prædicauit: & cum obdormisset, Hierapoli cū filiabus (vt est apud Eusebiū) honorificè sepultus est. Matthæus in Æthiopiã profectus, teste Abdia, ab idololatria populū ad Christianismū conuertit: demū ab Hyrtaco rege capite truncatus est. Iudam Persis euangelizasse, & ad Agbarū Edeffæ regē missum fuisse, testatur Hieronymus. Thomã deniq; Indos ad fidē cōuertisse, Parthis, Medis, Germanis, Hircanis, Bactris & Magis doctrinã Euangelicã tradidisse, Hieronymus asserit. Sic ex ipsis etiã Apostolorū peregrinationibus & officiis Catholicã Ecclesiã demonstramus. Quid si ad eorum discipulos & Apostolicos viros pergamus? Porrò cætera suppressēs, quæ quisq; pro sua regione in medium producere poterit: hoc mihi ad nostrã Gallië consolationē satis erit, quòd vt ipsi Archiuorū libri, templa, martyria, sepulchra, locorū denominationes, ipsi etiã lapides clamāt, Parisienses Dionysius Pauli discipulus, Senonenses Sauinianus, Metenses Clemēs, Lugdunenses Photinus, Arebatenses Trophinus, Ma-

*Niceph. l. 2.**cap. 43.**Euseb. lib. 3.**hist. Eccles.**cap. 1.**Niceph. li.**3. cap. 1.**Euseb. l. 4.**cap. 24.**Abdias li.**cert. aminis**apostol.**Hieron. in**c. 10. Matt.**Abd. l. 9.**Qui primū**in Galliam**missi.*

ffilienses Lazarus, Tholosanos Saturninus, Burdegalenses & Lemouicenses Martialis, Diuionenses Benignus, Iosephus ab Arimathia Britanos, Carnotenses Aduentinus, Aurelianenses Altinus, Rhotomagenses Nicasius, Baiocenses Exuperius, Bituricenses Ursinus, quem quidam Nathanaëlem illum Euangelicum esse censent: omnes vtique Apostolorum discipuli. In quas igitur angustias hæretici nomen Ecclesiæ contrahunt, cum ipsi soli de veritate gloriantur? quasi non promulgatum sit Euangelium Græcis & Barbaris, nec debitor fuerit Paulus sapientibus & insipientibus: quasi non illud audierint Palæstini, Syri, Cappadoces, Cilices, Paphlagones, Myfi, Lydi, Galatæ, Macedones, Corinthij, Cyprij, Thessalonicenses, Colossenses: quasi nec Itali, cæteræ denique nationes, ad quas Apostoli profecti esse leguntur: quasi demum nec hoc quod credimus fidei symbolum, nec eadem nobiscum sacramenta nec idē Missas habeant, quotquot sunt fideles in Tartaria, India, Ægypto, cæterisque mundi partibus, in quas permulti Christiani diffusi sunt. Hic est diuersorum populorum consensus, qui Augustinum in Ecclesia retinet: hæc est harmonia quæ facit vt omnes vnanimes sint in domo Dei. Ad hanc harmoniam, & communem omnium fidem concurrere oportet eum, qui se Catholicum nuncupat: ne dogma sectetur, quod in angulo Galliæ, Germaniæ, Angliæ, aut Scotiæ, aut alterius alicuius regionis natum sit, sed quod olim per vniuersam ter-

*Hæretici Ecclesiã in angustias contrahunt.**Quo facto omnes hæreses sopiendæ sunt.*

*Catholica* ram fuerit prædicatum. Hoc si acceptum fuerit, hæreses & schismata facile sopientur, & ad meliorem omnes frugem contendunt. Neque verò tantum Ecclesia Catholica & Vniuersalis dicitur ex ratione loci, sed temporis & doctrinæ. Illa enim vt ex omnibus populis & linguis, ita in omni tempore ad vsque finem mundi, & in omni fidei dogmate & articulo vna est, & sibi consentiens. Hoc vt demonstret Irenæus, summa nostræ fidei capita repetit, tandem inferens: Hanc prædicationem & hanc fidem cum acceperit Ecclesia, & quidem in vniuersum orbem disseminata, diligenter custodit, quasi domum vnam inhabitans: & similiter credit iis, videlicet quasi vnam animam habens, & vnum cor, & consonanter hæc prædicat, & docet, & tradit, quasi vnum os possidens. Nam etsi in mundo loquelæ dissimiles sunt, sed tamē virtus traditionis vna & eadem est. Et neque hæ, quæ in Germania sunt fundatæ Ecclesiæ, aliter credunt, aut aliter tradunt: neque hæ quæ in Hiberis sunt, neque hæ quæ in Celtis, neque hæ quæ in Oriente, neque hæ quæ in Ægypto, neque hæ quæ in Lybia, neque hæ quæ in medio mudi sunt constitutæ: sed sicut Sol creatura Dei in vniuerso mundo vnus & idem est, sic & lumen, prædicatio veritatis vtrique lucet, & illuminat omnes homines, qui volunt ad cognitionem veritatis venire. Et neque qui valdè præualet in sermone, ex his qui præfunt Ecclesiis, alia quàm hæc sunt, dicet (nemo enim super magistrum est) neque infr-

*Vna fides  
vbique om-  
nium creden-  
tium.*

mus in dicendo deminorabit traditionem. Cum enim vna & eadem fides sit, neque is qui multum de ea dicere potest, amplius dicit, neque is qui minus, illam minuit. Hæc Irenæus. Ex his efficitur, vt quantumlibet variis temporum locorumque interuallis disiungamur, vna tamen Ecclesia simus: & (vt ait Paulus) vnum corpus, & vnus spiritus, quæadmodum & vocati sumus in vna spe vocationis nostræ. *Ephes. 4.*

Vnus Dominus, vna fides, vnū baptisma, vnus Deus & pater omnium, qui est super omnia, & per omnia, & in omnibus nobis. Sic illa vniuersalis est, vt in vnum cætum omnes veteris Testamenti Patres nobis coniungat, cum lapis Angularis vtrumque parietem amplectatur. Hinc etiam efficitur, Vt sit visibilis. Nam cum corpus sit Christi, quomodo non sub visibili capita visibilia membra erunt? At verò Christus in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est. Nos autem quomodo non fateamur esse visibiles? Si fundamentum visibile, visibilem quoque domū superstrui oportet. Atqui & Prophetæ & Apostoli Ecclesiæ fundamenta sunt, neque visibiles negabimus. Adde quòd nostra cum Christo cōiunctio, vt dicturi sumus, non modò spiritualis, sed & corporalis est, Vt simus os ex ossibus eius. Denique visibiliter administrantur omnia sacramenta, quibus maximè colligamur. Neque sanè potest ciuitas supra montē posita abscondi, nec Ecclesia quæquā latere, cum signis visibilibus & ministris, & verbis nos in vnū corpus contrahat.

*Ecclesia est  
visibilis.*

1.

2.

3.

4.

5.

*Matth. 5.*

Quòd Prælati, & maximè summus Pontifex Eccle-  
siam repræsentat: quod quæ dicere Ecclesiæ, est ad il-  
los qui præsumunt id de quo quæritur, referre. De au-  
thoritate summi Pontificis, & Episcoporum in Ec-  
clesiâ: quod quæ eorum est, non Regum, cogere Con-  
cilia: quod etiam quatuor generalibus Conciliis pro-  
batur.



QUI olim de re aliqua incer-  
tus erat, quam sibi resolui postula-  
ret, ad Prophetam veniebat, &  
vulgari loquendi modo dicebat,  
Eamus ad videntem. Nunc autem  
si quid quæstionis de rebus diuinis nascitur,  
monuit Christus vt ad Ecclesiâ nos confe-  
ramus. Si te, inquit, non audierit frater tuus,  
adhibe tecum duos aut tres testes: si illos non au-  
dierit, dic Ecclesiæ: si Ecclesiâ non audierit, sit tibi velut  
Ethnicus & Publicanus. Iam ergo nobis dicen-  
dum est, qui præ se ferant Ecclesiâ. Nunquid  
scilicet omnes indiscretè intellexit? Si omnes,  
sine vlla exceptione, quotquot sunt membra  
Christi: quomodo congregari poterunt ex  
omni regione quæ sub cælo est, vt ad eos quæ-  
stio reliqua referatur? Si non omnes in genere,  
ergo ex omnibus, aut vicinis aliquos. Hoc si à  
Scripturis requiramus, videndum erit, quo-  
rum sit difficilia resolueri, obscura explicare,  
& ambigua definire. Nec enim (ait Paulus)  
omnes sumus Apostoli, nec omnes doctores;  
aut Prophete. Itaque Dominus hunc ordinem  
sanctiuisse legitur, vt maiores causæ ad sum-

Math. 18.

Quorum est  
difficiliare  
soluere.

sum Pontificem, minores ad sacerdotes, aut  
septuaginta Iudices referrentur. Primùm enim  
iure diuino omnia à summo Pontifice resolui  
debent: sed quoniam tanto oneri par esse non  
potest, vt non modò grauias, sed & singula quæ-  
que leuissima discutiatur, idèd cum ab illo mi-  
nor iurisdictione singulis gradibus distributa sit,  
illi summa vt summo iudici debetur. Hoc ex  
ipsa Mosis cathedra, non extra rem ipsam di-  
scernere possumus, cum Christus illam com-  
mendarit, & iis qui in eo sedent, parendum  
monuerit. Quæ fuit autem illa cathedra, nisi  
summa iurisdictione quam habuit Moses? An nõ  
verò ex ore illius omnis quæstio pèdebat? num  
solus ille primùm iudicabat? num solus sede-  
bat? Eapropter enim ad eum Iethro, Quid est  
hoc (inquit) quòd facis in plebe? Cur solus se-  
des, & omnis populis præstolatur de mane vsq;  
ad vesperam? Respondit autem Moyses. Venit  
ad me populus, quæres sententiam Dei. Cum-  
que acciderit eis aliqua disceptatio, veniunt  
ad me, vt iudicem inter eos, & ostendam præ-  
cepta Dei, & leges eius. Ad eum igitur primùm  
spectabat de rebus omnibus, maximè diuinis,  
sententiam ferre. Vnde ergò tot iudices sub-  
stituti sunt? Nimirùm quòd nec solus tanto  
muneri respondere posset, nec singuli patien-  
ter tam seram satisfactionem expectarèt. Idèd  
Iethro, Ultra vires tuas est negotium, inquit:  
solus id non poteris sustinere, sed audi verba  
mea atque consilia, & erit Dominus tecum.  
Esto tu populo in his quæ ad Deum pertinent,

Ad summum  
Pontificem om-  
nis iurisdic-  
tio, & dif-  
ficiliu resolu-  
tio reuo-  
canda est.

Math. 23.  
Quæ Cathe-  
dra Mosis  
fuerit.

vt referas quæ dicuntur, ad eum, ostendasque populo ceremonias & ritum colendi, viamque per quam ingredi debeant, & opus quod facere debeant. Proinde autem de omni plebe viros sapientes & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam: & constitue ex eis Tribunos & Centuriones, & Quinquagenarios, & decanos, qui iudicent populum omni tempore. Quicquid autem maius fuerit, referant ad te, & ipsi minora tantummodò iudicent, leuiusque sit tibi, partito in alios onere.

*Onus summi pontificis partitum in alios.*

Iam quid est partitum esse in alios onus, nisi quòd id totum Moysen spectabat? Sic enim ad summum Pontificem omnia primùm, ab ipso demùm in Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, & ab Episcopis in Decanos, Archidiaconos, demùm ad Curiones distributa prouincia est. Eoque omnia ordine progredi debent, qui in reformatis Mosis temporibus est commendatissimus: Vt minora à minoribus, maiora à maioribus iudicentur: summa demùm iurisdictione ad summum Pontificem procedatur. Quòdque non modò summus Pontifex, sed & ipsum consistorium, aut concilium legitimè congregatum, auctoritatem Ecclesiæ præ se fert, tunc Dominus ad Moysen dixisse legitur: Congrega mihi septuaginta viros de senioribus Israël, quos tu nosti quòd senes populi sunt ac magistri: & duces eos ad ostium tabernaculi foederis, faciesque ibi stare tecum, vt descendam, & loquar tibi. Et auferam de

*Num. II.*

spiritu tuo, tradamque eis, vt sustentent tecum onus populi, & non solus graueris. Inde enim tandem *Sinbedrin* domus iudicij vocata est, in qua præside summo Pontifice, septuaginta iudices concurrebant in sententiam. Hæc fuit Mosaïca disciplina, hic ordo, & iudicij progressus. Tunc igitur si quis ad Ecclesiam aliquid relaturus erat, num ad Moysen, aut ad substitutos iudices veniebat? Eodem sanè modo ad eos qui cathedræ Mosaïcæ succedunt, aut ab his delegatos iudices expectanda sententia est: ita tamen, vt sicut olim septuaginta iudices audiebantur, ita si quæ maturo consilio fieri debent, aut consistorium, aut conuocatum consilium omnia expendat. Nam vt hic ordo in benè instituta Ecclesia locum habent, ex diuinis decretis audiamus. Sunt enim qui ad Reges hæc prouinciam referri debere contendunt: qui si fortè Regis institutionem in deuteronomio legerint, multo se hallucinari fatebuntur. Eodem enim in capite, & Sacerdotis auctoritas, & Regis institutio exprimitur: ita tamen, vt primùm quid iuris in rebus difficilibus definiendis sacerdos habeat, his verbis describarur: Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris, inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram, & non lepram, & iudicium intra portas tuas videris verba variari: surge, & ascende ad locum quem elegit Dominus Deus tuus, veniesque ad sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui indicabunt tibi

*Sinbedrin.*

*Septuaginta.*

*Non est re- gnū Ecclesiæ præse.*

*Deu. 17.*

*Ad quos recurrendum in difficultibus.*



iudicij veritatem: & facies quodcumque dixerint, qui præsumt loco quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius, sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dextram, nec ad sinistram. Ex his animaduertere licet, res maiores ad summum Pontificem, & eos qui Hierosolymis erant sacerdotes, deferri debuisse. Quid enim per locum quem Dominus elegerit, nisi Hierusalem & montem Syon, nisi etiam templum intellexit? Hic est enim locus, de quo idem Dominus, cum noctu Salomoni apparuisset, ait: Audiui orationem tuam, & elegi locum istum mihi in domum sacrificij. Qui verò loco illi præerant? An Reges? Immò ipsi, ut in consequentibus legitur, à sacerdotibus de diuinis edoceri debuerant. Sed & eorum qui præerant caput statim exprimitur: Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille: & auferes malum de Israël, cunctusque populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumescat superbia. Sacerdos autem in singulari, summum illum designat, ad cuius sententiam maiorum quæstionum decisio spectabat: qui etiam Iudex dicitur, seruata etiam in utroque temporis conditione: Ut & Iudex qui fuerit illo tempore, & sacerdos qui eo tempore ministrat Deo, nuncupetur. Statim autem ad Regis institutionem progreditur: Cum ingressus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, & possederis, habitauerisque in illa, & dixeris,

Constituam

2. Paral. 7.

Deut. 17.

Regis institutio.

Constituam super me regem, sicut habent omnes per circuitum nationes: eum constitues, quem Dominus Deus tuus elegerit, de numero fratrum tuorum. Et paucis interiectis: Postquam autem sederit in solio regni sui, describet sibi deuteronomium legis huius in volumine, accipiens exemplar à sacerdotibus Leuiticæ tribus, & habebit secum, legetque illud omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Deum, & custodire verba, & ceremonias eius, quæ in lege præcepta sunt. Quorsum verò à sacerdotibus deuteronomium accipere, & edoceri debuit, nisi quòd in foro rerum diuinarum ille sacerdotibus inferior erat, nec præesse sed subesse, non docere, sed doceri debuit? Nec enim Salomon nisi in atrio orauit, non autem Sancta sanctorum ut Pontifex ingressus est. Victimam autem mactasse dicitur, quòd idipsum per sacerdotes fieri vellet, & ille sumptus & hostias ad sacrificia suppeditaret. Num enim incensum adolere quid multo minus est, quàm offerre? quàm ius in templo dicere? quàm concilia cõgregare? Hoc tamen minimè Regibus licuisse, vnico exemplo manifestum erit.

Ozias enim Rex Iuda, cum multis ædificiis & munitioibus Hierusalem illustrasset, eleuatū est cor eius in interitum suum, ut in Paralypomenois legitur, & neglexit Dominū Deū suū: ingressusque templum Domini, adolere voluit incensum super altare thymiamatis. Cur verò cor eius in interitum eleuatum esse, & ipse Deum neglexisse dicitur, in eo quòd incensum

Rex in foro diuino sacerdotibus inferior.

Quomodo reges sacrificasse dicuntur.

2. Par. 26. Temeritas Ozia regis.

4. Reg. 15. offerre voluit: nisi quia illud diuino decreto minimè liceret, & regia potestas à sacerdotali seiūgeretur? Hoc scilicet apertius sequētia declarant: Statimque ingressus post eum Azarias sacerdos, & cum eo sacerdotes Domini, octoginta viri fortissimi, restiterunt Regi, atque dixerunt: Nō est tui officij, Ozia, vt adoleas incēsum Domino, sed sacerdotum, hoc est filiorum Aaron, qui consecrati sunt ad huiusmodi ministeriū. Egredere de sanctuario: ne contempseris, quia non reputabitur tibi ad gloriā hoc à Domino Deo. Iratusque Ozias, & tenens in manu thuribulū vt adoleret incēsum, minabatur sacerdotibus. Statimque orta est lepra in frōte eius corā sacerdotibus in domo Domini, super altare thymiamatis. Cumque respexisset eū Azarias Pōtifex, & omnes reliqui sacerdotes, viderūt lepram in fronte eius, & festinatō expulerunt eū. Sed & ipse perterritus, accelerauit egredi, eò quòd sensisset illicò plagam Domini. Fuit igitur Ozias Rex leprosus vsque ad diem mortis suæ, & habitauit in domo separata plenus lepra, ob quā eiectus fuerat de domo Domini. Nam à Rege isto omnes exemplum sumere debent, ne se sacerdotibus præferant, ne supra eos diuina præsumant, aut summum Pontificem, eosque qui sacris rebus resecti sunt, contempnant? Hoc ius summi Pontificis agnouit Iosaphat Rex Iuda. Cùm enim sacerdotes & iudices in his quæ suarū essent partiū commonuisset, vt quæstionem omnem de mādato, de ceremoniis, de iustificationibus, sic inter-

*Vindicta diuina in rege temerario.*

2. Par. 19.

pretarētur populo, vt non peccaret in Dominum illud etiam adiunxit. *Azarias autem sacerdos & Pontifex vester, in his quæ ad Deum pertinent, præsidebit.* Porrò Zabadias filius Hismaël, qui est dux in domo Iuda, super ea erit, quæ ad Regis officium pertinet. Sic summi Pōtificis, & regis iurisdictionem distinxit: vt vni Pōtifex, alteri Zabadias præsideret. Ex quo efficitur, vt si Rex Achab quid Ecclesiæ synodū requireret, summi Pontificis hoc interesset. Nam quòd nonnulli Regem Achab in exemplum proferunt, qui quadringentos Pseudopphetas ad portam Samariæ cōgregauerit: quid hoc vim habere potest, vt ordo benè positus in Ecclesia peruertatur, cùm Rex reprobus fuerit, idolis additus, Deo vero & Prophetis, legi etiam diuinæ infensissimus? An quia ille Sathanicæ Ecclesiæ, id est Pseudopphetarū synodū cōegit, licet Regibus cōciliū Ecclesiæ Catholicæ cōuocare, eisque præsidere, & sententiam ferre? Erat quidē fidelis Principis, Regis, & Imperatoris illud, quòd à Pontifice & sacerdotibus decretum fuerit, nō approbare modò, sed tueri, & eniti vt ab omnibus obseruaretur, suosque, si opus sit, in eū finem cogere, vt nullus obstet, sed omnia tuta sint & perua. Hoc cur nō in noua lege locū habeat, cùm Christus non cōfuderit, sed adimpleuerit omnia, & in optimū ordinē reduxerit? Est autem optimus ordo, vt sol diei, luna noctis: id est, Pontifex Ecclesiæ in rebus diuinis, Rex populo in temporalibus præsit. Hoc si ad nouæ legis perpendiculum confide-

*Rex Achab quod conciliū cōegerit.*  
3. Reg. 22.

*Ordo optimus.*

Math. 2. retur, nemo negabit Apostolorum fuisse concilia cogere, Verbum Dei annuntiare, etsi quid perplexum & difficile prodiret, definire. Non hoc Herodis fuit non Pilati, sed eorum quorum auctoritatem Christus à regio nomine se creuerat. Reges Gentium dominantur eorum (inquit) & qui potestatem exercēt inter eos, benefici vocantur: vos autem non sic. Quomodo verò regiū nomen vsurpassent Apostoli, quod Christus oblatū lōgè abiecerat? Et qua demum ratione Reges & Principes Apostolorū cathedrā sibi vendicassent, qui sua sceptrā eorū pedibus submiserūt? Sic reddēda sunt quæ Cæsaris, Cæsari, & quæ Dei Deo. Caiphas Pontifex concilium coegerat, quod ad Pōtificē spectare, licet ille impio sine id faceret, Prophetiæ dono Dominus cōfirmavit. Nec enim alia ratione Caiphas pphetavit, expedire vnius hominis mortem pro populo: quàm quod erat Pōtifex anni illius. Christo demum in cælū recepto, cum de legaliū obseruatione quæreretur, cōciliū ab Apostolis Hierosolymis coactū est: conuenerunt quæ Apostoli & seniores videre de Verbo: quorū nimirū intererat de his rebus cōsulare, & abstrusa quæq; explicare. Tū autē Petrus omnium primus sermonem habuisse legitur, Iacobus verò in eius venisse sententiā: placuisse demū Apostolis & senioribus cū omni Ecclesia, eligere viros qui cum Paulo & Barnaba Antiochiam proficiscerentur, vt decretum Ecclesiæ, nomine Spiritus sancti & Apostolorum promulgarent. Ex his manifestum est, Aposto-

Caiphas.

Act. 15.

Apostoli.

los & seniores Ecclesiæ auctoritatem habuisse, tū demum ad eorum successores abstrusa quæque & inuoluta referenda esse. Iam si à sacris Scripturis ad seriem temporum progrediamur, & à quibus coacta sint concilia, quorum demum fuerit sententiam ferre, requiramus: cui dubium erit Ecclesiam in Prælatibus eius, in Episcopis & Pastoribus significari? Hoc autem quomodo melius quàm ex quatuor generalium Conciliorum decretis confirmabimus, quæ velut quatuor Euangelia suscipit? Hæc autem sunt Nicenum, Constantinopolitanum, Chalcedonense & Ephesinum, Nicenum circa annum Domini 328. celebratum est, Syiuestri Pontificis, & Constantini Imperatoris temporibus, ex Oriente & Occidente congregatis 318. Episcopis, vt impium Arii dogma subuerterent, quod Christi diuinitatem & consubstantialitatem oppugnabat. Nec quidem negauerim ad instantiam optimi & Christianissimi Imperatoris illud indictum fuisse, vt qui contra Catholicam fidem tot turbas excitari molestissimè ferret. Instare enim Principes, & requirere Concilia possunt: illa tamen à Summo Pontifice & congregatis Episcopis decernuntur. Sic Cōstantinus quodammodo Concilium Nicenum coëgisse dicitur, quod summā instantiā procurauerit. Vt autem ex ipso Niceno Cōcilio quid Imperatori, quid summo Pontifici & Episcopis tribuendum sit, audiamus: quærendum primum est, quo loco Imperator sederit, an hanc ille ab

*Quis locus  
Imperatoris  
in concilio  
Niceno.*

Socrates lib.  
1. Cap. 8.

Episcopis, an potius ille Episcopis suas sedes tribuerit. Socrates quidē historiae Ecclesiasticae lib. 1. vbi omnes Episcopos simul congregatos narravit, etiam & illud de Imperatore adiecit: Παρήει δὲ καὶ ὁ βασιλεὺς αὐτῶν, καὶ μετ' ἐπεὶ παρήλθεν, εἰς μέσση ἔστη. καὶ ἔσπερον καθεζομένην ἦρειτο, ὡρὶν αὐτοὶ ἐπίσκοποι ἐπινεύσαν: id est, Accessit verò post eos ipse etiam Imperator, & in illorum medio constitit: nec sedere voluit, priusquàm Episcopi annuissent: tāta ipsū reuerentia & obseruatia tenebat. Quod etiā Theodoretus his verbis explicat: Εἰσελήλυθε δὲ καὶ αὐτὸς ἕκαστος σὴν ὀλίγοις. θρόνον, δὲ σηκροδ τεθέντος, ἐν μέσση κεκαθήκει ἐπιτρέψαι τῷ τῶν ἐπισκόπων ἀτήσας: Ipse quoque cum paucis postremus omnium ingressus est, & paruo in solio posito assedit, praefatus veniam prius, & petita concessione ab Episcopis. Quid autem ab Episcopis veniam primū precabatur, nisi quòd eos in Concilio superiores esse censebat? Hoc ipsum non tacuit, illis antiquior Eusebius Caesariensis, qui libro tertio De vita Constantini, Imperatorem in Concilium progrediētem describens, tandem haec adiicit: ὅτι δὲ παρελθὼν ὅτι πλὴν ὡρὶν τῶν ἀγμάτων ἀρχῶν μέσση ὡρὶν ἔστη, σηκροδ πινὸς καθίσματος ὕλης χρυσὸν πεποιημένον ὡρὶν τεθέντος, καὶ ὡρὶν ἢ τῶν ἐπισκόπων ἐπινεύσαν, ἐκαθήκει: id est, Postquàm autem ad ordinum primordia venit, constitit primū medius, positaque modica quadam sede ex auri materia, facta non sedit, prius-

Theodoret.  
Lib. 1. cap. 7

Eusebius.

quàm ab Episcopis annueretur. Nec quidem tacet, Romanum Pontificem propter senium defuisse, verū eius Presbyteros praesentes locum ipsius suppleuisse. Sed & in ipsa Praefatione Nicenae Synodi primū notatur, quòd Ecclesia Romana nullis synodicis decretis prelatata est caeteris Ecclesiis, sed Evangelica voce Domini & Saluatoris nostri primatum obtinuit, vbi beato Petro Apostolo dixit: Tu es Petrus, & super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam. Quin & in eadem vrbe societas beatissimi Pauli adhibita est, qui vno die, eodemque tempore sub Petro agonizans, coronatus est: quòdque ambo pariter Ecclesiam Romanam Christo Domino consecrarunt, aliisque vrbibus in vniuerso mundo eam sua praesentia, atque venerando triumpho praetulerunt. Vnde prima sedes Romana, inde secunda apud Alexandriam à Marco Evangelista, Petri discipulo consecrata: tertia apud Antiochiam, vbi beatus Petrus, priusquàm Romanam veniret, habitauit, & Ignatium Episcopum constituit: quarta apud Hierosolymā, vbi Iacobus Apostolus Episcopus ordinatus est. Quinetiam inter decreta authoritas illa Romanae Ecclesiae antiquissima esse censetur cum inter caetera haec dicuntur: Τα ἀρχαῖα ἦθη κρατεῖται, τὰ ἐν Αἰγύπτῳ, καὶ Λιβύῃ, καὶ Πενταπόλει, ὡς τὸν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ἐπίσκοπον πάντων τούτων ἔχει πλὴν ἐξουσίαν ἐπειδὴ καὶ τῶ ἐν τῇ Ρώμῃ ἐπισκόπῳ τῷ σωτηρῆς ἔστι: id est, Mos antiquis teneatur in Aegypto & Libya, &

Ecclesia Romana cum  
etis prelatata.  
Math. 16.

Decretū Synodi Nicenae.

Pentapoli, ut qui in Alexandria est Episcopus, omnium istorum habeat potestatem: quando quidem Romano Episcopo hoc ipsum cōsue- rum est. Aut quòd Romanus Pōrifex omnium supremus hoc probauerit, aut quòd ad instar il- lius metropolitæ ius habeant: ut sicut hic in omnes, sic illi in suos agant. Ex his manifesta est Romanæ sedis autoritas, quod que Constantinus Imperator illam & omnes Episcopos se superiores agnouerit. Hoc ipsum maximè do- cuit, cum neq; in cōcilio dissereret, nec senten- tiam ferret, sed auditor factus latam ab Epi- scopis reuerenter exciperet, & indictis pœnis obseruari iuberet. Socrates enim hæc habet quòd cum libellos supplices, qui ei cōtra quos- dam Episcopos oblatis fuerant, igni tradidisset, ipse ut ad propriam causam, ob quam vocati fuerant, accingerentur, monuit. Quo facto, de pace & concordia fusè disseruit. Αὐθις δὲ τῆς δογματῶν ἐπιμελέστερον ἐπιπέφασθα τῆ αὐτῆς γνώμῃ ἐπέτερε: id est, diligentio- rem verò dogmatum istorum sententiæ per- misit. Theodoretus verò illam, quam ad Epi- scopos habuit exhortationem, sic interpre- tatur, ut non proinde sibi in eos authorita- tem vendicaret. Ait enim: Ταῦτα καὶ τὰ τέτοις ὁδῶν ἀλήσια, οἷα δὴ παῖς φιλοπάτωρ τοῖς ἱε- ρεῦσιν, ὡς πατέρας προσέφερε, τῆς ἁποστολι- κῶν δογματῶν πρὸ συμφωνίας παραμαίετός με- νος: hoc est, Hæc & his similia memorabat ille, velut filius sacerdotibus, amans paterni nominis, tanquam patribus, cupiens con-

Constantinus  
non disserere-  
bat.

Socrates.

Theodor.

ferri Apostolicorum dogmatum vnitatem. Sozomenus verò hæc etiam addit, qua ni- mirum ratione synodum congregari postula- ret. Βασιλεὺς τὸ ἐν καὶ σωτηριῶν ὑμέ- τερος, χάριν αὐτῶ λαβεῖν ἀρετῶν τῶ θεῷ, τῶ κοινῶ δεσπότη, ἐμοὶ τε λαβεῖν, καὶ ὑμῶν δὲ ἔναυ ἀρετῶσαν. Eam ob causam sacram hanc vestra synodum coëgi: cumque Imperator sim, & ves- ter conseruus, gratiam hanc à vobis peto, Deo communi Domino gratissimam, quam & me accipere, & vobis dare conuenit. Ita se ab illis discreuit, ut illorum esset dare sententiam, suū autem datam accipere. Hoc Imperatoris, hoc Regis munus est: & eam ob rem aut concilia iniri requirunt, aut ipsi eis intersunt. Cum ita- que ex Niceno concilio audierimus quæ sit summi Pontificis, quæ Episcoporum authori- tas, quæ partes Regum & Imperatorum: idem etiam ex reliquis œcumenicis conciliis mani- festum fiet. Secundum igitur Constantinopo- litanum ab Orientalibus maximè celebratum est, contra Macedonium & eos qui sancti Spi- ritus diuinitatem oppugnabāt, circa annū Do- mini 383. Damaso Papa, & Cyrillo Hierosoly- mitano Episcopo: imperantibus verò Gratia- no & Theodosio Principibus. Hoc quidem ad instantiam Theodosij, sed tamen decisum, & centum quinquaginta Episcoporum authori- tate consummatum est, qui & Romanum Pō- rificem in Ecclesia supremum agnouerunt. Eam ob rem enim, ut scribit Theodoretus, Ro- mam ad summum Pontificem literas & Lega-

Sozomenus  
Lib. 1. c. 19.

Councilium  
Constanti-  
nopolitanis.

Theodoret.  
Lib. 5. hist.  
Eccles. c. 9.

tos direxerunt, per quos eorum omnium quæ Constantinopoli facta essent, rationem redderūt. Quibus etiam Damasus Papa rescripsit, eorum in sedem Apostolicam propensionem laudans. Licet verò breuissima sint & pauca huius synodi capita, Romani tamen Pontificis auctoritatem, quæ etiam in Niceno concilio confirmata fuerat, agnouit. Sic enim habet:

*Cap. 3.* Τὸν μὲν τοι Κωνσταντίνος πόλεως ἑπίσκοπον ἔχειν τὰ πρεσβεία τῆς τιμῆς, μετὰ τὸν τῆς Ῥώμης ἑπίσκοπον, ἀλλὰ τὸ εἶναι αὐτῷ νέαν Ῥώμην: id est, Constantinopolitanæ ciuitatis Episcopum habere oportet primatus honorem post Romanum Episcopum, quoniam Constantinopolis noua Roma est.

*Concilium Ephesinū.*  
*Anno 433.* Tertium Concilium œcumenicum Ephesi contra Nestorium indictum est, qui quòd ut duas naturas, ita duas personas in Christo celebrabat, vocem θεοτόκος, i. deiparæ auersabatur.

*Euagr. l. 2. cap. 4.* Sedebat tum Romæ Cælestinus Papa, imperante Theodosio iuniore. Congregati sunt ducenti Episcopi, quorum erat contra Nestorium agere, & quid credendum esset, differere.

*Rom. Pontifex supremus.* Κυρίως τὸ θεοσεβεία διέποντος, καὶ τὸν Κωνσταντίνου πόλεως ἐπίσκοπον τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης ἀρτυροῦντος: id est, (ut ait Euagrius) diuino Cyrillo synodum disponente, & locum Cælestini, veteris Romæ Episcopi disponenti. Sic enim supremus omnium Romanus Pontifex agnoscebatur, ut qui concilio præesset, illius vices suppleret, & literis Apostolicis hunc gradum assequeretur.

Idem etiam quartum generale Concilium Chalcedone celebratum confirmat, cum ab Episcopis contra Eutychem & Dioscorum hereticos ventilata sit & decisa quæstio, quam illi pro duabus in Christo naturis & proprietatibus impiè promulgarant. Huic autem sexcenti triginta Episcopi subscripserunt, Paschasino & Lucentio Episcopis, Bonifacio quoque presbytero nomine Leonis Papæ præsidentibus, ut scribit Euagrius: quod & in Actis ipsius Concilij exprimitur. Hoc etiam Leonis ipsius Papæ frequentes literæ confirmant, quas ad Theodosium & Valentinianū, etiam ad Marcianum Imperatores, ad Episcopos, Clericos, Archimandritas direxit. Sed & ipsi etiam Imperatores Leonem supremum agnouerunt, à quo Synodus indici, & concludi debeat. Sic enim Theodosio Valentinianus Imperator scripsisse legitur: Rogatus sum scribere vestræ maiestati de fide, quæ cum sit cōseruatricis omnium fidelium animarum, dicitur perturbata: quam nos à nostris maioribus traditam, debemus cum omni competenti deuotione defendere, & dignitatem propriæ venerationis beato Apostolo Petro intemeratam, nostris temporibus conseruare: quatenus beatissimus Romanæ ciuitatis Episcopus, cui principatum sacerdotij super omnes antiquitas contulit, locum habeat ac facultatem de fide ac sacerdotibus iudicare. Hoc etiam Galla Placidia suis literis ad Theodosium Imperatorem filiū expressit: Tua (inquit) mansuetudo tantis turbis

*Concilium Chalcedon. Ann. 454.*  
*Euagr. l. 2. cap. 4.*  
*Valentinianus Imp. declarat Rom. Pontif. supremum.*  
*Idem Galla Placidia.*

Synodi Chalcedon. Canon. 24.

resistens, veritatem immaculatam fidei Catholicae religionis seruari præcipiat, vt secundum formam & diffinitionem Apostolicæ sedis, quam & nos tanquam præcellentem similiter veneramus, in statu illæso sacerdotij manente per omnia Flauiano, ad Concilij & Apostolicæ sedis iudicium transmittatur, in qua primus ille, qui cœlestes clauis dignus fuit accipere, principatum Episcopatus ordinauit: quando scilicet decet nos huic maximè ciuitati, quæ domina omnium est ciuitatum tuarum, in omnibus reuerentiā conseruare. Quinetiā ipsius synodi canon talis est: Quod insistentes sanctorum Patrum definitionibus, qui sub piæ memoriæ Rege magno Theodosio, in regia vrbe Constantinopoli noua Roma conuenerunt, definiunt & decernunt, Constantinopolitanum Episcopum secundum locum habere à Pontifice Romano. *Καὶ γὰρ τῷ ἴσθῳ τῆς πρεσβυτέρας Ρώμης, οἱ πατέρες εἰκότως ὑποδίδωσι τὸ πρεσβεῖα*: id est, Etenim throno veteris Romæ Patres conuenienter primatum dederunt. Iam cum quatuor illa Oecumenica Concilia omnium sint probatissima, & quibus meritò omnes adhærent, in quæ etiam pauci sunt hæretici qui non iurēt: quid est quòd non Romani Pontificis authoritas admittatur? Quid non etiam concludatur Episcoporum esse Concilia inire, & difficilia quæque resolvere? Ex his ergò manifestum est, qui nam Ecclesiæ nomine audiendi sunt. Quid enim melius Ecclesiam Catholicam adumbrare potest,

quàm vniuersale Cōcilium, ex his collectum, quos Dominus in Ecclesia sua posuit Episcopos, vt pascant gregem quem acquisiuit sanguine suo? Fides enim quæ scriptis decretisque synodi sancita est, ea est totius Ecclesiæ, inquit Athanasius: hæretici verò ea maximè ratione calumnias synodo intentant, quòd per eam hæretici declarantur, & anathemate feriuntur. Cæterùm (vt doctè Cœlestinus Papa dissevit) cum Christus iis se medium affuturum pollicitus sit, qui in nomine eius, etiam duo aut tres, congregati sunt: quanto magis cum in vnum omnes Episcopi ex Oriente, Occidente, Septentrione & Aquilone concurrerint, & in eandem sententiam venerint?

*Quarta nota Ecclesiæ, quòd sit Apostolica: ubi de successione Episcoporum agitur: quòdque illa doctrinam Apostolicam confirmet, & summus Pontifex in Ecclesia Romana petro successerit, & quomodo discernatur doctrina Apostolica.*

**I**LIA quæ hæreditario iure contingunt, è successione metimur: Ecclesiam quoque eo ipso veram & Christianam esse confirmamus, quòd sit Apostolica, nimirum in qua doctrina Apostolorum, & legitima sit ab ipsis Apostolis aut Apostolicis viris Episcoporum successio. Hoc enim iure Tertullianus cum Valentino, Apelle, Marcione, & cæteris hæreticis contendit.

*Ius hæreditarium.*

*Tertull. l. de præscript. contra hæreticos.*

Qua(inquit)licentia, Valentine, fontes meos tranfertis? Mea est possessio: olim possideo, prior possideo, habeo origines firmas ab ipsis authoribus, quorum fuit res. Ego sum hæres Apostolorum. Sicut enim traditiones, & scripturas in superioribus libris, per manus acceptas esse docuimus: ita quoque ad eos, qui primi omnium nobis hæc tradiderunt, recurrendum erit, qui si Apostoli fuerint, aut Apostolici viri, ab ipsis quoque & doctrina & Ecclesia Apostolica dicetur. Hoc enim in sola Christi Ecclesia obseruari potest: cæteræ aut ad Arium, Donatum, Nouatum, Macedonium, aut ut ad recentiores veniam, ad Vitcleffum, Berengarium, Lutherum, aut Calvinum, aut alium quemuis hæresiarum reflectuntur, quod ante illorum tempora nusquam illæ blasphemie, quas induxerunt, ventilatæ sunt. Ex quo efficitur, ut & singulorum doctrina & Ecclesia, non Apostolica, sed aut Ariana, aut Macedoniana, aut Lutherana, aut Calvinica, à suo authore nuncupetur. Apostolicæ enim Ecclesiæ deputatur, ut soboles Apostolicarum Ecclesiarum, inquit Tertullianus. Nam omne genus ad originem suam censeatur necesse est: Vnde licet tot aut tantæ sint Ecclesiæ, vna tamen est illa ab Apostolis prima, ex qua omnes. Sic omnes primæ & Apostolicæ, dum vnâ omnes probant, vnitatem: communicatio pacis, & appellatio fraternitatis, & conuersatio hospitalitatis: quæ iura non alia ratio regit, quam eiusdem sacramenti vna traditio. Hanc igitur diri-

*Ecclesia hæreticorum à suis authoribus denominatur.*

gimus prescriptionem, si Dominus Iesus Christus Apostolos misit ad prædicandum, alios non esse recipiendos prædicatores, quàm quos Christus instituit: quia nec alius nouit patrem nisi filius, & cui filius reuelauit, & nec aliis uideretur reuelasse filius, quàm Apostolis, quos misit ad prædicandum, utique quod illis reuelauit. Quid autem prædicauerit, id est, quid illis Christus reuelauerit, & hinc præscribam non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis prædicando, tam uiua quod aiunt uoce, quàm per epistolas postea. Si hæc ita sunt, constat proinde omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesiis Apostolicis, matricibus & originalibus fidei conspiret, ueritati deputandam, & sine dubio tenentem, quod Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo suscepit: reliquam uero omnem doctrinam de mendacio præiudicandam, quæ sapiat contra ueritatem Ecclesiarum, & Apostolorum, & Christi, & Dei. Hæc Tertullianus. Cui maximè consentit Irenæus. Ille enim contra hæreses, unde uera Christi doctrina depromatur, explicans: Hanc (inquit) facile est ab Ecclesia sumere, cum Apostoli, quasi in depositarium diues, plenissimè in ea contulerint omnia quæ sunt ueritatis, uti omnis quicumque uelit, sumat ex ea potum uitæ. Hæc est enim uitæ introitus: omnes autem reliqui fures sunt & latrones: propter quod oportet quidem denotare illos: quæ autem sunt Ecclesiæ, cum magna diligentia diligere, & ap-

*prescriptio*

*Irenæus li. 3. cap. 4.*



*Testes litem  
resolunt.*

*Sozom. l. 9.  
hist. Eccles.  
cap. 2.  
Hist. reue-  
lationis 40.  
Martyrum.*

prehendere veritatis traditionem. Quid enim  
etsi cui de aliqua modica quæstione discepta-  
tio esset, nonne oporteret in antiquissimas re-  
currere Ecclesias, in quibus Apostoli conuer-  
sati sunt, & ab eis sumere de præsentis quæstio-  
ne, quod certum & liquidum est? Sic enim, ubi  
lis de possessione aliqua cõtestata sit, quæ scri-  
pto non constet, ad testes omnium antiquissi-  
mos deueniendum erit, qui auos & abauos vi-  
dere potuerint, & in quos, & quoties, & qui-  
bus titulis hæreditas reuoluta sit. Et si quis  
thesaurus reconditus sit, certis quibusdam re-  
lictis iudiciis, vt columnis, muro, sepulchro,  
aut similibus, quæ temporis lapsu corruerint,  
ad vicinos qui iam multo senio alios superet,  
rei ipsius inquisitio remittetur. Sic enim cum  
Eusebia sanctorum quadraginta martyrum,  
qui Sebaste Armeniæ temporibus Licinij mar-  
tyrium consummauerant, corpora domi suæ,  
quam in horto extra muros Constantinopo-  
litanæ ciuitatis condidisset, & moritura locum  
illum Monachis reliquisset, addita iuramenti  
obstructione, ne cuiquam hæc indicarentur:  
succedente demum tempore factum est, vt Mo-  
nachis alio migrantibus, domo illa prolapsa,  
terra & reliqua colluue adoperta, totus locus  
solo adæquatus fuerit. Sed & Cæsarius, consu-  
lari & præfectoria dignitate insignis, locum  
hunc tandem emerat, quod ibi vxor eius cum  
Eusebia sepeliri voluisset, vt & ipse sibi sepul-  
chrum erigeret. Atqui migrantes Monachi ni-  
hil de conditis Martyribus reuelauerat. Porro  
Cæsa-

Cæsarius ibi tandem in honorem Thyrsi Mar-  
tyris magnificum templum extruxerat. Mo-  
netur noctu Pulcheria, vt & corpora quadra-  
ginta martyrum inquirat. Videbatur ea res in-  
credibilis, & prorsus impossibilis, ait Sozo-  
menus. Neque enim antiquiores eius loci cle-  
rici sæpenumerò interrogati, neque alius quis-  
quam martyres illos manifestare poterant.  
Tandem rebus omnibus desperatis, Polychro-  
nio cuidam Presbytero, qui olim ex domesti-  
cis Cæsarij fuerat, diuino instinctu incidit in  
animum, vt cogitaret de Monachis, qui locum  
illum aliquando incoluerant: profectusque ad  
eos, cum omnes iam mortui essent, vnum dun-  
taxat superstitem reperit, quem orat vt indica-  
ret sibi, an sacræ reliquie dicto loco conditæ  
essent. Hic ille respondet fuisse se tum tempo-  
ris adolescentulum, monasticæ disciplina sub  
antiquis Monachorum præpositis deditum,  
certosque sibi constare conditos esse Marty-  
res iuxta loculos Eusebiæ: ignorare tamen se,  
an in Oratoriolo an alibi defossi sunt, eò quod  
multum temporis intercessisset, & prior loci  
facies, in eam quæ nunc apparet, mutata esset.  
Atqui mihi (inquit Polychronius) idem non  
accidit. Memini enim isse me ad sepulchrum  
vxoris Cæsarij, & ex vicina via publica ratio-  
nem ducens, conicio illam conditam esse iux-  
ta Ambonem, suggestum videlicet lectorum.  
Ex eo igitur manifestum est, ad antiquissimos  
testes esse progrediendum, maximè si de rebus  
agitur, quæ traditione constant, aut secretò  
LL

*Hæreticorum effugium quod Ecclesia latuerit, & illa reuelarint. In decretis Nicenæ Synodi.*

aliquibus commissa sint. Atqui dicere consueverunt omnes hæretici, multis temporibus Ecclesiam latuisse, se autem illam reuelasse. Quibus quæso testibus? qua traditione? qua successione? His enim etiam antiquissimis antiquissima confirmari oportet. Sic Athanasius Eusebium & cæteros Arianos prouocabat ad antiquitatem, dicens: Ecce nos demonstrauius istiusmodi sententiam à patribus ad patres, quasi per manus traditam esse: Vos autem noui Iudæi & discipuli Caiphæ, quos verborum vestrorum patres ac maiores demonstrabit, cum ne vnum quidem ex prudentibus aut doctis in authorem citare possitis? Cuncti enim vos, præter diabolum istius vobis à Christo defectionis authorem, auersantur: ille & olim vobis hanc impietatem inseuit, & nunc vobis author est, vt orbis terrarum Concilium vituperetis, non alia de causa, quàm quòd in eo Concilio, non quæ vestræ factioni patrocinentur, sed illa sint scripta, quæ ab initio ipsi, qui testes oculati, & ministri verbi fuere, tradiderunt. Sic enim Lucas suam doctrinam ad primos eos retulit, qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis, quorum etiam doctrinam affecutus esset. Atqui (vt scribit *Luc. I.* *Lib. 3. c. 4. Valentinus.* *Marcion.* Irenæus) ante Valentinum non fuerunt qui sunt à Valentino, neque ante Marcionem erant qui sunt à Marcione: neque omninò erant aliqui sensus maligni antequam initiationes & inuentores peruersitatis eorum fierent. Valentinus enim venit Romam sub Hygino, incre-

uit verò sub Pio, & prorogauit tempus vsque ad Anicetum. Cerdon autem qui ante Marcionem, & hic sub Hygino, qui fuit octauus Episcopus, sæpè in Ecclesiam veniens, & exomologesin faciens, modò quidem latenter docuit, modò exomologesin fecit (id est, aliquam recantationis & pœnitentiæ formam obseruauit) modò ab aliquibus traductus, rursus quòd malè doceret, ab hominum conuentu eiectus est. Marcion autem illi succedens, inuauit sub Aniceto, decimum locum Episcopatus tenente. Reliqui verò, qui vocantur Gnostici, à Mænanandro Simonis discipulo, accipientes initia vnusquisque ab eo, cuius sententiæ participauit, quem patrem & antistitem selegit. Omnes autem hi multò posteriùs, mediantibus iam Ecclesiæ temporibus, insurrexerunt in suam apostasiam. Hoc quidem simili inductione in nostri temporis hæresiarchis obseruare possumus. Quis enim ante Suuenfeldium & Muncerum sic solum spirituale verbum approbavit, vt etiam quæcunque scripta sunt, exploderet? Quis ante Anabaptistas aliquem non nisi anno suæ ætatis trigesimo baptisandum esse censuit? Quis ante Berengarium sacrosancti Christi corporis in Eucharistia præsentiam negauit? Quis ante Pelagium infantes Christianorum mundos nasci, nec esse peccatum originale fanciuit? Quis ante Armenos Catharos purgatorium post hanc vitam explosit? nimirum quod illi animas ante iudicium dormire censerent? Quis sanctas re-

*Cerdon.*  
*Manander.*  
*Ecclesia hæreticorum post Apostolos à suis hæresiarchis initium dixerunt.*  
*Berengarius.*  
*Pelagius.*  
*Armeni.*

*Vigilantius.  
Leo Copro-  
nymus.*

*Manichæi.*

liquias ante Vigilantium despexit? Quis ante  
Valdenses Sanctorum imagines reiecit, nisi  
fortè Leo Copronymus proferatur, qui con-  
silio Iudæorum eas subuertit, cum ipse interim  
idolis & demonibus humanas hostias sacrifi-  
caret? Quis ante Manichæum liberum arbi-  
trium, quis ante Ærium non esse certis diebus  
ieiunandum asseruit? Ita si omnium dogma-  
tum origines requirendæ sunt, eorum quæ  
profitentur hæretici, ad Apostatas delabêris,  
qui suis temporibus condemnati, & ab Eccle-  
sia Catholica reiecti fuerint.

*Tertull. l. de  
prescript.*

Cæterum (vt doctè scripsit Tertullianus) si  
quæ audent se interfere ætati Apostolicæ, vt  
ideò videantur ab Apostolis traditæ, quia sub  
Apostolis fuerunt, possumus dicere: Edant er-  
go origines Ecclesiarum suarum, euoluant or-  
dinem Episcoporum suorum, ita per succes-  
siones ab initio decurrentem, vt primus ille  
Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Aposto-  
licis viris, qui tamen cum Apostolis perseue-  
rauerit, habuerit authorem & antecessorem.

Hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæ sensus  
suos deferunt, sicut Smyrnæorum Ecclesia  
Polycarpum à Ioanne collocatum habet, sicut  
Romanorum Clementem à Petro ordinatum:  
id & proinde vtique & cæteræ exhibent, quos  
ab Apostolis in Episcopatum constitutos, A-

*Irenæus l.  
3. cap. 5.  
Successio  
Rom. p̄rif.*

postolici seminis traduces habeant. Sed quo-  
niam (vt docet Irenæus) valde longum est in  
hoc tali volumine, omnium Ecclesiarum enu-  
merare successiones: maximæ & antiquissimæ,

& omnibus cognitæ, à gloriosissimis Apосто-  
lis Petro & Paulo Romæ fundatæ & consti-  
tutæ Ecclesiæ, eam quam habet ab Apostolis  
traditionem, & annunciatam hominibus fi-  
dem per successiones Episcoporum perue-  
nientem, vsque ad nos, iudicantes: confundi-  
mus eos omnes, qui quoquo modo, vel per sui  
placentiam malam, vel prauam gloriam, vel  
per cæcitatem & malam sententiam, præter-  
quam oportet, colligunt. Ad hanc enim Ec-  
clesiam, propter potentiorum principatum, necesse est omnem conuenire Ecclesiam, hoc  
est, eos qui sunt vndique fideles, in qua sem-  
per ab his, qui sunt vndique, conseruata est ea  
quæ est ab Apostolis traditio. Fundantes igitur,  
& instruentes beati Apostoli Ecclesiam,  
Lino Episcopatum administrandæ Ecclesiæ  
tradiderunt. Huius Lini Paulus in his quæ sunt  
ad Timotheum epistolis, meminit. Succedit  
autem Anacletus post eum: tertio loco ab A-  
postolis Episcopatum sortitur Clemens, qui  
& vidit ipsos Apostolos, & contulit cum eis,  
cùm adhuc insonantem prædicationem Apo-  
stolorum, & traditionem ante oculos habe-  
ret. Non solus enim: adhuc multi supererant  
ab Apostolis docti. Huic autem Clementi suc-  
cedit Euaristus, Euaristo Alexander, ac dein-  
ceps sextus ab Apostolis constitutus est Six-  
tus: & ab hoc Thelesphorus, qui etiam glo-  
riosissimè martyrium fecit: ac deinceps Hygi-  
nus, post Pius, post quem Anicetus. Cùm au-  
tem successisset Aniceto Soter, Nunc (inquit

*Ad Eccle-  
siam Rom.  
omnes redi-  
untur.*

epist. 165.  
ad literas  
cuiusdam  
Donatista.

Irenæus) duodecimo loco Episcopatum ab Apostolis habet Eleutherius. Hac successione & ordinatione, ea quæ est ab Apostolis in Ecclesia traditio, & veritatis præconium, peruenit usque ad nos. Et est plenissima hæc ostensio, vnam & eandem viuificatricem fidem esse, quæ in Ecclesia ab Apostolis usque nunc sit conseruata, & tradita in veritate. Si enim (vt contra Donatistas scripsit Augustinus) ordo Episcoporum sibi succedentium numerandus est, quanto certius & salubriter ab ipso Petro numeramus, cui totius Ecclesiæ figuram gerenti Dominus ait. Super hanc petram ædificabo Ecclesiā meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam? Demum eam successionem ad sua usque tempora producit, quod Sotheri, in quem definit Irenæus, successit Eleutherius, Eleutherio Victor, Victori Zepherinus, Zepherino Calixtus, Calixto Urbanus, Urbano Pōtianus, Pontiano Autherus, Authero Fabianus, Fabiano Cornelius, Cornelio Lucius, Lucio Stephanus, Stephano Xistus, Xisto Dionysius, Dionysio Fœlix, Fœlici Eutyechianus, Eutyechiano Gaius, Gaio Marcellinus, Marcellino Marcellus, Marcello Eusebius, Eusebio Melchiades, Melchiadi Syluester, Syluestro Marcus, Marco Iulius, Iulio Liberius, Liberio Damasus, Damaso Siricius, Siricio Anastasius, qui Augustini temporibus sedem Apostolicam tenuit. Quid autem vetat illam successionem ad eos usque decurrere, qui nostris diebus supremum hunc gradū tenuerunt, nisi prolixior quosdam

fastidiret oratio? Nec enim difficile est continuam summorum Pontificum seriem contemnerere, cum nec hic ordo superioribus, sicut nec Pōtiffices ab nostris temporibus, interruptus sit: quibus primo anno 1539. sedit Paulus tertius, cui Iulius tertius successit, Iulio Marcellus secundus, Marcello Paulus quartus, Paulo Pius quartus, Pio quarto Pius quintus, huic verò nunc Gregorius nonus: quem vt Petri successorem, ita paternarū, id est, Apostolicarum traditionum & dogmatum propugnatorem, & vnius sanctæ, Catholice & Apostolicæ Ecclesiæ summum Pontificem agnoscunt, quicumque verò sunt Catholici, Hæc quæ Augustinum in Ecclesiæ gremio tenuerunt. Tenet me consensus populorum atque gentium (inquit) tenet authoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata: tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oues suas post resurrectionem Dominus commendauit, usque ad præsentem Episcopatum successio sacerdotum. Ab hac enim Petri cathedra, atque Ecclesia principali, vnitas sacerdotalis ex orta est (inquit Cyprianus) ad quam perfidia accessum habere non potuit. Quomodo verò continua illa series Episcoporum sibi succederet, nisi & illā Ecclesiam, cuius est cathedra, Dominus probaret? Quis enim comprehendat, quot imperiis & regnis mutationes accidunt? Attendenda est illa Christi sententia: Omnis plantatio, quam non plantauerit pater meus, eradicabitur. Iam cum nectyrannorū ferocitate, nec Vandalorum

barbarie, nec hereticorum furiis sedes illa col-  
 lapsa sit, quis non fateatur illius fundamētum  
 in Christo cōsistere? Age iam qui voles curiosi-  
 tatē melius exercere in negotio salutis (vt mo-  
 net Tertullianus) percurrere cœteras Ecclesias  
 Apostolicas, apud quas ipsæ adhuc cathedræ  
 Apostolorum suis locis præsidētur, apud quas  
 ipsæ authenticæ literæ eorum recitantur, so-  
 nantes vocem, & repræsentâtes faciem vniuf-  
 cuiusque. Proxima est tibi Achaia? Habes Co-  
 rinthum. Si non longè es à Macedonia, habes  
 Philippos, habes Thessalonicenses. Si potes in  
 Asiam tendere, habes Ephesum. Confringant  
 tale aliquid hæretici. Quid enim illis post bla-  
 sphemiam illicitum est? Sed etsi confringerint,  
 nihil promouebūt. Ipsa enim doctrina eorum  
 cum Apostolica comparata, ex diuersitate &  
 contrarietate sua pronuntiabit, neq; Apostoli-  
 alicuius esse, neque Apostolici: quia sicut A-  
 postoli non diuersa inter se docuissent, ita &  
 Apostolici non cōtraria Apostolis edidissent,  
 nisi illi qui ab Apostolis descuerunt, & aliter  
 prædicauerūt. Ad hâc itaq; formâ prouocabū-  
 tur ab illis Ecclesiis, quæ licet nullū ex Apo-  
 stolis vel Apostolicis authorem suū proferant, vt  
 multò posteriores, quæ deniq; quotidie institu-  
 untur: tamē in eadē fide conspirâtes, nō minus  
 Apostolicę deputâtur, p̄cōsanguinitate doctri-  
 næ. Adhibeo super hæc ipsarum doctrinarū re-  
 cognitionē, quæ sub Apostolis fuerūt ab iisdē  
 Apostolis & demōstratæ & deieratæ: sic enī fa-  
 cilius traducētur illæ, quæ nō sunt Apostolicę.

*Ecclesia est  
 Apostolica  
 in ratione  
 doctrina.*

His verò relictis erroribus, quos contra do-  
 ctrinam Apostolicam Sadducæi, Marcion,  
 Apelles, Hebion, Valentinus, & cœteri anti-  
 quiores hæretici promulgarūt, Vt scribit Ter- *Math. 26.*  
 tullianus: etiam de recentioribus exemplum  
 sumi poterit. Paulus enim in priore ad Corin- *1. Cor. 10.*  
 thios epistola, Christi verba recēset, vt confir-  
 met quid habeat Cœna mysterij. Christus ac-  
 cepit panem, & gratias egens fregit, dicēs, Ac-  
 cipite & comedite, Hoc est corpus meum: Et  
 calicem porrigēs, Hic est sanguis meus. Quod  
 vt magis fidelium cordibus infereret, Qui in-  
 quit indignè manducat, iudicium sibi mandu-  
 cat & bibit, non diiudicans corpus Domini. Et  
 rursus, Reus erit corporis & sanguinis Domi- *Iac 5.*  
 ni. Quomodo ergo suam & Ecclesiam, & do-  
 ctrinam Apostolicam esse profitebuntur, qui  
 id ipsum negant, & Christo mēdacium inurūt?  
 qui dicunt nec esse corpus, nec sanguinē eius?  
 Exhortatur Iacobus, vt si quis infirmatur ia  
 nobis, vocētur Presbyteri, orent, & vngant in-  
 firmum. Quid ergo obiectabunt, qui Vnctio-  
 nem illam extremam negant? Multis in locis  
 Paulus necessitatem operum statuit, cum per  
 charitatem operari debeat fides, & reddēda sit  
 eorum omniū ratio, quæ in corpore egerimus.  
 Iacobus etiam fidem sine operibus mortuā esse  
 contendit. Quid ergo illi, qui opera bona ex-  
 plodunt? Scribit & Paulus, quod vniuscuiusq;  
 opus, quale sit, probabit ignis: dies enim Do- *1. Cor. 3.*  
 mini manifestabit, quia in igne reuelabitur: Et  
 tunc si cuius opus manserit, mercedē accipiet:

si cuius arserit, detrimentum patietur, & saluus erit, sic tamē quasi per ignem. Quomodo ergo Apostolica dicitur Ecclesia, quę igne nos probandos, & diem illum Domini, id est, diē mortis nostrę, reuelaturum opera nostra negant, nec tum aliquos, qui detrimentū in pœnis patiētur, saluos fieri quasi per ignem admittunt? Quot sunt enim, qui purgatorium ignem post hanc vitam excludunt? Sed & Paulus, Bonum est homini carnem non manducare (inquit) & vinum non bibere. Et rursus, Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo. Condemnavit etiam eos qui suo vētri seruiunt, & per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium. Quomodo igitur non à Catholica Ecclesia Psychicos istos exclusit, qui nullū ieiunium ab Ecclesia indictum admittūt, & omnem ciborum delectū aspernantur? Facilis erit cæterorum omnium similis inductio, è qua Catholica & Apostolica à mēdaci Ecclesia discernatur. Cumque pauci Ecclesiam negent constantem & integram olim fuisse, cum tot martyres & doctores flourerent: facile conuincētur horum temporum hæreſes, cum pridem in primis suis authoribus condemnatę, & œcumenicis conciliis reprobataę fuerint. Ecclesia enim Apostolica anathema percussit Simonem Magū, quod inter cætera, sola cognitione, non autem operibus, ad salutem opus esse censeret. Cur nō etiam huius tēpestatis hæreticos condemnauit, qui eadem astruunt? Damnauit illa Pelagium, quod peccatum originale negaret,

Ærium quod pro mortuis orari & sacrificium offerri nollet, Manicheum quod Legem omninō obseruari non posse contenderet. Quomodo igitur nō pseudoapostolicam illam Ecclesiam sanciuit, quę nostris etiam temporibus eadem astrueret? Neque verò nouum est, quod illa sibi Apostolicorū nomen vsurpat. Id ipsum enim Apostatici sibi vendicarunt, qui præ cæteris de virginitate & voluntaria paupertate gloriabātur. Sed & Gnostici à Carpocrate, sese Apostolis Petro etiam, Andrea, & Paulo præstantiores esse iactabāt, ob excellētiā cognitionis. Habuit & Marcion librum, quē Apostolicum nūcupauit. Nā (vt scribit Apostolus) eiusmodi pseudoapostoli sunt operarij subdoli, trāsfigurātes se in Apostolos Christi. Nec mirū. Ipse enim Sathanas trāsfiguratur se in Angelum lucis. Non est ergo magnum, si ministri eius transfigurētur, velut ministri iustitię, quorum finis erit, secūdum opera ipsorum. Interim verò, vt vnus est Christus, & vnica est eius spōsa Ecclesia, ita & ipsa Catholica, sancta, & Apostolica est: extra quam dissidia locum habent, contentiones, impietates, rebelliones, denique quicquid à Sathana proficiscitur, & animas in æternam ruinam præcipitat. Verūm satis nunc de Ecclesia, & ipsius notis dictum est: nunc ad reliquos Apostolici Symboli articulos procedamus.

*Epiph. lib. 2  
tō. 1. her. 61.*

*in Apostolico.*

*Idē in her.*

*27. Carpocratitarū.*

*her. 42. Marcionis.*

*2. Cor. II.*

LIBER QVARTVS.

*De communionem Sanctorum, quid sit, quodque à Christo capite abundet: quomodo Christo uniamur, quodque unio illa etiam corporalis est, & maximè per manducationem Christi carnis confertur: ubi de corporali eiusdem manducatione.*



**V**T NEC SINE CONCENTV  
MVSICA, NEC SINE COM-  
pagibus nauis, aut neruis cor-  
pus: ita neq; Ecclesia, sine com-  
munionem membrorum, cum sit  
Christi corpus mysticum. Itaq;

cum iam dixerimus vnam esse sanctã & Apo-  
stolicam Ecclesiam, consequitur vt & Sancto-  
rum communionem admittamus. Vbi enim  
cogregatio illa sine coiunctione stare poterit?  
An Christi, vt Hypoliti, & Absyrthi, membra  
dispersa erunt? quorum horridum erat

*Ouid. lib. 15  
Metamor-  
phos.*

*membra rapi partim, partim reprensa relinqui:  
Ossa grauem dare fracta sonum, fessumque videre  
Exhalantem animam, nullasque in corpore partes  
Noscere quas posses, vnumque esse omnia vulnus.*

*1. Cor. 10.*

Atqui vnum corpus nos esse oportet, & ani-  
mam vnã, si modò capiti nostro Christo om-  
nes adhæremus. Hoc ergo sonat illa  $\tau\eta\varsigma\ \alpha\gamma\omega\upsilon\upsilon\varsigma$   
 $\kappa\omicron\iota\upsilon\omega\upsilon\iota\alpha$ , quam nos credimus: nõ societas mo-  
dò, sed communis alterutrius participatio, in  
iis omnibus quæ à Christo maximè in nos dif-  
fluunt. Sic enim Paulus è diametro  $\kappa\omicron\iota\upsilon\omega\upsilon\iota\varsigma$  &  $\tau\eta\varsigma$   
 $\delta\alpha\mu\omicron\upsilon\iota\omega\upsilon\upsilon$ , participes dæmoniorum vocat eos,

qui idolothyti comunicauerint, quoniam si-  
mul cum his affectus & malitiam dæmonum  
imbuerint, & illorum pœnis sese inferuerint.  
Ex quo efficitur, vt illis familiares dæmones  
reddantur, & ad eorum imperium veniant, &  
edant miracula. Quanto magis igitur à Chri-  
sto & abinuicem abundabunt, quicunque my-  
stico Christi corpori inserti fuerint? quãto ma-  
ior inter eos erit spiritualium bonorum com-  
munio? Quid namque dignius & maius dici  
potest, quàm Christus ipse, cui tamẽ nos com-  
municare testatur Paulus? Itaque hic fidei ar-  
ticulus multa creditu necessaria inuoluit, seu  
ex illa communionem, quæ nobis ad inuicem in-  
tercedit, seu ex nostra cù Christo vnione: sub-  
uenerit autem hæreticos Sacramentarios, vt  
qui nostræ cum Christo naturæ Vnionem ne-  
gant, & eius in Eucharistiæ sacramento præ-  
sentiam, & corporalem carnis māducationem  
fateantur. Non enim nisi aliquo mediãte con-  
iungimur. Quid autem hoc aliud est, quàm ip-  
se Christus? Ideò scilicet ipsum mediatorem  
dici ostendimus, quòd duo extrema, duas ni-  
mirum hominis & Dei naturas, in seipso vno  
colligeret: ex quo efficeretur, vt nos sibi vniẽs,  
etiã & Deo propinquiores redderet. Iam cum  
non melius quàm per Christum inuicem vniamur  
& comunicemus, & ex nostra cù Chri-  
sto vnione, illa quæ inter nos intercedit, com-  
munio astruatur: quomodo non Sanctorum  
communionem abstulerit, qui nostræ illi cum  
Christo vnioni obstiterit? Quomodo non in

*Christus à  
cõmunionem  
mediator.*

manducatio  
corporalis  
carnis Christi  
astringit  
Cōmunionē

hunc fidei nostræ articulū pugnabit, qui Christi  
carnis manducationem corporalem nega-  
uerit, cum ex ea nostra cum Christo vnio abun-  
det? Paulus enim communionem etiam cor-  
poris & sanguinis Christi nobiscū statuit. Ait  
enim, Τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας, ὃ εὐλογεῖται  
ἕνεκεν κοινωρίας τοῦ αἵματος τοῦ Χριστοῦ ἔστι? Calix  
benedictionis cui benedicimus, nōne com-  
municatio sanguinis Christi est? Sed & de  
Christi corporis participatione adiicit, quod  
sit κοινωρία τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ, cōmunica-  
tio Christi: utiq; propter illam quam cum ca-  
pite nostro coniunctionem habemus, ut simus  
os ex ossibus eius, & caro de carne eius, & pro-  
pter vberimam bonorū quæ in Christo sunt,  
communionem. Nam ut ad maiorē emphasim  
Cyrilli Hierosolymitani Græcis verbis utar,  
Ἐν τύπῳ ἄρτου δίδδωμί σοι τὸ σῶμα, καὶ ἐν τύπῳ  
οἴνου δίδδωμί σοι τὸ αἷμα, ἵνα γένη μέγα λαβὼν  
σώματος καὶ αἵματος Χριστοῦ, σύσσωμος καὶ συνώμα-  
τος αὐτοῦ. Οὕτω γὰρ καὶ χειροφόροι γινόμε-  
θα τοῦ σώματος αὐτοῦ καὶ τοῦ αἵματος, εἰς τὰ ἡμέ-  
τερα ἀναδεδεγμένοι μέλη. Ἔτω κατὰ τὸν μα-  
κάριον Πέτρον. Γείας κοινωνοὶ φύσεως γινόμεθα.  
id est, Siquidem in figura panis datur tibi cor-  
pus, & in figura vini datur tibi sanguis, Ut effi-  
ciar particeps corporis & sanguinis Christi,  
ipsi cōcorporeus & cōsanguineus. Sic enim &  
Christophori, id est, Christum ferentes effici-  
mur, cum corpus eius & sanguinem in mem-  
bra nostra recipimus. Sic denique secundum  
beatum Petrum, diuinę naturę cōmunicamus.

Cyrillus Hie-  
rosol. ca: ech  
mystagog.

Eximia igitur est, & strictissima omnium fide-  
lium cum Christo capite coniūctio, cum sicut  
ille nos docuit, si quando carnem eius mandu-  
cauerimus, & ille in nobis, & nos in illo man-  
suri sumus. Qui enim (inquit) manducat meam  
carnem, & bibit meum sanguinem, in me ma-  
net, & ego in illo. Magna denique nobis com-  
municatio sanctorum est, si ἀγία ἀγίων sancta  
illa sanctorum, diuina & tremenda sacrosancti  
Christi corporis mysteria consideremus. Quo-  
modo enim non sanctis communicemus, si il-  
lum in nobis manētem habeamus, qui est san-  
ctus sanctorum, quem sanctum Angelus, quem  
ipsi dæmones sanctum Dei esse confessi sunt?  
Scimus (inquiunt) quod sis sanctus Dei. Ex eo  
enim efficitur, ut sicut multi palmites ab eo-  
dem furculo, & multi rami ab eadem arbore  
succum & vitam hauriunt, ita & nos à Christo  
cui inserimur, quorquot sumus, gratiæ & vitæ  
participes efficiamur. Nostra enim cum Chri-  
sto vnio, non modo spiritualis per fidem, sed  
& corporalis per Christi corporis manduca-  
tionem, quam tamen excludunt Sacramenta-  
rij. Nō enim negamus (inquit Cyrillus) nos re-  
cta fide, charitate sincera, Christo spiritualiter  
coniungi: sed nullam nobis coniunctionis ra-  
tionem secundum carnem esse, id profectò per-  
negamus, & à diuinis scripturis prorsus alie-  
num dicimus. Audi Paulum dicentem, quia  
vnū corpus sumus in Christo. An putant igno-  
tam nobis mysticę benedictionis virtutem ef-  
se, quæ cum in nobis sit, nōne corporaliter

Ioan. 6.

Vnio nostra  
cū Christo  
etiam cor-  
poralis

In Ioan.  
Cap. 15.



quoque facit communicatione carnis Christi  
 stum corporaliter in nobis habitare. Vnde cō-  
 siderandum est, non habitudine solū, quę per  
 charitatem intelligitur, Christum in nobis esse,  
 verū etiam participatione naturali. Hęc  
 Cyrillus Alexandrinus. Ex ea naturę vnione,  
 quę nobis cum Christo per manducationem  
 carnis eius intercedit, Hilarius libro octauo  
 De Trinitate, quasi ex principio certo & indu-  
 bio, filij cum patre vnitatē naturę contra Aria-  
 nos confirmat. Vt enim hęretici Sacramenta-  
 rij nostram cum Christo vnionem tantū se-  
 cundum fidem & animam statuunt: ita & illi  
 filium cum patre vnum tantum secundum vo-  
 luntatem esse dicebant. Ergo eos qui inter pa-  
 trem & filium voluntatis ingerunt *vnitatem*, in-  
 terrogo (inquit Hilarius) vtrū ne per naturę  
 bonitatem hodie Christus in nobis sit, an per  
 concordiam voluntatis. Si enim Verbum caro  
 factum est, & nos Verbum carnem cibo domi-  
 nico sumimus, quomodo non naturaliter ma-  
 nere in nobis Christus existimandus est, qui &  
 naturam carnis nostrę iam inseparabilem sibi  
 homo natus assumpsit, & naturam carnis suę  
 ad nostram, æternitatis sub sacramento nobis  
 comunicādę carnis admiscuit? Ita enim om-  
 nes vnum sumus, quia in Christo pater est, &  
 Christus in nobis est. Quisquis ergo naturali-  
 ter patrem in Christo negabit, neget prius na-  
 turaliter vel se in Christo, vel Christum sibi in-  
 esse, quia in Christo Pater, & Christus in no-  
 bis, vnum nos in iis esse faciunt. Si verè igitur  
 carnem

Hilarius.

Hęretici sa-  
 cramentarij  
 Arianisant

Iod. I.

eam nostrum corporis Christus assumpsit, &  
 verè homo ille, qui ex Maria natus fuit, Chri-  
 stus est, nosque verè sub mysterio carnem cor-  
 poris Christi sumimus: per hoc etiam vnum  
 erimus, quia Pater in eo est, & ille in nobis.  
 Quomodo ergo voluntatis vnitas asseritur,  
 cum naturalis per sacramentum proprietates,  
 perfectę sit sacramentum vnitatis? Hinc Da-  
 mascenus sacramentum Eucharistię, partici-  
 pationem & communionē dici cōcludit. Partici-  
 pationem dicitur (inquit) nā per ipsam oblatio-  
 nē Iesu diuinitatē participamus: dicitur com-  
 unio, & est re vera, quia communicamus per  
 ipsam Christo, & participamus eius carni &  
 diuinitati, & quia communicamus & vnimur  
 inuicem per illam. Nam quia ex vno pane par-  
 ticipamus omnes, vnum corpus Christi, &  
 vnus sanguis, & inuicem membra efficimur,  
 cum Christo cōcorporati simus. Eapropter e-  
 nim hoc mysteriū Christus instituit, ne quid de-  
 esset, quo ipsum nos redemisse, & sibi deo que  
 adiunxisse intelligeremus. Nam cum ipse sum-  
 mē bonus sit, omnia condidit, vt suam in illo  
 bonitatem influeret, cuique secundum gradus  
 suos: cum alia sint rationalia, alia rationis ex-  
 pertia, alia animalia tantū, alia etiam spiri-  
 tualia, alia verò spirituale tantū naturam  
 sortita sint. Ex his verò homo rationalis &  
 arbitrio liber factus, potestatem accepit in-  
 desinenter per propriam electionē vniri Deo,  
 si permanisset in bono, hoc est in creatis obe-  
 dientia. Posteaquā verò eius, qui illum fecit,

Lib. 4. De  
 fide orthod.  
 Cap. 14.Christus re-  
 dēptor utrā-  
 que partem  
 sibi vnissit.

præceptum transgressus est, & morti & corruptioni succubuit: factor & opifex generis nostri propter viscera misericordiæ suæ, similis nobis factus est per omnia, sed sine peccato, & naturæ nostræ vnitus: Quodq; nobis propriam imaginem & spiritum contulerat, quæ tamè minimè custodiimus, ipse pauperè nostram & imbecillè assumpsit naturam, vt nos purgaret, & incorruptibiles, rursusque diuinitatis suæ participes faceret. Atqui oportebat, non solum primitias nostræ naturæ in participationem venire melioris, sed & totum volentem hominem, & secunda natiuitate nasci, & nutriri cibo nouo, & natiuitati conuenienti, atq; ita præuenire mäsuram perfectionis. Per suam itaq; natiuitatem, id est, incarnationem, baptismam, passionem & resurrectionem, liberauit naturam à peccato primi parentis, à morte & corruptione: & resurrectionis primitiæ factus, viam formam & exemplum seipsum constituit, vt & nos eius vestigia sequentes, efficiamur adoptione, quod & ipse est natura, filij & hæredes Dei, & sui cohæredes. Et quia ipse spiritualis est, Adam, dicebat & natiuitatem spirituales esse similiter & cibum. Quodque duplices sumus, & compositi, partem fuit natiuitatem & cibum in duobus considerari. Natiuitas per aquam & spiritum donata est, cibis verò ipse est panis vnus, qui de cælo descendit. Et quemadmodum in baptisate, quia consuetudo hominibus est aqua lauari, & oleo ungi coniunxit oleo & aquæ gratiam Spiritus sancti, & fecit illud lauacrum re-

Rom. 8.

1. Co. 15.

Cibus noster  
in duobus.

generationis: hunc in modum, quia mos hominibus est panem manducare, & vinum & aquam bibere, σωζήσεται αὐτοῖς τὸ αὐτὸ θεότητα, ἢ πεποιήκεν αὐτὸ, σῶμα ἢ αἷμα αὐτῶ, ἵνα ἀπὸ τῆς σωζήσων ἢ χεῖ φύσιν, ἐν τοῖς ἕσπερ φύσιν γινώμεθα. id est, coniunxit his suam ipsius diuinitatem, & fecit hæc corpus & sanguinem suam, vt per assuetam, & quæ sunt secundum naturam, in eis quæ sunt supra naturam collocemur. Si enim quæ igne mediante aurum attingunt, ipsam auri naturam imbibisse videntur, & auream esse dicuntur, etsi prius ex sui natura ferum fuerint: quanto magis si Christi corpus māducauerimus, ipsi vniemur? Itaque sicut inter ramos nulla est naturæ coniunctio, nisi simul vni radici cohæreant: ita primùm necesse nos Christo coniungi, quàm inuicem communicemus. Multi quidem sumus, si personas spectes: sed quia Christo, non spiritu tantum, sed & carne vnimur, effecti vt diximus, os ex ossibus eius, & caro de carne eius, ideò per illam coniunctionem nos etiam inuicem communicamus. Quid enim si membrum à capite rescideris, nū ad corpus pertinere dicitur? Quid si à Christo disūgamur, num etiam ex illa sanctorum communionem rescindemur? Quid ergo Sathan per ministros suos Sacramentarios aliud nititur, dum nostræ cum Christo naturæ coniunctionem negant, quàm vt nos ab ipso Christo excludant? Siquidem, ne corporalem Christi carnis manducationem admittere cogantur, sed fantasticam tantum, quam spiritum


Ignis,

Radix.



tualem vocant, non carnis, sed nescio cuius rei manducationem astruant, nos tantum spiritu & fide vnire contendunt. Atqui plena est & integra totius hominis cum Christo vnio, vt & plenam & integram omnes inter se fideles habeant coniunctionem. Itaque cum constet quam perfecte Christo vniri debeamus, iam de membrorum adinuicem communionem dicamus.

*Quod communitio sit inter viuos, & beatos, & eos qui in Purgatorio sunt: ubi primum de communitioe viuos, & tandem de illa qua inter nos est, & eos qui sunt in Purgatorio: quodque illis proficit oblatio corporis Christi, orationes, & eleemosynæ, qua à viuis fiunt.*

 M ex his quæ dicta sunt, sanctorum communio inter eos tantum locum habeat, qui Christo coniuncti sunt: nunc quina illi, & in quot ordines distributi sunt, videamus. Hoc verò manifestum erit, si omnis Ecclesie Christi membra expendamus. Omne autem Ecclesiam cum Paulo & militante, & triumphante intelligimus, cum vtriusque Christus caput sit, & vtriusque suam aut gratiam aut gloriam influat. Itaque si militantem Ecclesiam consideremus, habemus viuos, id est, eos qui nondum mortui fuerint: si triumphante, habemus beatos illos qui gloria perfruuntur. Sunt autem, qui etsi nondum hanc felicitatem ingressi sint, ad eam tamen pertinent, vt qui in fide & pietate de-

cesserunt, & hanc requiem cum certa fiducia expectant. Hi autem omnes Christi membra *Qui sancti.* sunt, & sanctorum nomine intelliguntur. Quid mirum, cum Ecclesiam sanctam dixerimus? Hæc autem denominatio cum militanti Ecclesie conueniat, quomodo non & triumphanti, & iis qui etsi nondum, certo tamen se illam ingressuros confidunt? Sic enim Tobias: Filij (in- *Tob. 2.* quit) sanctorum sumus. Sic Paulus virginem *1. Cor. 7.* monet, vt sit sancta corpore & spiritu: Et omnibus fidelibus, Estis (inquit) ciues sanctorum, & domestici Dei. Et alibi, Induite vos sicut electi Dei & sancti. *Ephes. 2.*

Porrò mutua est bonorum omnium spiritualium communicatio & participatio inter militantis Ecclesie membra, cum mutuis orationibus eleemosynis, & meritis iuuemur. Nam Moysis oratione placatur Dominus, nec scruit in populum. *Militantis* Orante & illo in monte, & manus eleuate, fugatur Amalech, vincit autem populus Dei: cum *Ecclesie com-* que ira Domini in plebem grassaretur, accessit *munitio.* Aaron, cumque inter viuos & mortuos obtulisset, cessauit plaga. Auertit & Dauid suis precibus Angelum percussorem, cum multa iam hominum millia peste percussisset. Et ne diutius in veteris Testamenti exemplis hæreamus, ratio & fides propria quid non pro aliis apud Christum profuit? Credit, & orat Centurio, & sanatur puer eius: idem Chananæa pro filia, & ab ea dæmonium fugatur. Videns etiam Christus eorum fidem, qui paralyticum ei offerebant, illum integræ sanitati restituit.

Idcirco Iacobus, Orate pro inuicem (inquit) ut saluemini, quod & à Christo didicimus, cum oratione illa quã nos docuit, etiã fratres complectamur. Nec enim quasi pro singulis nobis dicimus, Panem meum da mihi, dimitte mihi: sed Panem nostrum quotidianũ da nobis hodie, & dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Idem etiam pro inimicis nostris nos orare docuit: quanto magis igitur pro amicis? Quantum autem poscit vnus viri sancti meritum pro impiis, aut aliis quibuscunque, ex iis quæ audiit Abraham: colligimus. Sic enim ille pro Sodoma & Gomorrha orabat: Nunquid perdes iustum cum impio? Si fuerint quinquaginta iusti in ciuitate, peribunt simul & non parces loco illi propter quinquaginta iustos, si fuerint in eo? Quid verò tum Dominus? Si inuenero in medio ciuitatis quinquaginta (inquit) dimittam omni loco propter eos. Cumque orationes multiplicaret Abraham, & iustorum numerum minueret, hoc etiam adiiciens, Quid si inuenti fuerint decem? Non delebo propter decem, inquit Dominus. Tantum momenti piorum merita apud eum habuissent, ut si tantum decem reperti fuissent, quinque etiam ciuitatibus parceret. Hoc etiam nouum Testamentũ in Paulo commendat. Cum enim ille Romam nauigaret, orta sæuissima tempestate, quicunque illum comitabatur, de salute desperabant. Ad verò ad eos Paulus, Nunc (inquit) vobis suadeo bono animo esse: amissio enim nullius

*Genes. 18.*

*Act. 17.*

animæ erit ex nobis, præterquam nauis. Astitit enim mihi hac nocte Angelus Dei, cuius sum ego, & cui deseruio: dicens, Ne timeas Paule, Cæsari te oportet assistere: & ecce donauit tibi Deus omnes animas eorum qui nauigant tecum. Si vnus Pauli merito ducentæ septuaginta sex animæ è naufragio ereptæ sunt. Qui verò cætera omnia pietatis officia in communem totius Christi corporis vtilitatem resultare negauerit? Quid enim non faciebat Iob pro filiis, ut eorum peccata expiaret, & Deum illis propitium redderet? Ibant filij eius, & faciebant conuiuia per domos, vnusquisque in die suo: cumque in orbem transissent dies conuiuij, mittebat ad eos Iob, & sanctificabat illos confurgensque diluculo, offerebat holocausta per singulos. Dicebat namque, Ne fortè peccauerint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus suis. Sic faciebat Iob cunctis diebus, sic pro filiis orabat, & sacrificia offerabat: nec dubium quin & eleemosynas erogaret, cum idem ipse de se dicat, Si comedi buccellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea. Quis verò orationum & eleemosynarum merita non miretur, si in Cornelij Centurionis historia sese exercent? Nec enim illum solum, sed & domesticos eius & amicos, non audiisset modo, sed & spiritus sancti gratiam accepisse legimus, tantam quidem, ut mirarentur ex circumcissione fideles, quòd & in nationes gratia Spiritus sancti effusa est. Audiebant enim illos loquentes linguis, & magnificentes

*Iob. 1.*

*Act. 10.*

Deum. Num verò tantam gratiam Centurionis pietas promeruit? Hic enim vir iustus & timens Deum, & testimonium habens ab uniuersa gente Iudæorum, faciens eleemosynas multas plebi, & deprecans Deum semper, vidit in visu manifestè Angelum Dei introeuntem ad se, & dicentem sibi, Corneli, orationes tuæ, & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam, in conspectu Dei. Nunc itaque mitte in Ioppen, & accerse Simonem, qui cognominatur Petrus: hic dicet tibi quid te oporteat facere. Tantum momenti eius pietas apud Deum habuit, ut & sibi & domesticis & amicis prodesset. Quid est verò quod Paulus dicit, Adimpleo quæ defunt passionibus Christi, pro corpore eius quod est Ecclesia: nisi communionem illam spiritualium bonorum in Ecclesia agnosceret, tantam quidem, ut quod pateretur, & piè ageret, in communem omnibus fructum redundaret? Nolim hoc argumentum pluribus aut rationibus, aut exemplis contexere, cum non nisi apud Witticlitas communitio illa inter viuos fideles ignoretur. Sunt verò qui negent, eos qui etiam in fide defuncti sunt, viuorum precibus & pietate iuari, cum tamè hoc ex sanctorum cõmunionem consequatur. Quid enim? An proinde illos, quia ex hac vita migrarunt, à Christi mystico corpore excludet? Quid ergo fides, qua insigniti sunt? quid spes indubia, in qua mortui sunt? Quid Ecclesiæ charitas cui sese inseruerunt? Nū melius Augustinus, qui libro vigesimo de ciui-

*mortui inuatur viuorum precibus.*

tate Dei, sic regnū sanctorum definit, ut nec ab eo animas fidelium defunctorum excludat? Neq; enim priorum animæ mortuorum separantur ab Ecclesia (inquit) quæ etiā nunc est regnū Christi. Alioquin nec ad altare Dei fieret eorum memoria, in cõmunionem corporis Christi, nec aliquid prodesset ad eius in periculis baptismū currere, ne sine illo finiatur hæc vita, nec ad reconciliationem, si fortè per pœnitentiam, malamue conscientiam quisque ab eodem corpore separatus est. Cur enim fiunt ista, nisi quia fideles, etiā defuncti, membra eius sunt? Et paulò post, Regnat itaque cum Christo nunc primùm Ecclesia in viuis & mortuis. Propterea enim (sicut dicit Apostolus) mortuus est Christus, ut & viuorum & mortuorum dominetur. Sed ideò Ioannes in Apocalypsi regnum Christi per mille annos explicans, tantummodò martyrum animas commemorauit, quia ipsi præcipuè regnant mortui, qui vsque ad mortem pro veritate certauerunt. Sed à parte totum, etiam cæteros mortuos intelligimus, pertinentes ad Ecclesiam, quæ est regnum Christi. Ex his Augustini verbis duo colliguntur: vnum quidem, quòd in Christo mortui, licet nondum sicut martyres gloria perfruantur, ad regnum Christi tamen pertineant: alterum est, quod per digniorem partem, Ecclesiam nimirum triumphantem, intelligantur. Ut autem ex his, quæ in Ecclesia receptissima sunt, id ipsum colligat, fit (inquit) ad altare Dei eorum memoria. Obiiter enim in Christi corporis oblatione, eorum

*August. lib. 20. De ciuit. Dei. cap. 9.*

*Rom. 14.*

*Apoc. 20.*

omnium memoriã fieri docet, quid ad Christi corpus mysticum pertinēt. Nec enim damnatorum, & eorum qui sunt extra spem, meminimus: sed memoria fit pro viuis, Regibus, Principibus, & cœteris, maximè fidelibus: fideles enim viui Christi membra sunt. Sed & meminimus beatorum Apostolorum, Martyrum, Prophetarum, & cœterorum sanctorum, quibus nos aliquando inseri postulamus: meminimus & eorum, qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis, vt ipsis & in omnibus in Christo quiescentibus requies æterna conferatur.

Io. 17.

*Qui ad  
Christi cor-  
pus perti-  
nent.*

*Mortui sen-  
tiunt quæ à  
viuis pro il-  
lis fiunt.*

*Athanas.  
Quest. 34.*

Quod sanè ab ipso Christo didicimus, vt qui inter tremenda Cœnæ mysteria, vbi Euangelicam exhortationem habuit, antequàm hymnũ caneret, & è domo patrisfamiliàs exiret, pro his omnibus orauit, quos ei pater dederat. Ego (ait) pro eis rogo, non pro mundo, sed pro his quos dedisti mihi, quia tui sunt. Et omnia mea sunt, & tua mea sunt, & glorificatus sum in illis. Num scilicet omnes illi, qui Christo dati sunt, ad eius corpus & Ecclesiam pertinent? Illi verò, an tantùm cùm hæc oraret, viui fuisse censendi sunt, & non etiam hac vita functi, Prophetæ, Patriarchæ, cœteri etiam illi, quos è captiuitate per mortem suam erepturus erat? Itaq; sicut tum ille in Cœna pro viuis & mortuis orabat, & illos sibi inseri precabatur, Vt sint (inquit) vnum sicut & nos sumus: sic quoque & illos ad se pertinere, & bonorum suorum participes fieri docebat. Quid mirũ, cùm

sit membrorum Ecclesiæ communio, nec in illa, vt dictum est, ab Ecclesia excludatur? Athanasius in libro Variarum quæstionum id confirmat. Primùm autem hanc quæstionem mouet, Num sentiant aliqua beneficia etiam peccatorum animæ, cùm super illis fiunt conuentus, bona opera & oblationes. Respondet autem, Si nullius beneficij participes fierent, non vtique eorum in cura & exequiis fieret commemoratio. Verùm sicut vitis, licet foris in agro florescat, odorem tamen eius sentit in vase vinum reclusum, sicque conflouescit etiam ipsum: ita intelligimus peccatorum animas participare aliqua beneficia ab incruenta immolatione & gratificatione pro ipsis facta: sicut solus ordinat & præcipit, qui viuorum & mortuorum potestatem habet Dominus Deus noster. Quis ergo eos longè positos à nobis causabitur, vt nec proinde aliquid à viuentibus auxiliij nancisci posse concludat? Sint licet in ea parte terræ, qua purgantur animæ, vt in superiora tandem loca cõuolare possint: quid faciet locorum distantia, cùm nec illa obsit, vt vinum florem vineæ, etiã cella profunda conclusum, non percipiat? Nec enim (vt scribit Chrysostomus) temerè ab Apostolis sancitum est, vt in tremèdis mysteriis, defunctorum agatur commemoratio: sciunt enim illis inde multum contingere lucrum, vtilitatem multam. Cùm enim totus constiterit populus, sacerdotalis plenitudo, & tremendum proponatur sacrificium, quomodo Deum non exorabimus, pro his de-

*Hom. 99.  
ad popul.*

precantes? Sed hoc quidem de his, qui cum fide migrarunt. Nam quare pro pace mundi que tranquillitate nos iussit orare? Quare pro omnibus hominibus, cum hinc ubique sint latrones, & fures, & sacrilegi, & infiniti pleni facinoribus: & tamen pro omnibus precamur, si forte eorum fiat aliqua mutatio. Sicut itaque pro uiuentibus precamur, qui nihil differunt a mortuis, ita & pro illis quoque licet orare. Et quidem hæc S. Chrysostomi ratio magnopere urget eos, qui preces mortuis profuturas negauerint. Nam cum spes orationis causa sit, quod exoratores esse contendamus eorum quæ requirimus: ubi quæso maior spes impetrandæ misericordiæ erit, seu quis pro adultero & misero peccatore, quem tamen nondum pœnitet, orauerit, aut pro eo, qui etsi peccauit, cum contritione & abiuratione priorum delictorum defunctus est, cum uterque eorum in Ecclesia sit, id est, nondum sit à Christi corpore exclusus? Si enim quis obiectarit hunc uiuū, illum defunctum: nihil ager, cum uterque Christo inferatur. Dicet verò illum, qui vita mortali functus est, extra meriti statum esse: ex quo efficiatur, ut nec fructum aliquem ab aliis percipiat. Huic autem hæcenus respondit Augustinus in libro, quem de cura pro mortuis agenda edidit: quoniã quodam vitæ genere acquiritur, dum in hoc corpore uiuitur, ut aliquid adiuuent ista defunctos: ac per hoc secundum ea quæ per corpus gesserunt, eis quæ post corpus religiose pro illis facta fuerint, adiuuatur.

Cap. I.

Sunt enim quos nihil omninò adiuuant ista: siue pro illis fiant, quorum tam mala sunt merita, ut neque talibus digni sint adiuuari: siue pro eis, quorum tam bona, ut neque talibus, indigeant adiuuamentis. Genere igitur vite, quod gessit quisque per corpus, efficitur ut profint vel non profint, quæcunque pro illo piè fiunt, cum reliquerit corpus. Nam meritorum, per quod ista profint, si nullum comparatum est in hac vita, frustra quæritur post hanc vitam. Itaque fit, ut neque inaniter Ecclesia, vel suorum curâ, pro defunctis, quod potuerit religionis impendat, & tamen ferat unusquisque, ut dicit Paulus, secundum ea quæ per corpus gessit, siue bonum, siue malum, reddente Domino unicuique secundum opera eius. Hoc etiam idem Augustinus in Enchiridio ad Laurentium confirmat, his verbis. Neque negandum est, defunctorum animas, pietate suorum uiuentium releuari, cum pro illis sacrificium mediatoris offertur, vel eleemosynæ in Ecclesia fiunt: sed eis hæc profint, qui cum uiueret, ut hæc sibi prodesse possent, meruerunt. Est enim quidam uiuendi modus, nec tam bonus, ut non requirat ista post mortem, nec tam malus, ut ei non profint ista post mortem. Est verò talis in bono, ut ista non requirat: & est rursus talis in malo, ut nec his valeat, cum hæc vita transferit, adiuuari. Non ergo ista, quæ pro defunctis fiunt, Apostolicæ sententiæ aduersantur, quæ dicit nos recepturos quæ in corpore gesserimus, cum ut ista prodesse, sibi prius dum in corpore es-

*Diluitur obiectio è P. 116 lo sumptis. I. Cor.*

Cap. 110.

*Unde pro-*  
*dit virtus*  
*eorum quæ*  
*pro defun-*  
*ctis sunt.*

sent, promeruerint. Quod ex eo manifestum  
 est: non enim omnibus profunt. Et quare non  
 omnibus profunt, nisi propter differentiam  
 vitæ, quam quisque gessit in corpore? Quine-  
 riam hoc attendi debet, quòd eorum omnium  
 quæ pro defunctis frequentat Ecclesia, virtus  
 è duobus proficiscitur: vtrumque autè in com-  
 munionem illa fundatur, quam per fidem agno-  
 scimus. Vnum est, communis omnium bono-  
 rum participatio inter eiusdè corporis mem-  
 bra, mutuam auxilium, mutua etiam condo-  
 lentia. Ex eo enim efficitur, vt cum illi etiam  
 nunc membra sint Ecclesie, nos quantum pos-  
 sumus, illos vt fratres, amicos & concorpo-  
 rales iuuare contendamus. Alioquin vbi har-  
 monia membrorum eiusdem corporis? Vt au-  
 tem id possimus, non modò id facit, quòd me-  
 ruerunt id pro eis impendi, dum viuerent: sed  
 & alterum, illudque primum nostræ commu-  
 nionis fundamentum Christus. Hic enim cum,  
 vt diximus, nos & illos connectat, in se etiam  
 recipit quod pro membris facimus, vt rursus  
 illud in ea diffundat. Sic caput quædam à mem-  
 bris accipit, quæ rursus etiam in ea influit. Et  
 licet è mari prodeant flumina, & in mare rela-  
 bantur, ita tamen vt quædam sit communica-  
 tio maris & fluminum, & flumina à mari acci-  
 piant, quod in illud refundant, & mare à flumi-  
 nibus, quod in illa remittat: quid autem hîc  
 mirum videri debet, si Christus à nobis acci-  
 piat quod effudit, vt rursus eadem sumens in  
 alios deriuat? Num illa legimus quæ dicturus

Math. 75.

est, Esuriui, & dedistis mihi inâducare? Et rur-  
 sus, Quicquid minimis meis fecistis, mihi feci-  
 stis? Et ille tamen operatus est omnia in nobis,  
 velle & perficere pro bona volûtate. Iam cum  
 ille bona omnia quæ facimus, siue in nostram,  
 seu communem aliorum salutem, suscipiat:  
 quid mirum si etiam qui defuncti sunt, illo-  
 rum fructum percipiant? Licet enim à nobis  
 disiungi videantur, non tamen disiuncti sunt à  
 Christo. Quomodo igitur nò ille in eos effun-  
 det, quod à nobis pietatis pro illis officio gra-  
 to animo accepit? Hoc etiam capitis in mēbra  
 conditio & affectus quadam velut necessitate  
 cōfirmat. Hæc enim eius lex est, vt viua mem-  
 bra semper dirigat, animet, viuificet, & suo in-  
 fluxu recreet. Iam cum illi viua sint Christi mē-  
 bra, ille sanè in eos influet. Viua autè illa mem-  
 bra esse, & fides in qua decesserunt, & contri-  
 tio, & priorum peccatorum detestatio, & fide-  
 lis diuinæ misericordiæ imploratio, & sacra-  
 mētorum insigne, satis ostendit. Nam mortua  
 membra cum è viuis rescinduntur, in gehen-  
 nam deiiciuntur, nec statum spei ingrediuntur.  
 De his enim dicitur, Sicut oues in inferno po-  
 siti sunt, mors depascet eos. Hæc est nimirum se-  
 cunda mors, de qua Psaltes. Quia nò infernus  
 confitebitur tibi, neque mors laudabit te, neq;  
 omnes qui descendunt in infernum. At illi &  
 agnoscunt Dominum, & sperant, & laudant eum,  
 cuius beatam participationem certa fiducia ex-  
 pectant. Quinetiam Dominus Abraham, Isaac  
 & Iacob, non mortuos, sed viuos censuit, et si



nondum beatam illam requiem ingressi essent. Porro quod membrum in corpore viuit, & à capite suo non abúdat? Iam si in defunctos influit Christus, híc requiro, quid influit? An gloriam? sed ea nõdum perfruuntur. An gratiam? Alterum enim eorum necesse est. Nam (vt dicit Psaltes) gratiam & gloriam dabit Dominus. Itaque illos extra statum gratiæ minimè putabimus, cum & in gratia decesserint, & vt diximus, sibi dum viuerent, gratiæ illius communicationem promeruerint. Quid itaq; mirum videri debet, si Christus à nobis piè pro defunctis oblata accipiens, fructum illorum suæ in eos gratiæ influxu deriuat, cum hoc vt caput agat, cuius in viua membra continuus est influxus? Eapropter scilicet ille, velut beneficentissimum caput, Martham & Mariam ad fidem prouocabat, vt cum credidissent, fructum fidei illarum in Lazarum defunctum refunderet. Nam & Mariæ, Nõnne (inquit) dixi tibi, quoniam si credideris, videbis gloriam Dei? Quæ autem illa erat gloria, nisi quòd Christus in illius suscitatione, vt Deus, operaturus erat? Recurrunt igitur hæc Christi verba ad hanc sententiam: Si credideris, ego fructum fidei tuæ in fratris defuncti suscitationem conuertam: Nam propter illam tuam fidem faciam ego, vt cum rediuuus è sepulchro prodierit, agnoscas quãta sit Dei potestas. Obiter interim eos de diuina virtute & maiestate dubitare docuit, qui nec credunt aliquid mortuis profuturum esse, quod à viuientium fide proficiscatur. Sum-

mana

nam autem eorum, quæ diximus de illa communionem, quæ nobis cum defunctis fidelibus intercedit, Ioãnes discipulus Domini dilectus in priore epistola complectitur, dicens: Hoc <sup>1. Ioan. 5.</sup> est testimonium, quoniam vitam æternam dedit nobis Deus, & hæc vita in filio eius est. Qui habet filium Dei, habet vitam: qui non habet filium Dei, vitam non habet. Hæc scribo vobis, vt sciatis quoniam vitam habetis æternam, qui credidit in nomine Filij Dei. Et, hæc est fiducia quam habemus ad Deum, quia quodcunque petierimus secundum voluntatem eius, audit nos. Scimus quoniam habemus petitiones, quas postulamus à Deo. Qui scit fratrem suum peccare peccatũ non ad mortem, petat, <sup>Quid est peccatum ad mortem.</sup> & dabitur ei vita peccanti peccatum non ad mortem. Est peccatum ad mortem? non pro illo dico vt roget quis: Omnis iniquitas peccatum est, & est peccatũ ad mortem. Scimus quia omnis, qui natus est ex Deo, non peccat (peccato ad mortem) sed generatio Dei conseruat eum, & malignus non tanget eum. Ex his audimus, vitam à Christo capite in membra influere, ex quo fiat, vt audacter ea, quæ ad salutem conduxerint, postulemus: nec tantum pro nobis, sed & pro fratribus oremus, & propter illam cõmunionem, quæ nobiscum est in Christo, id consequamur, quod & pro nobis & aliis postulauerimus. Nam si quis scit fratrem suum peccare peccatũ non ad mortem, petet, & dabitur ei: quoniã, vt in superiore libro diximus nondum per hoc peccatum à Christi corpore,

NN

Cyrrill. Ca-  
tech. 5.

Ioan. 11.

*Finalis im-  
pœnitentia  
peccatū est  
ad mortem.*

& sanctorum communione rescissus est. Licet  
verò nos Deus exaudiat, si quādo pro fratrum  
delictis orauerimus: non tamen pro his qui  
peccarint ad mortem, cū sese hoc peccato à  
Christi Ecclesia segregauerint. Nunc quoniam  
de defunctis fratribus quæstio est, num de his  
etiam qui mortui sunt, Ioannes differuit, cū  
eorum qui peccant, alios docuit peccare ad  
mortem, alios verò minimè? Quod enim est  
peccatum ad mortem, nisi finalis impœniten-  
tia, & mentis obduratio, in qua quosdam re-  
probos mori contingit? Quod enim est pecca-  
tū, vt dicturi sumus, quod non remittat Deus,  
si modò conteratur quis, & ad eum clamer, si  
effundat in conspectu eius orationem suam?  
Nōne nouit Dominus mutare sententiam, si  
mutauerimus vitam? Conuertimini ad me, &  
ego conuertar ad vos, dicit Dominus Deus no-  
ster. Quis verò quandiu uiuit, mutare senten-  
tiam non possit? Quis non sibi ipsi prospicere,  
& grauitatem tum patrorum delictorum,  
tum imminentium delictorū perpendere? ma-  
ximè cū Deus gratiam meminī deneget, sed  
eam vltro offerat, & sapius ad ostium cordis  
nostri pulset, vt ingrediatur ad nos, & spiri-  
tualis conuiuij delicias nobis communicet?  
Quod igitur peccatum ad mortē est, pro quo  
nemo orare debeat? Nam si impius, vt dicit per  
Ezechielem Dominus, ab impietate sua con-  
uertitur, & fecerit iudicium & iustitiam, nōne  
vita uiuet, & non morietur? In iustitia  
quam operatus est, uiuet: nec recordabitur

Dominus omnium iniquitatum eius. Potest  
ergo impius, infidelis, etiam Atheos, mutare  
vitam, & doctrinam. Num etiam nos pro pec-  
catoribus orare possumus, etiam si quouis gra-  
uissimo peccato offenderint? Oramus pro ca-  
lumniantibus & persequentibus nos: orat  
Christus pro se crucifigentibus, orat Stepha-  
nus pro iis qui in eum lapides coniciebant.  
Orat Ecclesia pro Turcis, Barbaris, infideli-  
bus: orabat Monica pro filio Augustino Ma-  
nichæo, vt aliquando resipisceret: nec fructu  
destituta est hæc oratio: Iam cū pro his om-  
nibus oretur, nec de eo qui quantumcunque  
peccet, omninò desperandum sit, quandiu hic  
uiuit, donec è vita migrauerit: quid aliud erit  
peccatum hoc ad mortem, pro quo minimè o-  
rare debeamus, nisi finalis impœnitentia? Sic  
enim resoluit Augustinus sermone vndecimo  
de verbis Domini, cū de blasphemix pecca-  
to, & verbo in Spiritum sanctum differit,  
quod nec in hoc seculo, nec in futuro remit-  
titur. Hæc impœnitentia (inquit) sic enim  
vno aliquo nomine possumus vtrumque ap-  
pellare, & blasphemiam, & verbum contra  
Spiritum sanctum, quod remissionem non ha-  
bet in æternum. Et alibi, Neque verò Paga-  
nis, nec Hebræis, nec hæreticis aut schismati-  
cis nondum baptisatis, ad baptismum Christi  
aditus clauditur, vbi condemnata vita priore  
in melius commutetur. Itaque cū impœni-  
tentia illa & finalis obduratio peccatum sint,  
pro quo nemo rogare debeat: quid est quod

*serm. xi. de  
verb. Do-  
mini.*

*Expos. in e-  
pist. ad Rō.*

Ioannes monet, orandum pro eo qui peccarit non ad mortem, & non pro eo qui ad mortem peccarit, nisi quòd vetat orare pro his qui defuncti sunt, in illa finali impœnitentia? monet verò pro his orare qui mortui sunt, non tamen in eo peccato, non in obduratione, sed contritione & abiuratione priorum delictorum? Eodem enim modo terminos teneri oportet, ut cum de statu moribundi differitur, in peccato ad mortem, etiam & de finali statu illius intelligat, qui peccatum non ad mortem peccauerit. Oratur pro vno, quia etsi peccauerit, non tamen ad mortem, id est, non perseueravit in proposito, non in obduratione decessit, sed lacrymas fudit, delictum agnouit, confessus est, & veræ pœnitentiæ fructus edidit: non autem pro altero oratur, ut quem nec peccatorum pœnituerit, nec finis proximus ad meliorem mentem reuocarit. Nec enim is qui sic peccat, ex Deo natus est (inquit Ioannes.) Non est iam ex Ecclesia, sed exiit quidem ex nobis, licet non esset ex nobis, ut de iis Christus ait, qui è suo consortio discesserunt. Itaque cum vnus, quamuis peccator, adhuc tamen Dei filius sit, & in vnitatem Ecclesiæ mortuus sit, pro illius peccatis orabitur: alterum autem ut prophenum, & ab Ecclesia longè rescissum omninò contemnet. Ex his efficitur, ut propter illam communionem, quæ fidelibus defunctis nobiscum est, non sine fructu oremus: quod & Ioannes asserit. Oret (inquit) & dabitur. Quid enim non apud Deum impetremus pro de-

functis, maximè si incruentum Christi sacrificium offeratur? Multas enim nobis Deus salutis vias contulit (inquit Chrysostomus) neque frustra oblationes pro defunctis fiunt, non frustra preces, non frustra eleemosynæ? Hæc omnia Spiritus disposuit, volens ut nos mutuam iuuenemus. Nec dubita, quia erit aliquis fructus. Non temerè Diaconus clamat, pro his qui defuncti sunt in Christo, & pro his qui illorum memoriam faciunt. Sicut enim quando Regum trophæa statuuntur, tunc dimittantur qui sunt in vinculis: ita sanè cum proposita fuerint tremenda mysteria, trophæorum & celebrandæ victoriæ tempus est, cum mortem Domini annuntiemus, donec veniat. Quomodo igitur non parum illa oblatio defunctis profit, quomodo non simul Ecclesiæ gemitus, & eleemosynæ?

*Hem. 21. in  
Act. Apo-  
stol.*

*Quæ sit nostra cum beatis communio, quòd norunt necessitates nostras, & nobis compatiuntur, neque tamen eorum felicitas minuitur, quòdque suis meritis & orationibus nos iuuent.*



V M ex his quæ dicta sunt, Ecclesiæ triumphantis caput sit Christus, illa verò in beatis reluceat: quicunq; illos nobis aliquo modo prodesse aut velle, aut posse negant, sanctorum etiam communionem reiciunt. Nec sanè illorum impietati fucum fa-

1. Cor. 12.

ciet, quod obiiciunt, illos in cœlo, nos in terra, illos beatos, nos adhuc miseros, illos in quiete, nos in labore, illos mortuos, nos viuos, illos Deo frui, nos peccatis distrahi. Hæc enim simul dissoluit Paulus, totius Ecclesiæ communionem explicans. *Sicut enim* (inquit) *corpus unum est, & membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt: ita & Christus. Etenim in uno spiritu omnes nos in unum corpus baptisati sumus, siue Iudæi, siue Gentiles, siue serui, siue liberi, & omnes in uno spiritu potati sumus. Nam & corpus non est unum membrum, sed multa. Iam cum & beati, & omnes qui in Ecclesia sunt fideles, vno baptisate loti fuerint, baptisma autem sit character membrorum Christi, quomodo non unum corpus nobiscum erunt? Quod autem disparem statum proferunt, quasi qui illos à nobis alienatos reddat, fallitur. Audiatur enim Paulus: Si dixerit pes quoniam non sum manus, non sum de corpore, ideò non est de corpore? Et si dixerit auris, quoniam non sum oculus, non sum de corpore, ideò non est de corpore? Neque potest dicere oculus manui, Opera tua non indigeo: aut iterum caput pedibus, Non estis mihi necessarij: sed multo magis quæ videntur membra corporis infirmiora esse, necessariora sunt, & quæ putamus ignobiliora membra esse corporis, his honorem abundantiorē circundamus: & quæ inhonesta sunt nostra, abundantiorē honestatem habent. Honestam autem nostram nullius egent: sed Deus temperauit*

*corpus, ei cui deerat, abundantiorē honorem tribuendo: ut non sic schisma in corpore, sed in id- ipsum proin-uicem sollicita sint membra. Et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra: siue gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra.*

Hanc Pauli similitudinem si attentius consideremus, num fatebimur eos, qui longè à nobis sanctos segregant, & communionem sanctorum subuertere, & schisma in corpore suscitare? Sic enim membra sunt in corpore, vt alia honestiora sint, alia minus honesta: alia alterius ope egeat, alia nullius. Sit etiam ista varietas inter electos Dei, & nos, vt illi nullo egeant, sed omnium bonorum plenitudine perfruantur, nos autem hic multis egeamus. An idè, quia illi nullius egent, egenis membris non succurrent? Vbi verò mutua membrorum sympathia, quàm vt in naturali, ita in mystico corpore requirit Paulus, vt si quid patitur unum membrum, compatiatur & omnia membra: si gloriatur unum, congaudeant & cœtera? Rectè enim duo hæc membrorum discrimina assignauit, ex quibus id quod quærimus, facile concludamus. Quæ enim membra melius gloriantur, quàm electi Dei, qui nunc beata requie donati sunt? Atqui vides etiam nos, licet in valle miseriarum simus, illis congaudere, cum solennes eorum memorias in Ecclesia agimus, cum festiuitates celebramus, cum eorum virtutes pro concione prædicamus, cum sanctam conuersionem & dignum vitæ exitum, & libris describimus, & legimus. Sic quã-

tum possumus, quantum patitur hoc tribulationum theatrum, exultamus, & eorum pietati & gloriæ applaudimus. Nec enim hîc Hagiomachorum rationē habemus, qui seipfos hoc maximè à Christi corpore rescissos docent, quòd nec sanctis congaudent, nec illorum memorias vlllo modo patiuntur. Itaque cum illis, qui in gloria sunt, Ecclesia Christi cōgaudeat, quomodo non & illi his qui in miseris sunt, compatiuntur? Æqua enim est; & reciproca vtriusque ratio: vt sicut congaudeamus illis, ita & illi compatiatur nobis. Alioquin vbi membrorum communio? vbi participatio? vbi harmonia? Num scilicet ægra membra à firmioribus iuuantur? Infirmum in fide assumite, inquit Paulus. Et rursus, factus sum infirmis infirmus. Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalifatur, & ego non vrer? Monet & Petrus eos, qui matrimonio iuncti sunt, vt infirmiori vasculo muliebri honorem impartiantur. Quomodo igitur non multo magis beati illi, qui perfecta charitate donantur, infirmiores nos oculo pietatis attendent?

Verùm fortè qui huic fidei aduersantur, contendunt fieri non posse, vt illi compatiantur nobis quòd nesciant necessitates nostras: alioquin si eas nossent, & nobis compaterentur, à sua fœlicitate deiicerētur. Vtrumq; igitur eludendum est. Primùm quidem, quid obest quin, etsi non propria cognitione, Dei tamen reuelatione, nostras necessitates intelligat? Hoc dico (inquit Augustinus) paucos esse huius animi

Rom. 14.

I. Cor. 9.

I. Pet. 3.

sancti sciunt  
necessitates  
nostras.

homines, qui post mortem suā, quid boni malive suis contingat, saltem dum viuunt, negligant. Hoc etiam Lazari & diuitis exēplo confirmat: quòd legamus Lazarum etiam in pœnis curam fratrum habuisse. Hoc si damnato contigit, quanto magis electo Dei conueniet? Quo magis enim membra viua sunt, eo & maiorem sensum habent eorū quæ reliquis membris accidunt. Tales autem sunt beati illi: quis ergo illos hæc omnia prorsus nescire dixerit, quæ nobis contingunt? At verò oculos non habent (inquit aliquis) quia nondum sua corpora per resurrectionem assumpserunt. Quasi verò ad illam cognitionem, quæ & per reuelationem, & in verbo fit, oculi carnis, & aurium auditus, ipsum etiam corpus necessarium sit. Si enim Helisæus Propheta puerum suum Giezi absens corpore vidit accipientem munera, quæ dedit ei Naaman Syrus, quem ille à lepræ deformitate mundauerat: & hoc tamen seruus nequam Domino suo non vidente, latenter se fecisse putauerat: quanto magis in illo etiam corpore spiritali videbunt sancti omnia (inquit Augustinus) non solùm si oculos claudat, verum etiam vnde sunt corpore absentes? Tūc enim perficietur illud quod ait Apostolus: Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus: cum autem venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est. Deinde vt quomodo posset, aliqua similitudine ostēderet, quantum ab illa quæ futura est, distet hæc vita, non qualiumcūque hominum, verum etiā qui præ-

Lib. de cur. &  
pro mortuis

1.

2.

3.

Lib. 22. De  
ciuit. Dei.

cap. 29.

4.

I. Cor. 13.

I. Reg. 5.

Illatio ne-  
cessaria à  
minori ad  
maius, ex  
ipso textu  
Apostoli.

5.

6.

cipua sanctitate sunt hinc præditi: Cùm essem (inquit) paruulus, loquebar vt paruulus, sapiebam vt paruulus, cogitabam vt paruulus: cùm autem factus sum vir, euacuauì quæ erant paruuli. Videmus nunc per speculum in ænigmatè, tunc autem facie ad faciem. Nunc scio ex parte: tunc autem cognoscam, sicut & cognurus sum. Si ergo in hac vita hominum mirabilium Prophetia ita comparanda est illi vitæ, quasi paruuli ad iuuenem: Vidit tamen Helisæus accipiẽtem munera seruum suum, vbi ipse nõ erat: Itane cùm venerit quod perfectum est, nec iam corpus corruptibile aggrauabit animam, nec incorruptibile obstabit, illi sancti ad ea quæ videnda sunt, oculis corporis indigebũt, quibus Helisæus absens ad seruũ suũ dum non indiguit? Ait enim. Nõne cor meũ tecum ibat, & noui quòd cõuersus est vir de curru suo obuiã tibi, & accepisti pecuniã? Corde suo ergo se dicit vidisse Propheta, adiuto quidẽ mirabiliter, nullo dubitante diuinitus. Sed quãto amplius tunc omnes munere isto abundabũt, cùm Deus erit omnia in omnibus? Facit enim diuinum speculum, vt non solùm quæ ante pedes sunt, sed & quæ futura sunt, & longè posita Prophetæ præuouerint: quid igitur nunc sancti, cùm Deo ipso nunc perfruantur, in quo relucet omnium rerum cognitio? Si enim in cœli rerumque creatarum facie, etiam, longè posita, non modò nos, sed & volucres, & boves, & permulta alia animalia, præfagire solẽt: quid non magis ( vt inquit Psaltes ) in lumine

Dei videbimus lumen? Nã cùm Scribæ & Pharisei signum à Christo de cœlo quærerent, ille tanto eos peiori ignorantia laborare docuit, quanto cùm ex astris tempora discernerẽt, sensibilia ramen, & in prospectu posita præsentis Messia signia, sanitates nimirum, & morborũ Math. 16. omnium carationes nõ aduerterent. Facto (inquit) vespere dicitis, Serenum erit: rubicũdum est enim cœlum. Et mane, Hodiẽ tempestas: rutilat enim triste cœlum. Faciẽ ergo cœli diuidicare nostis, signa autem temporum non potestis scire? Sed & impendentem pluuiam ipsa etiam bruta præsentunt, Vt

*cùm buccula cœlum*

*Suspiciens, patulis captauit naribus auras:  
Aut arguta Lacus circumuolutauit hirundo,  
Et veterem in limo rana cecinere querelam.*

Præfagiunt & serenitatem, vt

*cùm non ore solutos*

*Immundi meminere sues iactare maniplos.*

Id autem quomodo fiat, etiam è Poëta audire non ineptum erit.

*Namque ubi tempestas, & cœli mobilis humor  
Mutauere vias, & Iuppiter humidus austris  
Densat, erat quæ rara modò, & quæ densa relaxat,  
Vertuntur species animorum, & pectora motus  
Nunc alios, alios dum nubila ventus agebat,  
Concipiunt: hinc ille auium concentus in agris,  
Et læta pecudes, & ouantes gutture corui.*

Iã cùm relicta sit hæc in auibus & brutis præfagiorum ratio, ex ventorum & aëris varietate: cur non possint ex ipso creatore, quo fruuntur

Math. 16.

Virgil. lib. 1

Georg. &amp;

Aratus in

Apparen-  
tibus.

sancti, aliquid quod inter nos sit, discernere?

7. Quid dicam dæmones ex astrorum cursu, ex insitis etiam creaturæ argumentis, nonnunquā futura conicere, etsi tamen in cordis secreta penetrare non possint? Quomodo igitur omnia quæ hîc fiunt, beatos qui in cælo sunt, laterent, qui omnia videntem vident? Hoc Prudentius ex eo maximè confirmat, quòd

*Nil ferrugineum solidumve tuentibus obstat:*

8. Maximè cum illa cognitio interna sit in anima, quæ multo magis penetrat, quàm quævis oculorum acies. Quodque maximè Christianus, ipsis sancti Augustini temporibus floruerit, rationes eius, ut antiquissimi Patris, audiamus.

*In Hamartigenia.*

*Experto dubitas animas percurrere visu  
Abdita corporeis oculis? cum sæpè quietis  
Rore soporatis, cernat mens viua remotos  
Distantesque locos, aciem per rura, per astra,  
Per maria intendens: nec enim se segregat ipsa  
Ante obitum viuis ex artubus, aut fugit exul  
Sanguinis & carnis penetratis, sequè medullis  
Exiit, abducta in ve abigit de pectore vitam:  
Viscerea sed sede manens, speculatur acutis  
Omnia luminibus, & quæ circumtulit acrens  
Naturæ leuis intuitum, nullo obice rerum  
Disclusa, ante oculos subiectum prospicit orbem,  
Atque orbis sub mole situm sordens elementum:  
Obiacet interea tellus, nec visibus obstat.  
Quin si stelligerum vultum conuertat ad axem,  
Nil intercurrentes obtutibus impedit ignem  
Peruigilis anima, quamuis densata grauentur*

*Nubila, & opposito nigrescat vellere cælum.  
Sic arcana videt tacitis cooperta figuris  
Corporeus Ioannes adhuc, nec carne solutus:  
Munere sed somni paulisper carne sequestra  
Liber ad intuitum sensuque oculisque peragrans  
Ordine dispositos venturis solibus annos,  
Procinctum videt Angelicum.*

*Apoc. 1.*

Ex his concludit non beatos solum nostrum, sed & damnatos, & defunctorum aliorum statum agnoscere: quod diuitis epulonis, cuius modo meminimus, & Lazari statuit exemplo. Sic autem à minori ad maius ex his quæ de Ioanne dicta sunt, procedit.

*Hæc ille ante obitum membrorum corpore septus  
Secedente anima, non discedente, videbat.*

*Nonne magis flatus sine corpore cuncta notabit,  
Corporis inuolucris tumulto frigente repostis?  
Certa fides rabidos sub tetra nocte caminos,  
Qui pellutam animam per secula longa, perenni  
Igne coquunt, oculis longum per inane remotis  
Pauperis expositos: nec secius aurea dena  
Iustorum dirimente Chao, rutilasque coronas  
Eminus ostendit pœnarum carcere mersis.  
Hinc Paradisicola post ulcera dira beato  
Proditur infelix ululans in peste reatus  
Spiritus, inque vicem, meritorum mutua cernunt.*

*Luc. 16.*

Hoc Gregorius Nyssenus in Theodoro martyre cognouit. Etiam si superasti seculum (inquit) nosti tamen affectus & usus, necessitatesque humanæ conditionis. Pete itaque pacem, ut hi publici conuentus non desinant: ne debacchetur aduersus templa aut altaria rabiosus & sceleratus bar-

barus, ne conculcet sancta profanus & impius. Itaque sicut membra sensum habent eiusdem corporis affectarum partium, ita sancti etiam in cœlo, quibus indigeamus, & quibus abundemus, Dei reuelatione cognoscunt.

2. Aliud verò secundo loco argumentum occurrit. Dixerit enim Hagiomachus, sanctorum *Cōpassio in sanctis non minuit eorū beatitudinē* fœlicitatem minui, si nostras necessitates noverint, & nobis cōpatiantur. Verùm hoc fortè locum in iis haberet, qui perturbationibus sunt obnoxij. At verò compassio non semper perturbatio est: quin potius ad charitatis & naturæ ipsius integræ regulam dirigitur. Quòd autem secundum veram charitatem, & perfectam naturam est, tanto abest, ut à Deo distrahat, quin potius in ipsū nos magis erigit: cùm Deus ipse charitas sit, & perfecta natura ad ipsum accedat. Si enim quod secundum charitatem & naturam perfectam dirigitur, à Deo distraheret, quid quæso naturæ integræ, quid etiã charitatis beatis superesset? Nunquid beatitudo naturam & charitatem destruit, cùm ipsa vtriusque perfectio sit? Hoc cùm minimè in dubium reuocari debeat, requirendum erit, num etiam cōpassio ad vtriusque naturæ scilicet & charitatis perfectionē accedat. Hoc verò neque minus clarum est, quàm quod diximus. Quid enim est aliud compassio, quàm naturæ vinculum? quàm ipsa membrorum inter se charitas? Quid aliud membra mēbris compati, quàm ipsa nervis colligari? quàm natura duce sese diligere, & alterutrius damnum ab-

horrere? Vbi enim charitas, si compassio tollitur? Vbi membrorum coniunctio, nisi id quod sanum est, afflictio cōpatiat? Itaque cùm stet in beatis natura & charitas perfectio, manet etiam compassio.

2. Immò qui sese ad perfectionis regulam composuerunt, magno affectu languentibus compassi sunt: ut iuxta Pauli doctrinã flerent cum flentibus, gauderent cum gaudentibus. Neque sanè hoc Paulus suaderet, si sympathia illa nos à Deo distraheret.

3. Iam si in nobis, qui tot tentationibus ventiamur compassio non efficit, ut à Deo distrahamur, immò nos tanto magis Deo coniungit, quanto ad charitatem accedimus: quis illam his aliquid detrimenti adferre putarit, qui in portu sunt, & ab omni perturbatione semoti?

4. Denique quis non fateatur, capitis esse condolere membris, sicut & illis prospicere? Hoc scilicet & in Christo capite nostro ex ipsius verbis animaduertimus. Quid enim est quod ait, Sitiui, nudus, infirmus, & peregrinus, fui, nisi quia sitientibus, nudis, infirmis, & peregrinis cōpatitur? Quid quod Paulo dicebat, Saule, Saule, cur me persequeris, nisi quòd afflictis compatiebatur? Quod vni ex minimis meis fecistis (inquit) mihi fecistis. Ergo per sympathiam in membris sitit, & esurit. Ideòne verò ab illa gloria, quam super omnes assecutus est, distrahitur? An ideò beatus non est, quia compassionis in suos affectu ducitur?

5. Sed & Angelos legimus exultare, & nobi-



INC. 15.

scum dolere: quod sanè seposita compassione complecti non possumus. Angeli pacis amarè flebunt, inquit. Cumque Christus terrorem iudicij exprimeret, Virtutes cœlorum mouebuntur, ait. Ipso etiã teste exultant super vno peccatore pœnitentiam agente. An verò quia id eis contigit, à Deo & beatitudine excluduntur?

6. *Apoc. 19.* Adde quòd sancti sequuntur & imitantur agnum, seque ad instar capitis componunt. Cur non ergo simul cum Christo nobis cõpatiantur, nec alioquin vnus esse corporis, & vni nobiscum capiti subiici possint?

3. *Sancti nos etiã iuuant.* Neque verò perfecta sanctorum communio in hoc tantum consistit, vt inuicem cõpatiantur, aut congaudeant, sed & vt infirmioribus auxilientur. Apta quidem istud similitudine Basilius demonstrat. Nam quemadmodum Deus promiscuè lucem omnibus impartitur, sic imitatores Dei charitatis ipsorum radium omnibus communicare debent. Quandoquidem vbi deliquium patitur charitas, eo prorsus loco odium succedit. Quòd si (vt Ioannes dicit) Deus charitas est, necesse est omninò diabolum odium esse. Iam cum sancti in Deo maneant, manifestum est etiam quòd in charitate manent: Cumque charitas sit velut sol lumen in terram effundens, & omnibus beneficus: quomodo non illi in nos suæ beneficentiæ radios emittunt?

2. *Bas. Serm. de iustit. monach.* Denique charitas non est otiosa, nec quærit quæ sua sunt, vt scribit Paulus. Non tam ergo  
sue

que felicitati prospiciunt, quin etiam quantum possint, languentibus membris, quæ ad salutem sunt procurent.

Itaque congaudemus nos illorum fœlicitati vt & illi nostræ cõpatiantur miseræ, sitque inter nos illa communio, quam in sanctis esse profitemur. Hoc Augustinus libro vigesimo *Cap. 21.* contra Faustum Manichæum docet. Populus enim Christianus memorias martyrum religiosa solennitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & vt meritis eorum cõficietur, & orationibus adiuuetur. Idè etiam sermone primo in Vigiliã Pentecostes, sic cõmunionè nostrã ad factos qui ex hac vita decesserunt, refert, vt nos quidem illos imitari, illi verò nos suis orationibus iuuare debeant. Debent enim (inquit) aliquid in nobis recognoscere de suis virtutibus, vt p nobis dignentur supplicare. Magnus scilicet ille charorum numerus nos expectat, parentum, fratrum, filiorum frequēs nos & copiosa turba desiderat, iã de sua incolumitate secura, adhuc de nostra salute sollicita. Ad eorum cõplexum & cõspectum venire, quanta illis & nobis in commune lætitia est. Illic gloriosus Apostolorum chorus, illic Prophetarum exultantium numerus insignis, illic candidatus martyrum exercitus, illic omnes electi Dei, qui beata visione perfruuntur, tanto nostram salutem desiderant, quanto in omnium membrorum cõmuni integritate maior est exultatio. Communicantur & nobis illorum merita, in quibus etiam indulgentiarum thesaurus atteditur. Quæ

quoniam prolixiora sunt, quàm ut hoc libro comprehendatur, ad alium Tractatum remittimus, quem diuinæ gratiæ innixi meditamur.

*De remissione peccatorum: Vbi de peccato originali à quo purgamur per baptisma, & de actuali cōtracto à baptisatis, à quo eluimur per pœnitentiam: quòd remittere peccatum non tantum est non imputare. De sacramento baptismi & pœnitentiæ.*



**V**i edificium extruit, lapides seligit, excindit, politos erigit, nectit, & sic demùm coagmentat, ut solum rectum superfit. Ita quidem Salomon, cum extructione répli moliretur, habebat in montibus, qui grandes lapides pretiosos in fundamentum templi tollerent, & quadrarent eos, quos demùm cæmētarij dolabant: cumq; ædificaretur lapidibus dolatis atq; perfectis, malleus & securis, & omne ferramentum, nō sunt audita in domo Domini. Iam cum Ecclesia sit templum Dei viui, nos tanquam lapides viui superædificamur fundamento Apostolorum & Prophetarum. Prius autem ante mundi constitutionem eligimur, è mundo excindimur, quadrati, dolati, & politi reddimur, cum nobis per sacramentorum administrationem peccata remittuntur. Ergo cum Deum mundi opificem, cum Iesum Salvatorem, & Spiritum sanctum directorem agnouerimus, etiam & Ecclesiam, & membrorum Ecclesiæ communionē confessi fuerimus, nunc docemur quo-

3. Reg. 6.

modo nos in Ecclesiam adducamur, & mystico Christi corpori inferamur. Ut enim membra Christi, membra meretricis effici non debent: ita quomodo nos, qui ante spiritualem regenerationem eramus filij iræ, sicut & cœteri, in illud corpus concurrere potuimus, nisi purgaremur, & à prioribus delictis emundaremur? Demùm si quis suscepto baptisate, rursus sese concupiscētiis inuoluat, & indignū se Christiano nomine exhibeat, quomodo nō alia purgatione ei opus erit, ut tandē cōtracta peccata eluantur, ut à Christo capite spirituales gratiæ thesauros accipiat? Hoc ergo nos agnoscimus, cum Apostolico fidei symbolo profiteamur *Remissionem peccatorum*. Licet autem & peccatorum varietatem, sacramenta eorum virtutem, clauium etiā autoritatē hic articulus implicet, illa tamē melius ad peculiarē locū remittētur, ne fortè prolixior symboli interpretatio alicui redium adferat. Hoc verò satis fuerit lectorem monuisse, ne fortè omissionis peccatum incurrisse videar. Interim tamen etiam hīc aliquid dicendum est, ut cuique satisfaciam. Itaque cum fatemur remissionem peccatorum, duo maximè attendimus, nostrā nimirum miseriam, & diuinam misericordiam. Et quidem magna est nostra miseria, qui tot peccatis inuoluamur: ut etiam in peccatis concipiamur, nascamur, & educemur. Est enim aliud peccatum originale, quod ex parentibus traduximus: & est actuale, quod tandem nati commisimus, sic (ut docet Psaltes) inquinatæ sunt viæ

*De peccato originali.*

*Psal. 10.* hominis in omni tempore. Et alibi, *Corrupti*  
*Psal. 14.* sunt, & abominabiles facti sunt in studiis suis.  
 Non est qui faciat bonum. Omnes declina-  
 uerunt, simul inutiles facti sunt: non est qui  
 faciat bonum, non usque ad vnum. Quod au-  
 tem in peccato concipiamur & nascamur, fre-  
 quentibus locis testantur scripturæ. Nam (vt  
*Iob. 15.* apud Iob legimus) quis est homo, vt immacu-  
 latus sit, & vt istus appareat, natus de mulie-  
 re? Ecce inter sanctos eius nemo immutabilis,  
 & cœli non sunt mūdi in cōspectu eius. Quan-  
 to magis abominabilis & inutilis homo, qui  
*Iob. 14.* bibit quasi aquam iniquitatem? Et alibi, Quis  
 potest facere mundum de immundo conce-  
 ptum semine? Nonne tu qui solus es? Proce-  
 dit autem hoc peccatum ab illa primorum pa-  
 rentum transgressione, qua & se & nos iusti-  
 tia prima destituerunt, & peccato deuinxerūt.  
*ff. De stat. hom. l. Et seruorum.* Nec queri debet, potuerintne parentes, cum &  
 ipsi primū liberi essēt, seruituri filios addice-  
 re. Ingenui enim sunt, qui ex matre libera nati  
 sunt, vt ait Martianus, sufficit enim liberam  
 fuisse matrem eo tempore, aut quo concipi-  
 tur, aut nascitur. Si verò tandem, quæ prius  
 erat ingenua, aut delicto, aut bello in serui-  
 tutem redigatur, & serua concipiat & pariat:  
 id quod peperit, seruum esse censebitur. Par-  
 tus enim sequitur vterum. Et quidem inge-  
 nui creati sunt primi parentes, qui si eo in  
 statu peperissent, ingenuos etiam liberos ha-  
 buissent. At quoniam non antè concepit Eua,  
 quàm se suo peccato seruituri mancipasset,

idemque etiam seruitutis & calamitatis ge-  
 nus Adamus omnium nostrum pater incur-  
 risset: idè non ingenui, sed serui nascimur: ser-  
 ui inquam peccati, ea nimirum seruitute, cui se  
 primi nostri parentes addixerunt. Et hoc qui-  
 dem apud *Esdram* sic legimus. Quoniam gra-  
 men seminis mali seminatum est in corde A-  
 dam ab initio, & quantum impietatis genera-  
 uit usque nunc, & generat usque cum veniat  
 area? *Estima autem apud te gramen mali semi-*  
*nis, quantum fructum impietatis generauit: &*  
*quando secatæ fuerint spicæ, quarum magnus*  
*est numerus, quàm magnam aream incipient fa-*  
*cere? Seminatū est autem semen malum in*  
*corde Adami: id est, suggestio peccati ab eo o-*  
*blata est, quem Christus hominem inimicum*  
*vocat, qui & superfeminauit zizania in medio*  
*tritici. Inuidia enim eius mors orbem terrarum*  
*ingressa est. Hoc autem semen in se per cōsen-*  
*sum excepit Adamus: quo factum est, vt tan-*  
*dem in filiis germinarit, & pullulauerit. Inde*  
*David, Ecce (inquit) in iniquitatibus cōceptus*  
*sum, & in peccatis concepit me mater mea. Et*  
*Dominus apud Esaiam, Transgressorem ex vte-*  
*ro vocauit te. Nos etiam alibi semen mendax*  
*vocat, vt qui ab ipsa conceptione peccatum*  
*imbibimus.*

Porro originale peccatum duo summa ma-  
 la includit, defectum iustitiæ originalis, &  
 corruptionem naturæ. Fecerat enim Deus ho-  
 minem rectum, & suarum affectionum Domi-  
 num: sed statim atque præcepti facta est trans-

gressio, sensit motum inobedientem carnis sue  
*Aug. lib. 14* (inquit Augustinus) tanquam reciprocam pœ-  
*de civi. Dei* nam inobediētiae suae. Erat enim originalis iu-  
*Cap. 17.* stitia, animæ & corporis tanta puritas, vt nec  
 turbulentus concupiscentiæ motus spiritū im-  
 peteret: sic autē quieta essent omnia, vt facile  
 sese Dei obsequio subiicere. Quis autē nō sta-  
 tim ab ipsis etiam crepundiis insitā nobis ma-  
 litiam & repugnantiam perspiciat, in obstina-  
 to infantium clamore, nescio qua importuni-  
 tate, qua etiā nutrices auersari vidētur, etiam si  
 nec adhuc balbutire possint? Hoc autem pec-  
 catum fons est cœterorum omnium. Hinc sen-  
 sus & cogitatio humani cordis prona est ad  
*Genes. 8.* malum ab adolescentia sua, inquit Dominus.  
*Rom. 7.* Sed & Paulus, Scio quia non habiter in me, id  
 est, in carne mea, bonum. Prauum enim est cor  
 2. hominis, quis cognoscet illud? Hinc illæ nostri  
 generis maledictiones, Vt in sudore vultus no-  
 stri vescamur pane nostro: maledicatur terra in  
 opere nostro, quæ etsi quiuis labor noster præ-  
 cesserit, spinas & tribulos aliquādo germinat.  
 3. Hinc infirmitates, ærumnæ: hinc multi sres in  
 dolore pariunt filios suos. Sed & omnium ter-  
 ribiliū maximè terribile mors est, his saltē qui  
 mūdo addicti sūt. Illa verò stipēdiū est peccati.  
 Itaque nos, qui per Christum redemptionem, & totius hominis reparationem agnosci-  
 mus, illū & originali, & actuali peccato reme-  
 dia contulisse protestamur, cum credimus re-  
 missionē peccatorū. Quid enim est peccatorū  
 remissio, nisi illorū dilutio, & expurgatio? At-

Quid pecca-  
 torū remis-  
 sio.

qui lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo:  
 mundauit Ecclesiam lauacro aque in verbo vi-  
 tæ. Nec enim peccata remittere hoc tantum  
 est, vt alicui non imputentur peccata, sed vt  
 omninò diluantur. Esaias enim ait, Si fuerint  
 peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealba-  
 buntur: etsi fuerint rubra quasi vermiculus, ve-  
 lut lauta alba erūt. Et Dauid, Asperges me Do-  
 mine hyssopo, & emundabor: lauabis me, &  
 super niuem dealbabor. Cū enim Christus  
 totum hominem sanum faciat in Sabbatho,  
 quis nō remissionem peccatorum absolutam  
 esse fateatur? Porro variis loquendi modis re-  
 missio illa exprimitur. Modò enim propitiatio  
 est, vt apud Psaltem: Impietatibus nostris tu  
 propitiaberis. Et rursus, Quia apud te propi-  
 tiatio est. Et alibi, Propitius esto peccatis no-  
 stris propter nomen tuum. Et Publicanus in  
 Euangelio, Deus propitius esto mihi peccato-  
 ri. Modò irremiscentia, vt apud Tobiam,  
 Non reminiscaris peccatorum meorū: & Hie-  
 remiam, Peccati eorum non recordabor: & a-  
 pud Ezechielem, Si impius egerit pœnitētiā  
 ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, &  
 custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iu-  
 dicium & iustitiam, vita viuet, & non morie-  
 tur. Omnium iniquitatum quas operatus est,  
 non recordabor. Sed & deleri peccata dicun-  
 tur, cum remittuntur. Quod & orat Psaltes,  
 Auerte faciem tuam à peccatis meis, & omnes  
 iniquitates meas dele. Et apud Esaiam, Deleui  
 vt nubem iniquitates tuas. Quod & usurpat  
 Col. 2.

*Esai. 1.*

1.

*Propitiari.*  
*Psal. 65.*

2.

*Luc. 16.*  
*Non recor-*  
*dari.*

*Tob. 3.*

*Ezech. 18.*

3.

*Delere pec-*  
*cata.*  
*psal. 50.*  
*Col. 2.*

Paulus, ad Colossenses scribens: Et vos cum mortui essetis in delictis, & præputio carnis vestræ, conuiuificauit cum illo, donans vobis omnia delicta: delens quod aduersum nos erat, chirographum decreti quod erat contrarium nobis: & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci: & expolians principatus & potestates, traduxit confidenter palam, triumphans illos in semetipso. Idè etiam redemptor dicitur, vt qui persoluendo quod non rapuerat, è seruitute peccati nos in libertatem gratiæ vendicauit. Sic enim Psalter prædixerat, Ipse redimet Israël ex omnibus iniquitatibus eius. Et alibi, Deus excelsus redemptor eorum. Sic etiam Esaias, Qui liberati fuerint, ac redempti à Domino, conuententur. Quod & Paulus in Christo agnouit. Apparuit (inquit) gratia Saluatoris nostri Dei omnibus hominibus, &c. qui dedit semetipsum, vt redimeret nos ab omni iniquitate, & emundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. Quid autem est Propitiari peccatis, nisi his remissis homini reconciliari? Hoc autem nobis per Christum confertur. Nam cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per sanguinem filij eius. Sed & (vt scribit alibi Paulus) dedit nobis ministerium reconciliationis, cum ad hoc Esaiæ ministros instituerit, non modò vt remissionem peccatorum in Christo prædicent, sed & vt illam, velut ipsius ministri, exhibeant. Quid est verò Non recordari, & delere peccata, nisi in tantam iustitiam hominem restituere,

4.  
*Redimere.**Psal. 78.**Esai 35.**Tit. 2.**Rom. 5.**2. Cor. 5.*

vt priora delicta omninò non appareant? Hoc Paulus vitam vocat. Cum enim (inquit) mortui essetis in delictis, conuiuificauit cum illo. Ad hanc igitur peccatorum remissionem hæc omnia concurrunt: Propitiatur Deus, non recordatur peccatorum, illa delet, quinetiam nos Christus redimit. Sic enim Paulus, Eripuit *Col. 1.* nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ, per quem habemus redemptionem, per sanguinem eius, remissionem peccatorum. Et quomodo ille verus Iesus & Saluator esset, & verè saluum fecisset populum suum à peccatis eorum, nisi vera etiam per illum esset remissio? Hic est ergo fructus fidei nostræ, fructus aduentus Christi: *Matth. 2.* hic est fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quia Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere. Itaque (vt scribit Maximus martyr) Credenda est, fratres, peccatorum remissio: quia hoc vnum est remediū, *Homil. de Symb.* quod hominū genus à sententiā perpetuæ mortis absoluit. Idcirco vnigenitus altissimi sumere dignatus est carnem, idcirco subiit crucem, vt te qui peccata tua & crimina euadere non poteras, indulgentia faceret innocentem. Idè immaculatus agnus occisus est, vt eius cruore humani generis macula tergeretur. Videte, fratres, profunditatem mysterij, videte altitudinem sacramenti: vbi mors reddidit vitam, & peccantium sordes sanguine innocentis ablutæ sunt. In eum finem, quicquid hinc Christus egit, dirigitur. Eapropter cum Paralyticum sa-

*Col. 1.**Matth. 2.**1. Tim. 1.**Homil. de**Symb.*

naret, ait: Remittuntur tibi peccata tua. Quodque in illo verbo hærere quosdam prospiceret, è sensibili corporis sanitate internam animæ curationem designabat, dicens; Quid facilius est dicere, Dimittuntur tibi peccata tua, an Surge & ambula? Ideò statim atque iussit Paralyticum surgere & ambulare, protinus etiam & illud successit. Ideò denique de peccatrice ait, Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum.

*Remissio peccatorum duo sacramenta includit.*

In hac remissione peccatorum, duo maximè sacramenta fundantur, Baptisma scilicet, & Pœnitentia. Neutrum verò extra Ecclesiam valet ad salutem, cum neutrum valeat ad remissionem. Ideò quidem vna Ecclesia sancta, vna sanctorum communio præmissa, vt quid in illa vnitate consequamur, intelligeremus. Hoc Augustinus sermone vndecimo de verbis Domini docuit his verbis: Remissio peccatorum, quoniam non datur nisi in spiritu sancto, in Ecclesia tantummodò dari potest, quæ habet Spiritum sanctum. Hoc enim fit remissione peccatorum, ne princeps peccati spiritus, qui in seipsum diuisus est, regnet in nobis: vt eruti à potestate spiritus immundi, templum deinceps efficiamur Spiritus sancti. Docet deum omne peccatum remitti, sed illi (inquit) qui peccato ignorantia suæ contumacia, vel cuiuscunque blasphemia, non addidit peccatum impœnitentia, contra donum Dei, & gratiam regenerationis, vel reconciliationis, quæ per Spiritum sanctum fit in Ecclesia. Et hoc

quidem ex ipso etiam Augustino ostendimus in superioribus, totum extra Ecclesiam fieri posse, præter salutem.

Cœterum quòd baptisma fit in remissionem peccatorum, ipsum etiam nominis etymon demonstrat. Baptisma enim lotionem designat, non quæ carnis sordium fit (inquit) sed conscientia bonæ interrogatio. Nam (vt Tertullianus) in libro de resurrectione differit, caro tingitur, vt & anima sanctificetur. Differt autem illud ab antiquis legis asperionibus & baptismatibus, sola remissione peccatorum, quoniam illa perfectos credentes reddere non poterant. Differt à baptisate Ioannis, quòd etsi illud viam Christo præministraret, hic verò baptisaret in pœnitentiam, ita tamen vt remissionem non conferret, sed ad remissionem præpararet. Sic enim baptismum pœnitentia in remissionem peccatorum vocabatur: quòd pœnitentia illa ad Christum, & perinde Iudæos ad remissionem peccatorum deduceret, quam ille nobis per suum baptisma conferret. Ideò Ioannes ad eum retulit, Baptisma spiritus, & ignis: & addidit, Cuius ventilabrum in manu eius, & permundabit aream suam. Hinc enim Paulus Baptisma vocat lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti? Qua enim virtute illud remissionem peccatorum conferret? An hoc habet aqua, vt animas penetret & purificet? Minimè sanè: sed ei secreta quædam Spiritus sancti virtus inest, quæ propter Christi meritum operatur. Nimirum (vt scribit

*Tertull. de baptismat.*

*Luc. 3.*

*Marc. 1.*

*Matth. 3.*

*Tit. 3.*

*Cyrrill. ca-  
tech. 3. Cy-  
rill. Alex. l.  
2. in Ioann.  
cap. 42.*

*Serm. 4. de  
natiuitate.*

*Hier. 33.  
Zach. 13.  
Esa. 52.*

Cyrrillus Hierosolymitanus & Alexandrinus) cum non simplex sit homo, sed compositus ex corpore sensibili, & intellectuali anima, duplici quodam ad regenerationem indiget modo, qui duplicitate sua ad vtrumque possit accommodari. Spiritu sancto enim spiritus hominis, aqua verò corpus hominis sanctificatur. Quemadmodum enim viribus ignis intensius aqua calefacta, non aliter quàm ignis vrit: sic Spiritus sancti operatione aqua ad diuinam virtutem reformatur, qua baptisati corpus abstergunt. Et vt baptisma nobis à Christi in carnem aduentu profluxisse audiamus, Leo Martyr & Pontifex huius virtutem à Christi generatione carnali requirit. Terra (inquit) carnis humanæ quæ in primo parente fuerat maledicta, in solo virginis partu germen edidit benedictum, & à vitio suæ stirpis alienum: cuius originem spirituales in regeneratione quisque consequitur, & omni homini renascenti aqua baptismatis est instar virginalis vteri, eodem Spiritu sancto replente fontem, qui repleuit & virginem: vt peccatū quod ibi vacuauit sacra conceptio, hinc mystica tollat ablutio. De hac & regeneratione & ablutione sic legimus apud Hieremiã, Emundabo illos ab omni iniquitate. Apud Zachariã, Erit fons patens domui David, in ablutionem peccatoris & menstruatæ: Apud Esaiam, Iste asperget Gentes multas. Cæterum etsi per baptismum eluantur omnia præcedentia peccata, fit tamen vt rursus fideles cadant: idque quod & tentationes

suppetant, & adhuc in illis abundet infirmitas. Neque verò illa infirmitas peccatum est: quin potius tanto ad exercitationem & augmentū virtutis proficit, quanto (vt docet Paulus) virtus in infirmitate perficitur. Augustinus *Cap. 2.* quidem lib. 1. contra duas epistolas Pelagianorum, baptismatis virtutem exaggerat, ex eo, quòd apud Ezechielem legatur: Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & ab vniuersis idolis vestris mundabo vos: & dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum ponam in medio vestri. Id autem sic intelligendum monet, non modò vt baptismus radat, sed & culpas deleat: nec vt omnium peccatorū radices in mala carne teneantur, quasi rasorum in capite capillorum, vnde crescant iterum ressecanda peccata. Deleta est enim iniquitas (inquit) sed manet infirmitas. Neque verò spes veniæ deicienda est, si quis suscepto baptismo peccauerit, modò ad secundam post naufragium tabulam, ad penitentiam sacramentum confugiat. Nam vt maior nobis esset accipiendæ remissionis confidentia, Christus Apostolis in eam rem post resurrectionem Spiritum sanctum, & per eum remittendorum peccatorum potestatem conculit, dicens. Accipite Spiritum sanctum. Quorū remiseritis peccata, remittantur eis. Et rursus, Aperuit illis sensum, vt intelligerent scripturas: & dixit illis, Hæc sunt verba quæ locutus sum vobis, à principio cum essem vobiscum: quia oportet impleri omnia quæ dicta sunt de

*Ioan. 20.*

*Luc. 24.*

*Ezech. 36.*

me. Quoniam ita scriptum est, & sic oportebat Christum pari, & resurgere à mortuis, & prædicare in nomine eius pœnitentiam in remissionem peccatorum. Hunc etiam quasi totius Evangelij scopum Paulus, cùm Athenis esset, intulit: Quòd tempora huius ignorantia despiciens Deus, nunc annunciat hominibus, ut omnes vbique pœnitentiam agant: eo quòd statuit diem, in quo iudicaturus est orbem in æquitate, in viro quem statuit, fidem præbens omnibus, suscitans eum à mortuis. Neque verò ad pœnitentiam integram agendam, & suscipiendum eius effectum satis est, ut quis apud se conteratur, meditetur ut columba, attenuetur oculi eius suspicientes in excelsis: sed ad eos accedere oportet, quibus remittendorum peccatorum potestas credita est. Nemo (ut monet Augustinus) sibi dicat, Occultè ago, apud Deum ago: nouit Deus, qui mihi ignoscit, quia in corde ago. Ergo sine causa dictum est, Quæ solueritis in terra, soluta erunt & in cœlo? Ergo sine causa sunt clauis datæ Ecclesiæ Dei? Frustramus Euangelium Dei? frustramus verba Christi? Promittimus nobis quod ille negat? Ad eam rem erat olim publica peccatorum enumeratio in facie totius Ecclesiæ, maximè inter Orientales, quæ tandem exigentibus causis, ne pudor publicus quosdam ab hoc remedio reuocaret, remanente interim confessionis sacramentalis integritate mitigata est. Ob hanc enim causam Presbyterum bonæ conuersationis, seruantemque secretum, ac sapientem virum sta-

Act. 17.

Homil. 49.  
lib. Quinquaginta  
hom.

Hist. tripart. lib. 9.  
cap. 36.

tuerunt, ad quem accedentes ij qui delinquebant, delicta propria fatebantur: at ille secundum vniuscuiusque culpam, indicebat & multam. Huius itaque confessionis fructus est remissio peccatorum, ut non abs re illam fateamur & agnoscamus. Verùm ne ultra progrediamur quàm statuimus, quod in Symbolo superest, breuiter expendamus.

*De resurrectione carnis: Ut ex illa magna nobis consolatio obuenit: ut à prophetis, Sibyllis, ipso etiam Platone prædicta sit. Confirmatur quoque rationibus & scripturis. & opposita argumenta eliduntur.*



I G V L O quidem facillimum est vas, quod nondum fornace decoctum fuerit, refingere, cùm rursus aqua emolliri & pinsi possit. Vbi verò ignis ardore humor insitus semel exhaustus fuerit, quomodo rursus illud rotæ admouebit? At verò maior est plastes noster, tanto quidem, quâto nihil impossibile est apud Deum, Dicit autem per Hieremiam, Sicut lutum in manu figuli, ita & vos in manu mea. Vnde ad eum Iob exclamat, Manus tuæ Domine fecerunt me, & plasmauerunt me totum in circuitu. Quid ergo corpori nostro accidere potest, quod non ipse resarcire & reparare valeat? Etiam si in cineres dissoluatur, & ipsi etiam cineres dispergantur, num in vnum omnia cogere, & idem etiam, sed nobilius, cot-

Hierem. 18.



pus restituet? Nos ergo qui in Christo perfectam hominis reparationem agnoscimus, non animæ tantum, sed & corpori, repositam gloriam cōfitemur. Cū enim Christo in vna Ecclesia inferamur, cum sanctis communicemus, & remissionem peccatorum accipiamus: quomodo non etiam fœlicitatem illam, ad quam hæc omnia disponuntur, expectemus? Neque verò illa plenius, quàm excitato corpore, homini cōmunicabitur. Itaq; carnis resurrectionem, & vitam æternam credimus. Porro multis & nouum, & creditu difficile, resurrectionis dogma visum est: aut quòd omnia in primam materiam reditura censerent, aut communem homini cum brutis expectationē. Vt quos Salomon dicentes inducit: Quid habet homo iumento amplius? Vnus est hominis & iumentorum interitus, & æqua vtriusque conditio. Sicut moritur homo, sic & illa moriuntur. Quis nouit, si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, & si spiritus iumentorum descendat deorsum? Et qui apud Esaiam aiunt: Edamus, bibamus, cras enim moriemur. Aut qui cū Athenis Paulum de carnis resurrectione & Christo differentem audiissent, dicebant, Quid vult *αερμολογος* iste? Nouorum dæmoniorum videtur hic annunciator esse, Radix totius bonæ operationis, est spes resurrectionis (inquit Cyrillus.) Expectatio enim retributionis incitat mentem in beneficentiam, promptiorque fit operarius ad perferendos labores, si præmium laborum præuiderit. Sic miles expectans præmia,

Eccles. 3.

Catech. 18.

Resurrectionis fructus.

mia, alacri mente fertur in prælium: nemo enim frustra paratus est mori. Quid verò non audeat is, qui de resurrectione diffidit? quomodo se non omni libidine fœdauerit? quomodo non suo, velut alieno, abutatur corpore? Attamen qui à Christiana Philosophia alieni sunt, etsi in diuersis opinionibus alius aliter resurrectionem attrigerint, nec penitus ab huiusmodi spe aberrarint, non tamen planè cum nostris senserunt, inquit Gregorius Nissenus. Nam nonnulli quidem, vt Plato, contumelia afficiunt, ac dehonestant humanum genus, eandem animam censentes, inuicè, tum hominis, tum ratione carētis animalis fieri, alia post resurrectione. alia subinde corpora induentem, & ad id quod placeat, semper transeuntem, vel volatile, vel aquatile, vel terrestre animal post hominē fieri, ac rursus ab his ad humanam redire naturā. Alij verò (vt Empedocles) etiā ad frutices huiusmodi deliramētum extendunt, vt etiam arborem, ac lineam ei vitam conuenientem atque accommodatam esse putent. Nonnullis verò, vt Pythagoræ, hoc solum videtur, quod ex homine semper alium hominem inuicem sumat, & per eadem omni tempore humana vita exigatur atque regatur: vt qui se Euphorbum Panthoidem in bello Troiano fuisse meminisset, qui

*-clypeo Troiana reflexo**Mœnia testatus, nihil ultra**Nervos, atque cutem morti concesserat atra.*

Interim verò hoc fidei dogma, etsi non omnes,

PP

Horat. l. 1.

Odar.

Lib. 1.

3. Reg. 17.

4. Reg. 4.

4. Reg. 13.

Eccles. 48.

multi tamen Gentiles olim exploferunt, cum ipsi multa suggestore Sathana de suis diis fingerent, quæ resurrectioni fidem facerent. Hoc nimirum argumento Theophilus Alexandrinus Autolycū Christianæ religionis calumniatorem confundebat, cum ille diceret: Ostende mihi saltem vnum ex mortuis reuocatū, quem si videro, verbis tuis fidem habebō. Sed quid memorabile facis (inquit Theophilus) si videas, & credis? Si credis Herculem, quem flamma absumpsit, viuere, & Æsculapium fulmine percussum, vitæ restitutum: quæ dementia est nolle dare fidē illis quæ Deus loquitur? Si verò iuuant aliquem è sacris scripturis exempla deprompta, num Elias Sareptanę, Heliseus verò Sunamitidis filium suscitauerūt? An non etiam mortuū prophetavit corpus eius, cum suo attractu defunctum suscitans, certam resurrectionis omnium asseruit? Cum enim sepultus esset, cōtigit vt latrunculi de Moab, in terram Israël ipso etiam anno venirent. Porro quidam sepehentes hominem, cum latrunculos vidissent, proiecerūt cadaver in sepulchrū Helisei, quod cum tetigisset ossa Helisei, reuixit homo, & stetit super pedes suos. Quid verò quod Christus tres in vitam reuocauit, filium viduæ in ipsa porta Naym, qui iam in sepulchrum efferebatur: filiam Archisynagogi domi abactis omnibus, cum iam tibicines aduenissent, vt pro more lamētabile carmē intonarent: & quattriduum mortuum Lazarum, qui iam tribus integris diebus sepulchro reconditus fuerat. Quid

quod Christo expirante petræ scissæ sunt, & monumēta aperta sunt, & multa corpora eorū qui dormierant, surrexerunt, & apparuerunt multis? Sed & Apostoli mortuos excitarunt. Petrus quidem Ioppæ Tabitham, Paulus verò Troade Eutychem, & reliqui omnes Apostoli (inquit Paulus) quamuis non omnia scripta sunt, quæ vnusquisq; eorum admiranda fecit. Porro ille cōtra Samaritas ex ipsis quinq; Moysis libris exēpla depromit, ex quibus à minori ad maius, mortuos rursus ad vitā reuocari cōtendit. Itānc (inquit) virgam quidem Moyſis iusti in draconem conuerti possibile est, corpora autem iustorum viuere & resurgere erit impossibile? At illud quidem præter naturam factum est, hoc autem secundum naturam nō restaurabitur? Et virga Aaron excisa & mortua absq; humore refluuit, atq; hæc sub tecto existens, quæ in agris quondam florebat: nunc autem in aridis posita, fecit per vnā noctem ea quæ per multos annos irrigata fecerit cū fructibus. Virga Aaron tanquam ex mortuis surrexit, & ipse Aaron non resurget? Sed & vxor Loth præter naturam in sal conuersa est: vxor autem Abraham non resurget? Qua autem virtute mutata est manus Moyſi, vt modò fieret tanquam nix, statim autem in suum statum reduceretur? Quid ergo? Tunc quidem mandatum erat efficax, nunc autem non erit? Quid præterea (inquit Theophilus) referam resurrectionem fructuum & seminum, quæ omnia nostræ vtilitati seruiunt? Si enim, exempli gra-

Lib. 1. ad

Autolycū.

1. Cor. 15.

tia, granum tritici, aut reliquorum fructuū in  
 terram sparseris, primum quidem moritur &  
 dissoluitur, & tum demum nascitur & in cul-  
 mum fructificantem assurgit. Arborū & quer-  
 cum natura, occulta quadam vi, nobisq; inui-  
 sibili, secundum Domini imperium, statis tem-  
 poribus fructus proferunt. Interdum passer-  
 culus, aut alia auicula, deuorans semen mali,  
 aut ficus, aut alterius, auolat in locum aliquem  
 editum, saxosum, & id in foueam aliquam per  
 diuersam corporis partem remittit. Quid sit?  
 Semen illud successit, & in arborem magnam  
 euadit, quamuis deuoratum per tantum calo-  
 rem transierit. Si verò dubitas, insipiens tu (in-  
 quit Apostolus) quod feminas nō viuificatur,  
 nisi prius moriatur: & quod feminas, non cor-  
 pus quod generabitur, feminas, sed nudū gra-  
 num. Deus autem illi corpus tribuit, quemad-  
 modum vult, & vniuscuiusque seminum pro-  
 prium corpus est. Considera igitur in sulcis,  
 tanquam in sepulchris, femina suffossa, inquit  
 Damascenus: quis illis radices imponit, & sti-  
 pitem & folia, & subtilissimos culmos? Nōn-  
 ne qui vniuersorum artifex est, cuius præce-  
 pto condita sunt vniuersa? Si autem illa, quæ  
 propter nos nascuntur, mortua reuiuiscunt:  
 nos verò, quorum causa & illa nata sunt, mor-  
 tui an non excitabimur? Brumale nunc tem-  
 pus est, vt vides: arbores nunc tanquam mor-  
 tuæ sunt. vbi enim folia ficus? vbi botri vitis?  
 Sed hæc quidem hyeme mortua, vere autem  
 virentia apparent: & cum tempus aduenerit,

*Li. 4. de fi-  
 de orthod.  
 cap. 21.  
 Cyrill. Ca-  
 tech. 18.*

tunc veluti à mortificatione redditur viuifica-  
 tio. Videns enim Deus tuam incredulitatem  
 in his quæ videntur, singulis annis resurrectio-  
 nem efficit, vt ea videns in rebus inanimatis,  
 etiam de animatis rationalibus credas. Si mu-  
 scæ quidem & apes aqua suffocatæ, sæpè post  
 tempus anni resurgunt: & serpentum genera  
 hyeme immobilia sunt, æstate verò deinceps  
 consurgunt: qui irrationalibus & vilibus vi-  
 tam præbet super naturam, nōne & idem no-  
 bis, propter quos & illa fecit, viuificationem  
 donabit? Hoc & in Phœnice perspiciamus.  
 Hæc (vt scribit Clemens Lactantius, & alij  
 complures) cum vna sit, seipsam concremat:  
 ex ipsius verò cineribus alia excitatur. Huius  
 etiam exemplum Tertullianus adducit in li-  
 bro de resurrectione carnis: quin & scriptu-  
 ram adducit, quæ Deum sic loquentem expri-  
 mit, Et florebit sicut Phœnix: id est (inquit  
 Tertullianus) de morte, de funere, vti credas  
 de ignibus quoque substantiam corporis exi-  
 gi posse. Multis passeribus antestare nos Do-  
 minus pronuntiauit: si non & Phœnicibus, ni-  
 hil magnum. Sed & ex his, quæ nobis ob ocu-  
 los versantur, quæri oportet: Ante centum vel  
 ducentos annos, nos omnes qui loquimur, vbi  
 eramus? an nescimus nostræ constitutionis  
 subsistentiam? An ignoramus quomodo ex in-  
 firmis, rudibus, & confusis rebus generamur,  
 & quod erat informe, in robur neruorum cō-  
 mutatur, & oculorum splendorem, & narium  
 odoratum, & aurium auditum, & linguam lo-

*Cyrill.*

*Li. de resur-  
rectione.*

quentem, & cor saliens, & manus operatrices, & pedes cursores, & in omnimodam membrorum speciem cōuertitur? Et tum ex illa primum quidem confusa materia fit Princeps, Legiflator, & Rex. Qui ex rebus leuibus ita nos fecit Deus, num etiam cadentes excitare poterit? Nam (vt doctè Athenagoras contra Gentiles differit) vires Dei sufficere ad corporū reformationem, indicat vel ipsorum procreatio. Si enim corpora, cū non essent, condidit, eorūq; principia vnde originem trahunt, procreauit: quomodo non dissoluta eadē facilitate instaurabit? Ne que inde hæc ratio labascet, siue ex materia rerum originem deducant, siue ex elementis, vt principiis omnium, corpora constituent, siue ex semine. Cuius enim est potestatis à sua conditione informem materiam transformare, nullāque figurā indutam multis & diuersis vultibus exornare, & partes elementorum in vnum cogere, & semen quod vnum est & simplex, in multa deuidere, & quod inarticulatū est, articulis distinguere, & vitam dare rei inanimatę: eiusdem quoque potestatis est & quod dissipatum est, cōnire, & quod iacet surrigere, & quod mortuum denuò viuificare, & corruptibile mutare in incorruptibilitatem. Hoc argumento Gregorius Nyssenus in libro de creatione hominis, & Æneas Gazæus in Theophrasto, occurrit obiectioni eorū qui dicunt. An ergo terrenum corpus resuscitandum est, quod diffluit & dispersum est, & aliud quidem à piscibus laniatum, aliud autem

ab auibus discerptū est: eaq; animalia deinceps ab aliis capta, sic absumpta sunt, vt ne vestigiū quidem humani corporis vllū amplius existat? Ad huius quęstionis resolutionem iocundissima est Axithæicū Theophrasto apud Gazæum disputatio. Terres tu me quidē, ô generose vir (inquit Axithæus) sed hac re plenius ac melius cognita, prorsus eius māsuetior. Dic enim mihi, estne corpus humanū simplex, an cōpositū? Ad quem Theophrastus, Ominò cōpositū. Axithæus verò, Quibus igitur (inquit) partibus cōpositum putas? Ex quatuor dices? Theophrastus, vtique ex elementis. Axithæus verò, Si id (inquit) quod cōpositū est, dissoluitur, an non in res eas redit, ex quibus cōpositum fuit? Theophrastus, Ominò, inquit. Ad quem Axithæus, An igitur non humanum corpus, & piscis, & auis, & fera in elementa recurrunt, & vnumquodque in id, ex quo collectum fuerat, redit? Theophrastus, Ominò, ait. Tum Axithæus, Iam si elementa conseruantur, & vna corporis nostri causa conseruatur: consequens est fore, vt omnia, cū supremus artifex vocarit, vndecunque colligantur. Etenim si in principio parua quædā, eaq; informis atq; humida materia, totum hominē cōcepit, non mirabor ipse amplius, si totius hominis corpus in elementa disseminatum, non amplius aut maius, sed priori par reddiderit. Vidi ego grandē, amplam, & vmbrosam vitem, quæ meas ipsius ædes ornabat, non ab vllō vinitore plantata, neque ab vllō surculo nutrita: sed eam mihi qui-

dam acinus in fundum lapsus, totam porrexit. Vbi igitur truncus, seu ramus ille latitauit? vbi folia? vbi fructus ille delituit. Qui verò rei rusticæ sedulam operam nauant, ij ficum iunco perforatam, & seminibus replent, & vnà cum iunco defodiunt: nec multò post ad numerum feminum ficus arbores eodem ordine sitæ apparent. At qui semen, quàm parua, & propè indiuidua, & puncti similis res est? Et tamen licet protritum fuerit, quàm magnam arborem parit? Et Palma arbor, licet ossè durissimo orta, vsque in sublimem aërem exaltatur. Quid quòd producendarum apum studiosi, eas è tauro terræ defosso, & putrido nascuntur?

*Tandem etenim subitum, ac dictu mirabile, monstrum  
Aspiciunt, liquefacta bonum per viscera toto  
Stridere apes utero, & ruptis efferuere costis,  
Immensasque trahi nubes, iamque arbore summa  
Confluere, & lentis vnã demittere ramis.*

Verg. li. 4.  
Georg.

Succurrit etiam ingens animalium copia, quæ ex aliorum interitu generatur. Hoc cum minime miremur, quid dispersos cineres colligi, & in idè quod fuerat, hominis corpus reduci negabimus? Ad huius fidei confirmationè aptissimū Axithæus adducit exemplū: Veluti (inquit) ponas ob oculos Achillis statuam æreā. Is æreus Achilles temporis vetustate consumatur, æsque illud abiectum aliqui sibi sumant, atque in frustra minutissima sectū passim disseminēt. Ibi tum peritus aliquis artifex, æris materia, vt ad artè aptissima collaudata, æs illud omne

cōquirat atque inueniat: ac deinceps conflatū & expurgatum arte ac facultate quadam sua, ipsum æs in aurum conuertat, eique Achilles *Cyrril.* formā inducat: erit profectò, & videbitur aureus idem ille Achilles, qui prius fuerat æreus. Eodè modo nostrorū corporū materia, procul ab se remotis pondere, situ, & mortalitate: supremi conditoris arte & summā gratiā, pura, leuis & immortalis euadit. Tibi sanè homūcio- ni hæc difficilia videntur: quasi dispersos vsque cineres in vnum cogere Deus minime possit. Si enim sol, exiguum opus Dei, vno radiorum iactu, vniuersum orbem calefacit: & aër quem Deus fecit, circumdat mundū: quomodo Deus, solis & aëris opifex, distabit à mundo? Verum *Lib. De crea- tione homi- nis. cap. 27.* fortè obiicitur informis illa resoluti corporis materia, quæ etsi congregari, non facile tamen discerni possit: vt assignetur quid olim cor, *Psal. 47.* quid pulmo, quid splen, quid neruus, quid aliud denique fuerit, antequàm resolveretur. At verò (vt scribit Gregorius Nyssenū) memine- *Cap. 28.* ris scripturæ dicentis, quia in manu eius sunt omnes fines terræ. Quòd si tu nō ignoras, quæ tuo palmo contineas, opinaris scientiam Dei, quæ est tua virtute superior, eorum quæ virtute diuina manu continentur, id quod certum est, minime perferuari? Et paucis interiectis, Ergo (inquit) nihil extra rationem videtur, rursus in communi ad singulos redire, quod suum est. Dicitur enim & ἰδραργύριον, quod argentum viuū vulgus appellat, si per prona ac puluerulenta loca fundatur, in pilas minutissimas

*Argentum.  
vium.*

per terram diuidi, nec illis concurrentibus, inuicē posse misceri: Si quis autē rursus id quod multipliciter dispersum est, in vnum redigat, proprio generi fontē coniungi, nullis ad commixtionem suam commixtionibus irretitam. Tale quid oportet & circa omnem hominis compositionem animaduerrere. Mox enim vt à Deo facultas fuerit attributa, vtrò sibi partes similes propriis miscebuntur partibus, sine vlla difficultate eius, qui naturam reformare dignatur.

Matth. 22.

Hanc carnis resurrectionem Sadducæi, simulque Angelos esse negarunt: Sed & hæreticorum primi Simon Magus, Basilides, Valentinus, Apelles, Marcio, Ophitæ, Cerdoniani, Caiani, Seueriani, Archontici, Hierarchitæ, & Seleuciani, vt Tertullianus, Augustinus, Epiphanius, & Philaster Brixienis de hæresibus scribunt. Hymenzus verò & Alexander (Apostolo teste) resurrectionem iam esse factam dicebant. Alij verò, etsi illam admiserint, ita tamen vt nostra corpora impalpabilia & inuisibilia futura, aut omnes in virili sexu resurrecturos esse censerent. Porrò tantæ est energiæ huius fidei confessio, vt illa sublata, etiam omnis consolatio hominibus decidat. Miserabiliores enim sumus omni animante, si mortui nō resurgūt, inquit Paulus. Vt quid enim periclitamur, omni hora? Vt quid ad bestias pugnaui Ephesi? Cur nō potius māducemus bibamus si cras morimur, & nullus tandem superest expectationi locus? Cur nō potius sepulchro cu-

1. Cor. 15.

Cicero lib. 5  
Quest. 74-  
scul.

iufque hominis id inscribitur, quod Sardana- palus in busto incidi iusserat?

*Hæc habeo, quæ edi, quæque exsaturata libido*

*Hausit: at illa iacent multa, & præclara relictæ.*

Quid aliud autem (inquit Aristoteles) in bonis nō in regis sepulchro inscriberes? Hæc habere se mortuum dicit, quæ ne viuus quidem diutius habebat quàm fruebatur. Quid enim hîc solidum est, in quo spem nostrā collocemus, cum fluxa sint & lubrica omnia? Ergo quoniam resurrectionem nostram expectationē maximè confirmat, hanc Deus multis modis confirmauit. In superioribus quidem, quàm rata & certa sit Christi resurrectio, diximus, vt ex ipsa nostræ etiam resurrectionis certitudo abundaret. Atqui & ipsam typis & variis argumentis nobis scripturæ exhibuerant. Hoc etiam Dominus prænuntiauerat, cum Noé post diluuium arcam egresso, ait: Ecce quasi olera virentia dedi vobis omnia: veruntamen carnem cum sanguine animæ comedetis. Nam & sanguinem animarum vestrarum requiram, de manu omnium bestiarum requiram illum, & de manu hominis fratris, requiram animam eius. Quomodo enim requiret sanguinem hominis de manu omnium bestiarum (inquit Damascenus) nisi quia resuscitabit corpora hominum mortuorum? Non enim pro homine morientur bestiarum. Sed & Dauid ad Deū dicit: Auferes spiritum eorum, & deficient, & in puluerem suum reuertentur. Ecce de corporibus sermo: deinde subiungit, Emitte spiritum tuū, & creabuntur,

Genes. 9.

psal. 103.

& renouabis faciem terræ: quando & letari  
 Dominum in operibus suis affirmat, cum defi-  
 cient peccatores à terra. Quomodo enim (ait  
 Gregorius Nyffenus) quis peccator vltra vo-  
 cabitur, cum iam peccata esse non possint, nisi  
 quod erit ipse peccator, & in iudicium addu-  
 cetur? Esaias quidē clamat, Viuent mortui tui,  
 interfecti mei resurgēt. Expergiscimini, & lau-  
 date qui habitatis in puluere, quia ros lucis ros  
 tuus, & terrā Gigātū detrahes in ruinā. Job ve-  
 rō, Scio (inquit) quod redēptor meus viuit, &  
 in nouissimo die de terra surrecturus sū, & rur-  
 sum circumdabor pelle mea, & in carne mea  
 videbo Deum. Quem visurus sum ego ipse, &  
 oculi mei conspecturi sunt, & non alius. Re-  
 posita est hæc spes mea in sinu meo. Quid que-  
 so dicere potuisset apertius? Nam & eadē pel-  
 le se circumuestiendū, & iisdem ipsis suis ocu-  
 lis se in illa resurrectione Deum redemptorem  
 visurum prænuntiauit: quoniam nec alia caro,  
 nec alia pellis, aut alij oculi, sicut nec alia ossa,  
 excitabuntur, sed ipsum & idē corpus, & om-  
 nia eadē, verum in maiore gloria. Esdras verò  
 sic habet: In inferno præptuaria animarū ma-  
 trici assimilata sunt. Quemadmodū enim illa  
 festinat, quæ parit, effugere necessitatē partus:  
 sic & hæc festinat reddere ea quæ cōmendata  
 sunt ei. Et in alio capite: Tunc signabitur secu-  
 lum, quod incipiet pertransire: libri aperien-  
 tur ante faciē firmamenti, & omnes videbunt  
 simul, & anniculi infantes loquentur vocibus  
 suis, & prægnantes immaturos parient infan-

lib. de crea-  
 tione homi-  
 nis. cap. 26.

Esai. 26.

Job. 19.

4. Esdr. 4.

4. Esdr. 6.

tes triū & quatuor mēsiū, & viuent & suscita-  
 buntur. Et subitō apparebunt seminata loca nō  
 seminata, & plena promptuaria subitō inue-  
 nientur vacua: & tuba canet cum sono, quam  
 cum omes audierint, subitō expauescent. Hæc  
 quidem cum his conueniunt, quæ Christus ait,  
 Patrem missurum Angelos suos cum tuba ma-  
 gna: & rursus, Mortui audient vocem filij Dei,  
 & qui audierint, viuent. & quod Paulus, Quo-  
 niam in iussu & in voce Archangeli, & in tuba  
 Dei, descendet de cælo: & mortui qui in Chri-  
 sto sunt, resurgent primi. Daniel simul cum ex-  
 tremo illo Antichristi furore, etiā resurrectio-  
 nem exprimit: Ecce (inquit) in tempore illo  
 saluabitur populus tuus, omnis qui inuentus  
 fuerit scriptus in libro vite. Et multi de his qui  
 dormiunt in terræ puluere, cui gilabunt: alij in  
 vitam æternam, alij in opprobrium, vt videant  
 semper. His adiici potest & ista Osee Prophe-  
 tia: De manu mortis liberabo eos, de morte  
 redimam eos. Ezechiel verò omnium maximè  
 quasi ad viuum resurrectionem depingit, Facta  
 est (inquit) super me manus Domini, & eduxit  
 me in spiritu Domini, & dimisit me in medio  
 campi, qui erat plenus ossibus, & circumduxit  
 me per ea in gyro: erant autem multa valdè su-  
 per faciem campi, siccaque vehementer. Et di-  
 xit ad me, Fili hominis, putasne viuent ossa ista?  
 Et dixi, Domine Deus, tu nosti. Et dixit ad me,  
 Vaticinare de ossibus istis, & dices eis, Ossa a-  
 rida, audite sermonem Domini. Hæc dicit Do-  
 minus Deus ossibus his: Ecce ego intromittam

Daniel.

Ose. 13.

Ezech. 37.

in vos spiritum, & viuetis: & dabo super vos  
neruos, & succrescere faciam super vos carnes  
& superextendam in vobis cutem, & dabo vo-  
bis spiritum, & viuetis: & scietis quia ego Do-  
minus. Et prophetaui sicut dixerat mihi. Factus  
est autem sonus prophetante me, & ecce com-  
mixtio: & accesserunt ossa ad ossa, vnumquod-  
que ad iuncturam suam. Et vidi, & ecce super  
ea nerui & carnes ascenderunt, & extensa est  
in eis cutis desuper, & spiritum non habebant.  
Et dixit ad me: Vaticinare fili hominis, vaticin-  
nare: & dices ad spiritum, Hæc dicit Dominus  
Deus: A quatuor ventis veni spiritus, & insu-  
fla super interfectos istos, & reuiuiscant. Et pro-  
phetaui sicut præceperat mihi, & ingressus est  
in ea spiritus, & reuixerunt, steteruntque super  
pedes suos, exercitus grandis, nimis valde.

Verum (vt scribit Cyrillus) nonnulli de his  
quæ scripta sunt, diffidentes, proferunt nobis  
illud, Non resurgent impij in iudicio: & illud,  
Cum descendit homo in infernum, non licet  
ascendere: & Non mortui laudabunt te Do-  
mine. His quæ benè scripta sunt, malè vtuntur.  
Nam Psaltes non simpliciter, non resurrectu-  
ros impios asserit, sed non resurrecturos in iu-  
dicio, non resurrecturos causa, etsi resurgant  
corpore: simul enim atque resurrexerint, con-  
sequetur eos pænæ. Quod etiam ait, Mortuos  
minimè Deū laudaturos, hoc ad salutē & gra-  
tiā actionē intelligendum est. Eorum, & enim  
qui Deum sic laudant, alij aut Deo fruuntur,  
aut hîc militant, & in remissionē peccatorum

& pœnitentiam contendunt. Qui autē mortui  
sunt, vtroque genere mortis & corporis, &  
peccati, seu ipsius condemnationis æternæ, <sup>Iob, 7.</sup>  
quomodo Deum in spe, aut in ipsa eius frui-  
tione laudarent, cum ab vtroque exciderint?  
In peccatis enim mortui tempus confessionis  
non habent. De eo autem quod legitur, Si de-  
scendat homo in infernū, non licet illi ascen-  
dere, respice quæ dicuntur, & inferuntur. Si-  
quidem non licet, non autem non ascendet,  
scriptum est, & non reuertetur in propriā do-  
mum. Cum enim vniuersus mundus transiret,  
& omnes domus corrumpentur, noua etiam  
terra facta fuerit, quomodo in propriam do-  
mum reuerteretur? Oportet autem audire Iob <sup>Iob, 14.</sup>  
dicentem: Est verò arbori spes, vt si excidatur,  
floreat, cum truncus eius non deficit. Si enim  
senuerit radix, & in petra moriatur truncus  
eius, ab odore aquæ florebit, & faciet fructū,  
tanquam nuper iustum. Vir autem mortuus  
peribit, & cadens homo, non amplius est? Mo-  
dò non confundit, & increpat, sic enim per in-  
terrogationem legendum, Non amplius est?  
Quid enim (inquit) si lignum cadens excita-  
tur, homo propter quem lignum factum est,  
nō resurget? Sequitur enim, Putasne mortuus  
homo rursus viuet? Et statim dicit, Cunctis  
diebus quibus nunc milito, expecto donec ve-  
niat immutatio mea, Vocabis me, & ego re-  
spondebo tibi. Operi manuum tuarum porri-  
ges dexteram. Hoc etiam Erythraea Sibylla <sup>Sibylla.</sup>  
prædixerat. Ait enim libro secundo Oracu-



Iorum:

Καὶ τότε γερτείοις ψυχὰς, καὶ πνεῦμα, καὶ αἰ-  
δῶ

Δάσφ' ἐπερξίνιος, καὶ τ' ὅσα ἀρμοσθέντα.

Ἄρμοις παντοίοις, σαρκὶ σάρκες, καὶ νεῦρα  
καὶ χροί,

Καὶ φλέβες, καὶ δὲ τε δέρμα δ' αἰ τῶν ἕθερα

Ἀμβροσίως πηθέντα, καὶ ἐμπύσα κληθέντα,

Σώματ' ὅτι θογίων μίαν ἡμέραν ἀναστήσον-  
τα.

id est,

*Et tunc infernis animas, flatumque, sonumque*

*Cœlestis tribuet, compactaque conuenienter*

*Artibus ossa suis carnes, nervosque repostos,*

*Et venas, pellēque priorem, casariemque.*

*Sic coniuncta suis terrestria corpora ritē*

*membris, una dies reddet vitalibus auris.*

Hoc autem ab Hebræis Platonē didicisse Eusebius, & Clemens Alexandrinus libro quinto Stromatum, & obseruant ex decimo De Republica. Eusebius enim vndecimo De præparatione Euangelica, capite decimo octauo, mortuos reuicturos sanxit Plato, inquit: quod nescio vndenam aliunde, quàm à Iudaica scriptura intellexerit. Ferebatur (ait) à priscis illis, qui in vltima circulatione moriuntur, vicinos futuro tempore, in prima rursus resurgere, ac ab eiusmodi hominibus multa nobis nuntiata esse, quæ nunc vulgò non rectè falsa putantur. Consequens enim est, hos senes ad puerorum rursus naturam conuerti, & mortuos qui iacent in terra, rursus tunc esse reuicturos, generationem sequentes quæ in contraria reuoluitur,

tur, nisi quos Deus in aliam conditionem traduxerit. Et progressus dicit: Tempore omnium exacto, quoniam mutationem fieri oportet, cum terrenum genus defecerit, omni anima per generationem in corpus iussum deducta, vniuersi gubernator ad altitudinem suam abibit. Tandem verò Deus, ne omninò mundus dissoluatur, gubernacula rursus capiet, & omni expulsa turbatione, immortalē ipsum & insenscentē efficiet. Et post pauca: Dicam tibi (inquit) sermonem fortissimi viri Eris, genere Armenij (hunc Zoroastrem Clemens nūcupat) qui olim in prælio mortuus, post decimū diē, ferè iam corpore corrupto, delatus à suis domum. cum in rogam poneretur, decimo die postquàm decidit, rexit: multa quæ ibi se vidisse narravit, ac inter alia, quòd anima egressa à corpore cum multis in locum quendam admirandum deuenisset, vbi terræ hiatus inter se conuexi maximi erant, & ex opposito duo ad cœlum itinera: Iudices autem sedentes vidisse, à quibus qui iusti fuisse iudicabantur, in anteriore parte signis alligatis, ad dexteram, & sursum in cœlum ire videbantur: Iniusti verò ad sinistram, & deorsum, signis ad posteriorem partem eorum alligatis, in quibus scripta erant eorum facinora. Quæ cum vidisset, accessisse ac rogasse dicebat, vt liceret ei hominibus hæc nuntiare: quod cum illis placuisset, per omnia illa loca diligentius ductum fuisse. Hæc Plato. Plutarchus autē in primo, De anima, hæc narrat: Enarchus (inquit) nuper ægrotans, tāquam

*Plutarchus*

QQ

iam mortuus, à medicis fuit relictus, & breui tempore in seipsum postea reductus, dicebat se mortuum fuisse, & in corpus iterum restitutum. Hæc verò idèd Eusebius protulit, ne cui creditu difficile sit, quod Scriptura quosdam reuixisse narrat, & expectandam mortuorum resurrectionem docet.

*Ut ex mortuorum resurrectione pendent funera solennia corporum, & virtus reliquiarum sanctarum: ubi de vi insita, cineribus defunctorum, etiamsi in quilibet resoluantur.*

**V**T resurrectionis expectatio nos ad pietatem extimulat, & ab impietate & omni scelere retrahit: ita quicumque illam negant, aut saltem iis assentiuntur, quæ resurrectioni carnis detrahunt, quomodo non etiam in omne scelus & impietatem prolabantur? Hoc tamen nos facilè in fœlici isto seculo in Necromachis & Hagiomachis deprehendimus. Nam cum illi aut omninò mortuorū corpora cōtemnenda, contemnendam etiā sepulturā: cum etiam despuendas sanctorū reliquias asserūt: quomodo non æquam humano corpori cū brutis conditionem astruunt? Quæ enim maior est ratio seu illius curæ, quam sepeliendis fidelium corporibus, seu honoris illius, quæ venerandis Martyrum reliquiis impendimus, quàm quòd multò

illa brutis præcellere, & resurrectione, gloriæ August. lib. quoq; communicatura confidimus? Nec enim 1. De civit. (vt scribit Augustinus) contemnenda & abiicienda sunt corpora defunctorū maximeq; iustorum atq; fidelium, quibus tāquam organis & vasis ad omnia bona opera sanctus vsus est organa & Spiritus. Si enim paterna vestis & annulus, ac vasa spiritalia si quid huiusmodi tanto clarius est posteris, tussancti. quanto erga parentes maior extitit affectus, nullo modo ipsa spernenda sunt corpora quæ utique multò familiarius atque coniunctius quàm quælibet indumenta gestamus. Hæc enim non ad ornamentū vel adiutorium, quod Genes. 23. adhibetur extrinsecus, sed ad ipsam naturam & 25. hominis pertinent. Vnde & antiquorum iustorum funera officiosa pietate curata sunt, exequiæ celebratæ, & sepultura prouisa: ipsique dum viuerent, de sepeliendis, vel transferendis suis corporibus filiis mandauerunt. Matth. 26. Et Tobias sepeliendo mortuos, Deum promeruisse, teste Angelo, commendatur. Ipse Ioan. 12. quoque Dominus, die tertio resurrecturus, religiosæ mulieris bonum opus prædicat, prædicandumque commendat, quod vnguentum pretiosum super membra eius effuderit, atque hoc ad sepeliendum eum fecerit. Et laudabiliter commemorantur in Euangelio, qui corpus eius de cruce acceptum, diligenter atque honorificè regendum sepeliendumque curarunt. Hæc autem commendantur & ad Dei Cur fuit vera. prouidentiam, cui placent talia pietatis officia, corpora quoque mortuorum pertinere si-

gnificant, & ad fidem resurrectionis astruendam. Quid enim aliud magis cogitamus, hominem sepelientes, quàm nudum nos granum terræ commendare, quod in nouissima die, velut in messe, & exurget, & copiosam gloriæ segetem reddat? Cur non & idem obsequium brutorum cadaueribus impenditur, nisi quòd illa statim atque expirarunt, etiam cum ipsa futuri expectatione euanescunt? Quid aliud attendimus, quàm corpus velut semen esse, quod in se reconditam quandam vim habeat, quæ se stato tempore exerat? Hinc etiam magna consolatio Martyribus obuenit, siue pro Christo eorum corpora dilaniarentur, seu cremarentur ignibus, seu bestiis obiicerentur, cum omnia illa, quæ infidelibus perire videbantur, illustriora tandem se accepturos considerent. Neque verò tyranni eorum insepultis corporibus insultare debuerunt (inquit Augustinus) quibus & ipsius carnis, & membrorum omnium reformatio, non solum ex terra, verum etiam ex aliorum elementorum secretissimo sinu, quo dilapsa cadauera recesserunt, in temporis puncto, reddenda & redintegranda promittitur. Hoc quisquis perpendit, etsi non omnem in funere sepulturam hominis statuit, non tamen illam cõtemnendam censebit, quasi Cynica sufficiat: sed & Martyrum maximè reliquiis honorem impendet, cum duplicem in iis vim reconditam agnoscat. Est enim vna, eaque omnibus hominibus communibus, quæ tandem apparebit, cum

*Lib. I. De ci-  
uit. Dei.  
Cap. 12.*

*Differentia  
corporũ re-  
diuinarum.*

eorum corpora è corruptione emergent: est & altera, illaque maioris gratiæ, quæ & nunc ea illustrat, & tandem maiore gloria ditabit. Vtramque verò facilè ex rediuiuorum corporum conditione deprehendimus. Eorum enim alia resurgent tantum, id est, à corruptione in incorruptionem, à morte in vitam transient: alia verò non resurgent modò, sed & gloria superuestientur. Vnum quidem omnibus hominibus, alterum verò solis electis communicabitur. Omnes enim resurgemus, sed nõ omnes beata illa immutatione donabimur. Quid mirum, cum nec electorum gloria par futura sit, sed sicut alia claritas solis, alia lunæ, & alia claritas stellarum (stella enim à stella differt in claritate) sic & resurrectio mortuorum? Cum inter electos variij gloriæ gradus futuri sint, quis dubitat maiorem inter illos & impios futuram distantiam? Quo enim est maior ratio meritorum, eo & maior gloriæ merces rependetur. Vtrumque sanè in electis: at verò quæ meriti, quæ etiam mercedis in reprobis conditio futura est? Itaque vtriusque conditionis vim quandam Dominus humanis corporibus in seuit: illis quidem, qui tantum resurrecturi sunt, vim illam quæ resurrectioni subseruiat electis verò illam etiam, quæ futuram illam gloriam exprimat. Quis enim in granis non agnoscat vitam quandam reconditam, quæ illa discernat à rebus nihili? Sit enim (exempli gratia) qui è littore maris selectos calculos, sit qui ex horreo desumpta grana terræ asper-

*1. Cor. 15.*

*Tis inuata  
pulueri.*

gat: nunquid vtrique eadem expectatio futura est? num idem vnus & alter de his quæ asperferit, sperare potest? Minimè sanè, si modò vterque animi compos fuerit. Iam si eorum alter se calculos terræ demandare dixerit, non vt illi terra excitentur, & fructum ferant: quam rationem aliam assignabit, cur id nequaquam, sperari possit quàm quòd non par sit calculi & seminis ratio: quòd vnum vitam quandam abstrusam habeat, quæ morièdo rursus appareat, alterũ verò illa omninò destituatur? Non absimile discrimen est inter hominis & bruti corpus, licet vtrumque animali vita destitutũ, terræ demandetur? Si enim nõ seminibus modò, sed & oui volucrum, & iis omnibus, quæ de Phœnice, Muscis suffocatis, & aliis in exemplum protulimus, secreta quædã virtus inest, qua à morte emergant, quomodo non maior homini inerit? Verùm fortè quispiam obiiciat, Deo iniuriam fieri, si resurrectionis causa in creatura requiratur. Hoc sanè si quis secundæ causæ sic immoretur, vt primam reiiciat: si creaturæ sic adhæreat, vt Deum in illa operari, eique vim illam inseuisse minimè agnoscat. Hoc vt in cæteris quæ in natura fiunt, potissimùm quidem in homine. In cæteris quidem præter insitam vim, quæ emergunt à corruptione, alia etiam opus est, quæ illa excitet & animet, quasi quæ ad suscipiendum extrinsecus animam disposita sunt. Sic sole & terra granis opus est, ne sine calore oua in pullos excitantur. Sed etsi bom-

bycum oua reseruaris in annum, in bombycem rursus illa efformari non possunt, nisi verno tempore solis radiis animentur. Duo igitur illa conueniunt, subiecti dispositio, & alterius causæ concursus. Nos quoque primæ causæ, Dei scilicet, potentiam & virtutem eo ordine consideramus. Primùm enim nostris corporibus vim illam inseuit, quæ facilè ad resurrectionem disponuntur: demùm verò ille iussu suo dispersa colliget, & excitabit. Itaque sicut solis & terræ concursus ad messem nemo negauerit, licet vim in granis reconditam agnoscat: ita neque diuina operatio reiicitur, cum virtus quædam nostris insita corporibus agnoscitur, maximè cum ab illo prodeat, & tandem ad perfectionem resurrectionis deducatur. Pen-  
det autem vis illa prima aut ab anima, ve-  
lut forma, quæ cum in corpus inclinatur, *Athenago-  
ras lib. de re  
surrect. car-  
nis.*  
illudque etiam separata rursus appetat, fa-  
cit vt corpori suo spem resurrectionis inse-  
rat, inquit Athenagoras: Et vt formæ ad materiam mutua relatio est, ita & insita est materiæ dispositio ad ea omnia, quæ à perfectione suæ formæ prodire possunt. Ex quo efficitur, vt humanum corpus ad suscipiendam animam, & ab anima vitam, primùm dispositum sit. Est autem humanæ animæ vita corruptioni minimè obnoxia, cum sit immortalis. Ad eam igitur suscipiendam corpus disponi necesse est. Sed quoniam, cum natura sit corruptibile, nisi perpurgatum, vita illa do-

nari non potest: ideò moritur, & seminatur in corruptione, vt surgat in incorruptione: seminatur in infirmitate, vt surgat in virtute: seminatur corpus animale, vt surgat corpus spirituale. Hoc verò quia corpus ex se habere minimè potest, cùm sit infirmum, labile & caducum, ideò pender etiam illa vis insita à Christo: qui cùm suum corpus nostro vero omninò simile immortalì vita donauerit, eandem quoque omnibus expectationem repromittit. Tria autem in Christo sunt, quibus participamus: nam alia naturæ, alia gratiæ, alia gloriæ rationem habent. Ex quo efficitur, vt hi etiam, qui Christi gratiæ non communicant, à spe resurrectionis minimè excidant. Quid enim, dixerit aliquis? Si per Christum resurrectio mortuorum contingit, quomodo illa donari poterunt, qui sua impietate aut infidelitate se à Christo excluderunt? Excluderunt sanè, sed non à natura Christi, cùm semper homines sint. Ergo in eo, quòd aliquo modo cum Christo comparatur, etiam à Christo participabunt. Naturam ille nostram in se viuificauit, & à mortuis excitauit. Naturæ igitur beneficium fortiètur, vt illa excitetur & reparetur: sed quoniam gratiã excluderunt, ideò gloria destituentur. Atqui vtrumque electorù corporibus reconditum est, & naturæ scilicet, & gratiæ, & gloriæ beneficium: cùm Christo non solùm adhæreant, quia homines sunt, eiusdem cum ipso naturæ: sed & quia gratiæ

*Tribus participamus in Christo.*

illius, nunc autem gloriæ communicant, quæ vt ante resurrectionem, animæ, ita tãdem corpori designabitur. Ex quo efficitur, vt illorum qui nunc beata requie perfruuntur, & venerabiles reliquias ducamus, & id ipsum fateamur, quod Ioannes Damascenus in eam sententiam cõcludit. Fontes nobis salutare reliquit Deus sanctorum reliquias (inquit) multimoda beneficia scaturientes, vnguentum suauitatis emanantes, quod nullus negare potest. Si enim ex rupe & firmo saxo aqua in eremis profiliit, & ex maxilla Asini Samsoni sitiienti: ex Martyrum reliquiis vnguentum suauè olens emanare incredibile est? Nullo pacto profectò iis qui sciunt Dei virtutem, & ab ipso sanctorum honorem, In lege, omnis qui tangebatur mortuum, immundus efficiebatur. Verùm ij non mortui sunt. Nam ex quo ipsa vita, iis qui vitæ causa est, inter mortuos computatus est: eos, qui in spe resurrectionis, & fide quæ in ipso est, dormierunt, non mortuos appellamus. Mortuum enim corpus quomodo miracula operari potest? Quomodo igitur per eos dæmones abiguntur, infirmi curantur, cæci vident, leprosi mundantur, tentationes & tristitiæ soluuntur? At verè impurissimus Vigilantius, cuius etiam nostris temporibus successores multi sunt, vt sanctas reliquias contemnendas assereret, puluerem in quem illæ resolutæ essent, sed & sanctos mortuos esse causabatur. Dolebat enim (inquit Hieronymus) Martyrum reliquias pretioso operiri velamine, & non vel pannis, vel

*De reliquiis sanctorum.*

*Lib. 4. de fide orthodox. cap. 16.*

*Exod. 17.*

*Num. 20.*

*Iudic. 15.*

*Num. 19.*

*Epist. 2. ad Riparium.*

Matth. 22.

Greg. Nyss.  
Orat. in  
Theodorum  
Martyrem.

cilicio colligari, vel proiici in sterquilinum, ut solus vigilantius ebrius & dormiens adoraretur. Mortuum suspicaris, idcirco blasphemus. Lege Euangelium. Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob, non est Deus mortuorum, sed viuorum. Nec quidem obstat, quod similem omnium corporum materiam perpēdas, cum alia huic & illi corpori vis insit, & quidem tanto maior, quanto is cuius corpus est, magis Christo adhæsit. Sic enim Gregorius Nyssenus de Theodori martyris corpore differit. Hoc (inquit) venerandum & immaculatum animæ instrumentum, quod suis vitiis & affectibus, illius inhabitantis incorruptibilitatem non læsit, cum multo honore & cultu compositum atque ornatum, Augusto sacroq; loco situm est. Multis enim singularibus & eximiis rebus præditum est, propter quas ad alia corpora, quæ communi ac vulgari morte dissoluta sunt, nec comparandum quidem est, idque in simili materia naturæ. Nam cætera quidem reliquiæ, etiam abominabiles plerisque sunt: ac nemo lubenter sepulchrum præterit, aut si inopinatò apertum offendit, deformitate nimirum earum rerum quæ inibi iacēt, faciem operiens, omni iniucunditate repletus, & humanæ naturæ conditioni grauer ingemiscens, prætercurrit. Quod si venerit ad aliquem locum huic similem, vbi sanctæ reliquiæ sunt, primùm quidem earum rerum magnificentia, quas videt, oblectatur: cupit deinceps ipsi conditorio appropinquare, sanctificatio-

nem ac benedictionem contrectationem eius esse credens. Itaque (vt monet Chrysostronus) *Hom. 7. de* non attendas cinerem sanctorum corporum, *natiuit. se-* nec fauillam reliquiarum carnis, omniæque *ptē Macha.* ossa consumpta temporibus: sed aperi oculos fidei, & vide diuina eos virtute & gratia Spiritus sancti amictos, & diuini luminis claritate radiantēs. Hi namque de superno solis circulo radij Christo emittente iaciuntur, & à corporibus eorum profiliētes, corusca luce fulgoris, sicut speciem Ecclesiæ gaudentis illustrant, ita faciem inuidētis diaboli obcæcant. Nam vt audaces latronū duces agnitis Regis insigniis deterrentur vt fugiant, ita profectò dæmones, vbi coronatorum Martyrum corpora viderint, ab eorum aspectu longè pauidi fugiunt. Vt autem intelligas vim illam, qua miracula fiunt, etiam in Martyrum reliquiis esse conditam, audi Cyrillum Hierosolymitanum. Cùm enim qui virtute mortuus, sepulchro Helisæi iniectus, excitatus sit, requirit: sic disputat, vt nec his, nec mortuo, nec soli animæ Helisæi, sed & eius ossibus tribuēdum sit. Nam ne quis id eorum fidei deferat, qui mortuum iniecerunt, illi inopinatò latronibus perculsi esse, sed & aliò corpus translaturi fuisse narrantur, qui fortè ibi sepultum Helisæum ignorabant. Præcipites & perterriti, vt fugam leuiùs arriperent, in proximum sepulchrum suum mortuum deiecerūt, non sepultum vllò modo veriti, sed suę tantùm saluti fuga consulentes. Sed & vt ad ossa Helisæi virtus illa deferatur, vt à

*Catech. 18.* Deo illis insita, statim vt illa mortuus attigit, reuixit: sicque (inquit Cyrillus) mortuum corpus Prophetæ opus animæ perfecit, & alteri vitam exhibens, ipsum nihilominus mortuum permansit. Qua de causa? Ne si resurrexisset Helisæus, factum id soli animæ adscribatur: & vt demonstretur, quò absente etiam anima, inest virtus quædam eiusmodi corporibus sanctorum, propter tot annorum inhabitatas in illis animas iustas, quorû ministerio vsæ sunt. Neque verò diffidamus, vt rerum ignari, fieri istud. Si enim sudaria & semicinctia extra corpus existentia, contacta ab ægrotis, liberabant illos ab infirmitate: quâto magis corpus ipsum Prophetæ mortuum excitauit? Hæc Cyrillus. Ideò scilicet Paulus: Vita (inquit nostra abscondita est cum Christo in Deo. Cùm autē Christus apparuerit vita nostra, tūc & nos cum ipso apparebimus in gloria. Cùm enim nos Christo inferamur, non anima modò, sed & corpore, vt simus os ex ossibus eius, & caro de carne eius: ex ipso quoque vitam haurimus, quæ etsi lateat, corporibus in cineres resolutis, manet tamen & abscondita est cum Christo in Deo: vt cùm ille in secundo aduentu apparuerit, appareat & illa nobis insita. Ex quo fit, vt quo quis magis Christo adhæreat, eo maior virtus eius cineribus insit: vnde nec reliquiarū virtus aspernanda sit, nisi simul & corporum futura gloria, & resurrectionis spes abiiciatur. Sic enim differit Æneas Gazæus in Theophrasto. Si nostra corpora omninò rediguntur in

nihilum, quamobrem eis tanta virtus insedit, vt sepulchris condita plus possint, quàm olim cùm terra tota oberrarent. Multa enim bonorum virorum corpora, quæ etiam Phalanges dæmonum tantopere terrerent, quanto ipsi vexabant hominem à se captum atque possessum: itémque morbos innumeros, quibus curandis ars medica non suffecerat, ipsa facile curarent. Si verò futuræ illius immortalitatis omninò expertia essent, certè etiam infirma, superuacanea, prorsusque abiecta sint necesse est.

*De vita æterna: quàm necessaria sit & utilis illius consideratio: vt è scripturis elicitur, corpora etiam, & animas electorum illustrabit. Vbi de visione Dei, & an corporalibus oculis electi Deum visuri sint.*

**M**AGNAM quidem diuturnis laboribus consolationem adfert in futurum repositæ quietis meditatio: quanto verò maiorem nobis ingerit futura illa vita, quàm nobis verbum Domini repromittit? Si quid enim hîc amittimus, quid est quod non illius consideratio emolliat? Pelle pro pelle, & omne quod habet homo, dabit pro anima sua: tanti caduca hæc vita æstimatur. Quis verò non vitam temporalem cum æterna commutet? Quid si vita æterna electis rependitur, non pro Christo & fide exponamus? Potius corpus bonis illis

temporalibus, quibus nos mundus ad se allucit: potior vita omnibus, etiam si transitoria sit, nam & bona hæc caduca, & omnes corporis partes conseruandæ illi & tuendæ omnes impendimus. Quid igitur non cum æterna vita commutemus? Ecce scilicet quantos labores omnes subimus, ut ad instar formicæ, in futurum messem aliquam, & nostræ vitæ etiam labilis & fluxæ quietem recondamus. Nam &

*Impiger extremos currit mercator ad Indos:*

& licet aliquando procellosis maris fluctibus iactatus, tam difficilia pericula reiecit videatur, tandem tamen

*-reficit rates*

*Quassas, indocilis pauperiem pati.*

Hæc spes lucri, spes quietæ in posterum senectutis, non modò facilia, sed & læta reddit & alacria. Quid igitur nos non subeamus, si vitam illam æternam attendamus? Si enim pro vita labili omnia, quid non pro immarcessibili & beata impendamus? Hic est ergo nostræ confessionis postremus articulus, ut summa omnium fidelium merces & finis, in quem omnes conspirare debeamus. Hic est veræ religionis fructus, ne quis caducis his hæreat, & spem in diuitiis, honoribus, voluptatibus, & cæteris quæ à mundo sunt, sibi repromittat.

Quid enim aliud illa sunt, quàm fumus ad modicum apparens? quid in his stabile? quid non labile & caducum est? Quis verò eorum, quibus omnia in mūdo magis pro voluntate succedunt, non summis votis diu sanus & incolu-

*Horat. l. 1.  
edatum.*

mis viuere desideret? Quanto magis semper & sanum esse, & hîc licet in assuetis hominibus curis versari? Quid ergo si in æterna Dei bona oculos erigamus? Ut enim nihil sub sole permanet, ita supra solem, & in conspectu Dei, æternæ nobis vitæ merces reposita est, quam simul omnia bona consequantur. Hanc verò nobis sacra confirmant oracula, etiam nobis in Christo communicandam iri. Sic enim Deus *Ioan. 3.* dilexit mundum, ait Christus, ut filium vnigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Hanc mercedem Christus suis exhibet, ut omnium potissimâ, quæ pro nostris pro eo omnibus, etiam leuibus obsequiis commutetur. Amen dico *Luc. 18.* vobis (inquit) si quis reliquerit domum, aut parentes, aut fratres, aut uxorem, aut filios, aut agros, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Hoc nobis præmium in Christo repromittitur: non terra aliqua Chananæorum, lacte & melle manans, quæ tamen & bellis, & circumuicinarum gentium incursionibus impetatur, qualem Israëlita post tot & labores, & bella, & peregrinationes expectabant: sed terra viuentium, quæ verum sabbathum, veram ab omnibus afflictionibus & laboribus quietem communicet. Hæc nobis per Christum confertur. Ut enim gratia & veritas per Christum facta, è conspectu Mosi proponitur, qui legem tantum promulgauit, & terram, quam tamen non ingressus est, pollicebatur: ita vita æterna, velut summæ gratiæ merces, Christum



*Rom. 6.*  
*Esai. 9.*  
*Apc. 7.*  
*4. Esd. 2.*  
 omnem & sanctificationem & perfectionem homini conferre testatur. Gratia enim Dei, vita æterna est, inquit Apostolus. Inde scilicet Esaias illum patrem futuri seculi nuncupat. Hoc Esdras sibi in visione reuelatum scribit, non longè quidem ab illa, quæ Ioanni in Pithmos contigit. Ego Esdras (inquit) vidi in monte Syon turbam magnam, quam numerare non potui, & omnes canticis collaudabant Dominum. Et in medio eorum erat iuuenis statura celsus, eminentior omnibus illis: & singulis eorum capitibus imponebat coronas, & magis exaltabatur. Ego autem miraculo tenebar. Tunc interrogavi Angelum, & dixi: Qui sunt hi, Domine? Et respondens dixit mihi: Hi sunt qui mortalem tunicam deposuerunt & immortalem sumpserunt, & confessi sunt nomen Dei. Modò coronantur, & accipiunt palmas. Et dixi Angelo: Ille iuuenis quis est, qui coronas imponit, & palmas in manus tradit? Et respondens dixit mihi, Ipse est Filius Dei, quæ in seculo confessi sunt. Æterno enim æterna merces debebatur quam fidelibus seruis summa liberalitate largiretur. Nec verò eorum omnium qui hominem redimere poterant, aliquis æternus est præter filium Dei, itaque vita æterna ipsius donum, ipsius denique stipendium esse debuit, in quod attenderent, quicumque eius fidelibus obsequiis deuouerent. Ideò Paulus: Nunc (inquit) liberati à peccato, serui autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam. Et alibi, Reddet enim

*Rom. 6.*

enim unicuique secundum opera eius, iis quidem qui secundum patientiam boni operis, gloriam & honorem & incorruptionem quaerunt, vitam æternam. Ea propter ipse Christus aquæ typum Samaritidi suggestit, vt hinc ad illius vitæ meditationem eleuaret, quam etiam aquam viuam nuncupauit. Sed & in templo clamabat: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat de aqua vitæ gratis. Qui credit in me (sicut dicit Scriptura) flumina de ventre eius fluent aquæ viue. Et rursus, Oves meæ vocem meam audiunt, & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis. Et, Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Hæc illum mouebat, qui dicebat: Quid faciendo vitam æternam possidebo? Sed & Petrum in Christi confortio, multis etiam recedentibus, continebat. Ait enim, Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes. Hæc est spiritualis in Christo conseruationis merces, vt qui seminat in spiritu, de spiritu metat vitam æternam. Ideò enim ille mortem deglutiuit, vt vitæ æternæ nos heredes efficeret. Et Ioannes, Hæc est repromissio quam pollicitus est, vitam æternam. Et rursus, Hoc est testamētum, quod vitam æternam dedit nobis Deus, & hæc vita in filio eius est. Sicut enim pater habet vitam in semetipso, sic dedit & filio vitam habere in semetipso, quam in sua membra influat. Eapropter enim ait: Qui manducat me, ipse viuet propter me. Nam qui habet filium, habet vitam: qui non habet filium Dei, vitam non habet. Nam cum de re-

*Ioan. 4.*

*Ioan. 7.*

*Ioan. 10.*

*Ioan. 12.*

*Marc. 10.*

*Gal. 6.*

*1. Pet. 3.*

*1. Ioan. 2.*

*5.*

*Ioan. 5.*

*Ioan. 6.*

*1. Ioan. 5.*

RR

*Ioan. II.* resurrectione apud Martham differeret, Ego sum (inquit) resurrectio & vita. Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, viuet: & qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum.

Cæterum vita æterna aut penes corpus, aut penes animam attendi potest. Penes corpus quidem, vt diximus, statim atque resurrexerit. An verò (dixerit aliquis) vita illa reprobis re- pendetur? Minimè sanè. Ait enim Christus processuros qui bona egerint, in vitam æter- nam: qui verò mala, in ignem æternum. Et rur- sus, *Math. 25.* *Ioan. 5.* Qui credit in me, in iudicium non venit, sed transiet à morte in vitam. Hic verò hare- bit, qui corporum rediuiuorum incorruptio- nem audierit. Nam si omnia etiam reprobo- rum corpora in æternum duratura sunt, quo- modo non illis vita æterna conferri dicatur? Itaque magna vis huius vitæ attendenda est, ne aut resurrectioni omnium, aut electorum gloriæ fiat iniuria. Quid est igitur vita illa æ- terna, nisi perpetua omnium bonorum in Deo fruitio? Vita enim hoc maximè dicitur, quod quietem & securitatem habet. Mors verò po- tius dicenda est hæc vita, quæ perpetuam cala- mitatem & miseriam annexam habet. Sic Iob infernum depingit, in quo vmbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabi- tat. Sic & Psaltes de reprobis ait: Sicut oues in inferno positi sunt, mors depascet eos. Supplicium enim æternum quomodo non potius æterna mors dicendum est, quàm vita? Et tamen æternum supplicium esse non po-

test, nisi in iis qui perpetuò viuant. Nec enim nisi qui viuit, suppliciis afficitur. Verùm hæc vita, non ea est quam speramus, quam credi- mus, & magna confidentia nobis in Christo repositam attendimus. Verùm quomodo illa etiam electorum corpori communicabitur? Vtrique per dotes illas, quæ gloriosa corpora afficiunt. Erunt enim illa leuia, lucida, & tanto ad Christi corporis gloriam accedent magis, quanto illi per fidele obsequium adhæserunt. Quis enim non credit Christi corpus insigni gloria superuestitum? Denique quomodo bea- ta illa vita non electorum corpora afficiat, quæ illius beneficio ab omni fame, siti, cæte- ris denique infirmitatibus aut afflictionibus liberanda sunt? Atqui non idem reproborum corporibus continget, cum illa perpetuis tor- mentis deuoueantur. Neque sanè hanc vitam initio. Adam assecutus fuisset, etiam si non pec- casset. Quorsum enim illi arborum fructus, quorsum herbæ in cibum datæ sunt, nisi quòd cibus adhuc egeret? Hac verò necessitate in re- surrectione liberabimur. Ex quo fit, vt (teste Augustino) corpora nostra spiritualia tandem vocentur. Non solùm enim non erit tale, qua- le nunc est, in quauis optima valetudine (in- quit) sed nec tale quidem, quale fuit in primis parentibus ante peccatum. Qui licet moritu- ri non essent, nisi peccassent, alimentis tamen, vt homines, utebantur, nondum spiritualia, sed adhuc corporalia gestantes. Alebantur, ne animalia corpora aliquid molestiæ esuriendo

*Lib. 13. de  
ciuit. Dei.  
cap. 20.*

ac sitiendo sentirent. De ligno autem vitæ propterea gustabant, ne mors eis vndeunque subreperet, vel senectute confecti, decursis temporum spatiis interirent, tanquam cætera essent alimento, istud sacramento: vt sic fuisse accipiatur lignum vitæ in paradiso corporali, sicut in spirituali, hoc est, intelligibili paradiso, sapientia Dei: de qua scriptum est, Lignum vitæ est omnibus amplectentibus eam. Rectè itaque Paulus primum hominem à secundo discernit, quòd primus factus est in animam uiuentem, secundus in spiritum viuificantem. Nec enim illa æterna vita rediuiuis electorum corporibus, animæ creatæ, sed inhabitatis Spiritus sancti beneficio conferetur, cuius etiam virtute spiritualia reddentur. Magna est verò, & nostræ mentis vires superat, vitæ illius eternæ meditatio. Nam (vt scribit Augustinus libro tertio de symbolo ad Catechumenos) faciliùs possumus in illa vita æterna, quid non sit, quàm quid sit, dicere. Non est ibi mors, non est ibi luctus, non est ibi lassitudo, non est infirmitas, non est fames: nulla sitis, nullus æstus, nulla corruptio, nulla indigentia, nulla mœstitia, nulla tristitia. Ecce diximus quid ibi non sit. Quid autem ibi sit, vultis nosse? Hæc nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se. Quam enim vitam, quam fœlicitatem illi comparabis? An vitam illam nostram quâ hîc viuimus? quæ vapor est ad modicum parens, vt scribit Iacobus. Nam (vt ait

Prov. 3.

Cap. 11.

I. Cor. 2.

Iacob. 4.

Iob homo natus de muliere, breui viuēs tempore, repletur multis malis, quasi flos egreditur & conteritur, & fugit velut umbra, & numquam in eodem statu permanet. Quam autem hîc fœlicitatem meditemur, vbi omnia lubrica sunt & incerta? Quid igitur cum illa vita conferas? Quomodo verò illam, nisi per fidem apprehendes? Etsi tamen etiam in rerum ordine aliquam eorum quæ credimus coniecturam habeamus. Nam quòd nostra corpora in melius commutanda, & vitæ æternæ comunicata dicimus, hoc mihi in ipsis rebus quæ fiunt ab hominibus prospice. Neque enim incredibile est, materiam in meliorem statum immutari, inquit Axitheus. Nam & apud nos qui materiæ peritiam aliquam habent, ij sibi argentum & stannum sumunt, priore metalli genere deleta, materiam ipsam in augustius & pretiosius conuertunt, atque aurum pulcherrimum efficiunt. Pariter etiam arena dispersa, & nitrum diffusum iacent: at ars humana vitrum ex his nouum & perspicuum vt fiat, excogitauit. Plantarum autem mutationes, vel agricolarum pueri canunt. Quid igitur cum, qui creauit homines, hominibus ipsis imbecilliores & rudiores suspicamur? An non debebat earum rerum, quæ quotidie eueniunt, seu fides, seu certa ac firma persuasio, vt ne de futuris dubij perplexique effemus, prohibere? Resurget itaque hoc corpus (inquit Cyrillus) sed non tale, at verò æternum erit. Non amplius eiusmodi cibus ad vitam opus habebit,

Iob. 14.

neque scalis ad adscensum: fiet enim spirituale. Admirandum quid, & quale pro dignitate declarare nequimus. Iusti splendebunt ut sol, & tanquam luna, & sicut splendor firmamenti.

Porro præuidens istam hominum incredulitatem Deus, vermibus paruulis æstate lucidum dedit corpus, ut ex apparentibus crederetur id quod expectamus. Qui enim partem potest præstare, poterit & totum: & qui fecit ut vermis lumine splenderet, multo magis illustrabit hominem iustum. Excitabimur ergo æterna habentes corpora, omnes autem similia: sed qui iustus est, corpus accipiet cæleste, ut possit cum Angelis dignè conuersari: si verò peccator est, accipiet corpus æternum, quò sufferre possit pœnas peccatorum, ut perpetuò in igne ardeat, & numquam dissoluatur. Neque tamen corporum naturam dissoluendam putemus, ex eo quòd illa spiritualia surrectura credimus. Erit caro, non spiritus: sicut carni subditus fuit spiritus ipse carnalis (inquit Augustinus) sed tamen spiritus, non caro. Cuius rei experimentum habemus in nostræ pœnæ deformitate. Non enim secūdum carnem, sed utique secūdum spiritum carnales erant, quibus ait Apostolus: Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Et homo spiritualis, sic in hac vita dicitur, ut tamen corpore adhuc carnalis sit, & videat aliam legem in suis membris, repugnantem legi mentis suæ. Erit quoque corpore spiritualis, cum ca-

Nota.

Lib. 22. de  
ciuitate Dei.  
cap. 21.

I. Cor. 3.

dem caro resurrexerit. Sic autem spiritualis erit, ut nec pondere grauetur, ne iis omnibus quæ corruptionem dicunt, afficiantur. Ex quo efficitur, ut facilè electorum corpora ad cæleste habitaculum transferri possent credamus. Si enim (ut docet Augustinus) ars humana efficit, ut in metallis, quæ in aquis posita, continuò submerguntur, quibusdā modis. vasa fabricata etiam natate possint: quanto credibilior est & efficacior occultus aliquis modus operationis Dei, cuius omnipotentissima voluntate Plato dicit, nec orta interire, nec colligata posse dissolui?

An verò, si hoc Angeli faciunt, ut quælibet animalia terrestria rapiant vnde libet, constituantque vbi libet, aut eos sine labore non posse, aut onera sentire credendum est? Cur ergo sanctorum perfectos atque beatos diuino munere spiritus, sine vlla difficultate posse ferre quò voluerint, & sistere vbi voluerint sua corpora non credamus? Acutè enim sibi nonnulli argumentari visi sunt (ut rursus Augustinus in vigesimo secundo de ciuitate Dei describit) qui id dicebant, quod in tertio de republica libro à Cicerone commemoratum est. Nam cum Herculem & Romulum ex hominibus Deos esse factos asseuerant, quorum non corpora (inquit) sunt in cælum elata: neque enim Natura pateretur, ut id quod esset de terra, nisi in terra maneret. Hinc est magna ratio sapientum, quorum Dominus nouit co-

Lib. 13. de  
ciuitate Dei.  
cap. 18.

Cap. 4.

gitationes, quoniam vanæ sunt. Si enim animæ tantummodò essemus, id est, sine vlllo corpore spiritus, & in cœlo habitantes, terrena animalia nesciremus, nobisq̄ futurum diceretur, vt terrenis corporibus animandis, quodam vinculo mirabili neceremur: nõne multò fortius argumentaremur, id credere recusantes, & diceremus naturam non pati, vt res incorporea ligamento corporeo vinciretur? Et tamen plena est terra vegetantibus animis, quibus hæc terrena membra miro modo sunt connexa & implicita. Cur ergo eodem volente Deo, qui fecit hoc animal, non poterit: terrenum corpus in cœleste corpus attolli, si animus hæc omnia terrena transcendens, per hoc etiam cœlesti corpore præstabiliior, terreno corpori potuit alligari?

An terrena particula tam exigua potuit aliquid cœlesti corpore melius apud se tenere, vt sensum haberet & vitam, & eam sentientem atque viuentem dedignabitur cœlum suscipere, aut susceptam non poterit sustinere: cum de re sentiat, & viuat ista meliore, quàm est corpus omne cœleste? Sed idèd nunc non fit, quia nondum est tempus, quo id fieri voluit. Cum autem vita illa æterna perfrui incœperimus, simul etiam agilia & lenia corpora nostra erunt. Ex his sequitur vitæ æternæ beneficium in corporibus electorum attendi posse. At verò vitæ æternæ potissima ratio ad animam cuiusque referetur, cum in

clara Dei visione consistat. Idcirco scilicet olim (vt scribit Irenæus) per multas dispositiones visibiles Deus hominibus apparuit: quin & ipse se in filio hominem exhibuit. Gloria enim Dei viuens homo, vita autem hominis visio Dei est. Si enim quæ est per conditione ostensio Dei, i vitam præstat hominibus in terra viuentibus, multò magis ea quæ est per verbum manifestatio Patris, vitam præstat his qui vidēt Deum. Eam ob causam Dominus radicem atque originem æternæ vitæ, fidem & veræ pietatis virtutem esse affirmat, & illa in vera Dei cognitione constituit, cum ait, Hæc est vita æterna, vt cognoscant te Deum verum, & quem misisti Iesum Christum. Nam (vt definit Cyrillus Alexādrinus) cognitio vita æterna est, quia totam mysterij virtutem parturit, & mysticæ benedictionis affert participationem, per quã viuifico verbo coniungimur: quæ quasi mater, virtute naturaque sua, vitam æternam parit. Videmus autem nunc per speculum in enigmate, videmus per fidem: & tamen illa visio nobis vitam communicat, illa nos ad æternam vitam deducit. Nam qui credit in me, si mortuus fuerit, viuet, inquit: quantò magis igitur vita æterna erit, cum viderimus illum sicuti est? Sed vtrū electi videbūt & per oculos corporis, cum eos apertos habebunt, inde quæstio est, inquit Augustinus. Verum Deus cum spiritus sit purissimus, quomodo corporis oculis videri poterit? Vis quidem oculorum corporalis, spiritualis excitabitur, & præpollētior erit, nõ vt acutiùs

*Lib. 4. contra hæres. Cap. 37.*

*Lib. 11. in 1o. cap. 16.*

*An electi Deū oculis corporali- bus visuri sint. Lib. 22. De ciui. Dei Cap. 26.*

videant, quā quidē perhibētur videre serpētes & aquilę. Quātalibet enim acrimonia cernendi eadem quoque animalia nihil aliud possunt videre quā corpora, sed vt videant & incorporalia. Et fortassē ista virtus magna cernendi data fuerit ad horam etiam in isto mortali corpore, oculis sancti viri Iob, quando ait ad Deū: In obauditu auris obaudiebam te prius: nunc autem oculus meus videt te: propterea despexi memetipsum, & distabui, & existimaui me terram & cinerem. Quamuis hīc nihil prohibeat oculum cordis intelligi, quo Deum ibi videri in gloria ambigit nemo, qui fideliter accipit, quod ait Deus ille magister, Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Sed vtrum etiam corporalibus oculis ibi videatur, hoc in ista quæstione versamus. Illud enim quod scriptum est, Et videbit omnis caro salutare Dei: sine vllius difficultatis modo sic intelligi potest ac si dictum fuerit, Et videbit omnis homo Christum Dei, qui vtrique in corpore visus est, & in corpore videbitur, quando viuos & mortuos iudicabit. Hoc autem euidentius verba illa Simeonis senis declarant, Viderūt oculi mei salutare tuū. Quod autē Iob, sicut in exēplari- bus quæ ex Hebro sunt, inuenitur, ait: Et in carne mea videbo Deum: resurrectionem quidem carnis sine dubio prophetauit, non tamen dixit per carnem suam. Quod quidem si dixisset, posset Deus Christus intelligi, qui per carnem in carne videbitur. Nūc autē potest & sic accipi. In carne mea videbo Deum; ac si dixisset

Iob. 42.

Matth. 5.

Luc. 3.

Iob. 19.

In carne mea ero, cum videbo Deum. Et illud <sup>1. Cor. 13.</sup> quod ait Apostolus, Facie ad faciem, non cogit vt Deum per hanc faciem corporalem, vbi sunt oculi corporales, nos visuros esse credamus, quem spiritu sine intermissione videbimus. Nisi enim esset etiam interioris hominis facies, nō diceret idem Apostolus: Nos autem reuelata facie gloriam Domini spirituales, in eandem imaginem transformamur, de gloria in gloriam, tanquam ad Domini specular. Nec aliter intelligimus quod in Psalmo canitur, Accedite ad eum, & illuminamini, & facies vestræ non confundentur. Fide quippè acceditur <sup>psal. 13.</sup> ad Deum, quam cordis constat esse, non corporis. Sed quia spirituale corpus nescimus quantos habeat accessus, de re quippè inexperta loquimur, vbi aliqua quæ aliter intelligi nequeant, diuinarum scripturarum non occurrit, sed succurrit autoritas: necesse est, vt contingat in nobis, quod legitur in libro Sapientię, Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ prouidentię nostræ. Eludit tandē Augustinus <sup>4. Reg. 5.</sup> Philosophorum ratiocinationem, qua intelligibilia à mentis aspectu, & sensibilia à sensu posse videri concludunt: cum Deus spiritus etiam corporalia videat, & Helisæus Propheta spiritualibus oculis Naaman de curru suo in occursum Giezi descendentem prospexerit. Sicut ergo (inquit) cōstat videri corpora spiritu, quid si tanta erit potentia spiritualis corporis, vt corpore videatur & spiritus. Aut ergo per illos oculos sic videbitur Deus, vt aliquid ha-

beant in tanta excellentia menti simile, quo & incorporea natura cernatur: quod nullis exemplis, siue scripturarum diuinarum testimoniis, vel difficile, vel impossibile est ostendere. Aut quod est ad intelligendum facilius, ita Deus nobis erit notus atque conspicuus, ut videatur spiritu à singulis nobis in singulis, nobis videatur ab altero in altero, videatur in semetipso, videatur in cælo nouo, & in terra noua, & in omni quæ tunc fuerit creatura: videatur & per corpora in omni corpore, quocumque fuerint spiritualis corporis oculi, acie perueniente directi. Patebunt igitur cogitationes inuicem nobis. Tunc enim implebitur, quod Apostolus, cum dixisset, Nolite ante tempus iudicare, tandem intulit, Donec veniat Dominus, & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit cogitationes cordium, & tunc laus erit unicuique à Deo. Hæc Augustinus. Cæterum ita visio vita est, quia per visionem illo, qui est vera vita, perfruimur. Quia verò ille, qui vita est, & lux hominum, infinitus est, finita autem mens hominis, idèò lumine egebit, quo acies oculorum eius viuacior sit, & sicut ait Psaltes, in lumine lumen videat. Sicut enim lumine gratiæ indiguit, quo in Deum per fidem eleuaretur, dum hinc in mortali esset corpore: sic tandem lumine gloriæ illustrabitur, quo Deum ipsum, qui vera vita est, contempletur. Nam (ut scribit Cyrillus Hierosolymitanus) vita existens & vera omnium, Pater est, & filius, cum Spiritu sancto: à quo tanquam à fonte fluunt

1. Cor. 4.

Catech. 18.

cælestia dona, propter illius benignitatē, qui nobis hominibus ea quæ pertinent ad vitam æternam, verissimè annuntiauit. Neque diffidendum est, quasi id impossibile sit, cum non sint condignæ passionēs huius temporis ad futuram gloriam, cumq; licet omnia fecerimus quæ præcepta sunt nobis, nos seruos inuitiles censere debeamus: non enim ad nostram imbecillitatem, sed ad illius potentiam respicientes, oportet credere. Omnia enim possible sunt apud Deum. Cum autem & hoc sit possibile, vitam æternam expectamus. Cæterum acquirendæ illius vitæ modi sunt varij. Aliquando enim per fidem: ut cum scriptum est, Qui credit in filium Dei, habet vitam æternam. Et rursus, Amen dico vobis, quia qui audit verba mea, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam. Aliquando autem per martyriū, & Christi confessionem, & Euangelicam prædicationem. Dicit enim, Et metens, fructum accipit, & congregat in vitam æternam. Aliquando etiam, si parentes, amicos, & propinquos propter Christum reliquerimus: qui enim talis est, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Sed & per mandatorum obseruationem vita illa acquiritur: sicut & ei demonstratum est, qui modum illius acquirendæ sciscitabatur: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Est & hic modus, ut improbis relictis operibus Deo seruiamus. Benignus enim cum sit Dominus, non vnū, neque alterum tantum, sed multas æternæ vitæ animas aperuit, ut omnes, quan-

modi que-  
rendæ vitæ  
æternæ va-  
rii.

Per fidem.

Ioan. 4.

rum in ipso est, absque impedimento illa potiri possent. Cæterum cum omnis eorum quæ piè desiderari possunt, cumulus, omnis quies, in Deo sit: quomodo non simul omnia habeat, qui vita æterna donatus fuerit? Hoc ergo credimus, & hoc speramus. Nam (vt scribit Athenagoras) scimus nos hac mortali vita defunctos, alteram hac terrestri longè meliorẽ, nempe cœlestem, victuros: vt apud Deum, & cum ipso iam immutabiles, & impassibili animo, tanquam caro, etiamsi eam circumferamus, sed tanquã spiritus cœlestis maneamus. Hanc è summa Dei liberalitate propositam fidelibus & piis Christi Iesu pugilibus attendentes, nunc omnem carnis concupiscentiam superare, & in omnes Sathanæ rætationes eniti, Deo quoque per fidem inuincibilem, & pietatem ardentissimam adhærere debemus. Hæc enim nostri operis & certaminis, hæc votorum nostrorum consummata fœlicitas erit, quam vt primùm Christo, ita demùm & ipsius membris, qui est omnis & perfecti boni fons indeficiens, communicabit. Iam verò quoniam illa omnia, quæ in nostræ fidei Symbolo dicta sunt, verissima & certissima esse indubiè credimus, Deum scilicet vnum esse, Patrem, & filium, & Spiritum sanctum: vnum creatorem cœli & terræ, filium verò humani generis reparatorem, per quem redempti & liberati sunt, Spiritum sanctificatorem, Ecclesiam sanctam Catholicam & Apostolicam, vnam Christi & simplicissimæ veritatis scholam profiteamur:

quodque confidimus vnius Dei per Christum beneficio nos purgari, sanctificari, & iustificari: idè verò mutuam Christi membrorum communionem esse, pœnitentiam verò prædicari in remissionem peccatorum, vt rediuiuo corpore nostro, æterna vita perfrui possimus, idcirco dicimus, *Amen*. Vox enim à fide & veritate proficiscitur. Vox quidem Hebraica, ab אמן Aman, quod est Credidit: à quo & Emunim fideles vocentur, & Emunah, & Emeth, fides seu veritas nuncupetur. Hac ergo voce, vt omnia hæc quæ diximus, certissima esse protestamur, ita illius fidei fructum sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, vitam æternam, nobis communicari, summis votis exoptamus.

## ORATIO.



*ET* igitur hoc in nobis, o pie Iesu, fiat quicquid ex te in tua membra & gratia & gloria, vt limpidissimo & uberrimo fonte, derivari credimus. Adauge in nobis fidem, confirma nos in veritate tua, in sanctis Ecclesie traditionibus & decretis, in Scripturarum doctrina, in Patrum pietate, & religione. Fac nos hic gustare, & videre quam suavis sis, quam bonus præ omnibus, quam iustus, quamque sis omnipotens. Da tuam ipsius humiliationem, incarnationem, conceptionem, natiuitatem, & illam quam pro nobis miseris peccatoribus passionem acerbissimam pertulisti: vt Et resurrectionis, & gloriæ tuæ fructum adipisci valeamus. Sed



O R A T I O

eum illa non nisi per spiritum sanctum tuum, in una tua Ecclesia Catholica & Apostolica communicentur: ne quæso, dulcissime Redemptor, exigentibus etiam nostris delictis & infirmitatibus, nos à tuo spiritu, & à te ipso separari permitte: sed redde nobis lætitiã salutis tuæ, & spiritu principali cõfirma nos. Excita igitur nos iacentes, confirma dubitantes, dirige errantes, in Ecclesiæ Catholicæ & Apostolicæ gremio, in summi Pontificis & Patrum obedientia & reuerentiã nos contine. Fac, ô benignissime, ut tibi, tuisque membris communicemus, ut qui proprio conscientia reatu succumbimus, eorum meritis & precibus emergamus. Languidos sana, cæcos illumina, curuos erige, onere peccatorum nostrorum grauatos subleua, & largã iniquitatum nostrarum remissione nos recrea: ut cum nostra corpora è terra fauilla prodierint, æterna vita perfrui possimus. Per te hominum amantissime Iesu, qui cum Patre & Spiritu. vnus & regnas Deus. Amen.

F I N I S.

INDEX HVIVS LIBRI, CUIVS  
NUMERVS FOLIVM  
designat.

A

<i>Abrahæ fides</i>	f. 8
<i>Abrahæ nomen cur mutatum</i>	fr 233
<i>Adam idem quod terrenus</i>	f. 106
<i>Adam semper fidelis</i>	f. 225
<i>Adam suos filios instruxit</i>	ibidem
<i>Adamiani</i>	f. 250
<i>Aduentus Christi duo</i>	f. 180. 181
<i>Aduentuum Christi Antithesis</i>	f. 182
<i>Aegrorum superstitio ad incantatores</i>	f. 49
<i>Aequalitas patris &amp; filij</i>	f. 124. 126. 127.
<i>Alexander Episcopus orans exauditur</i>	f. 125
<i>Alexander magnus legem Moysis confirmat</i>	f. 44
<i>Amphilochius filium Cesaris cur non salutat</i>	f. 125
<i>Amphilochij libera Cesaris responsio</i>	ibidem
<i>Angeli hominum custodes, secundum Ethnicos</i>	f. 101
<i>Angeli in gratia creati</i>	f. 100
<i>Angeli natura boni</i>	f. 01
<i>Angeli nomine cæli intellecti</i>	f. 200
<i>Anima inuisibilis</i>	f. 86
<i>Animæ affectus sine corpore</i>	f. 87
<i>Antropomorphitæ</i>	f. 86
<i>Apostoli defuncti mortuis euangelisant</i>	f. 162
<i>Apostoli iudices in extremo die</i>	f. 186
<i>Apostolorum Coryphæus</i>	f. 234. 235
<i>Apostolorum dispersio</i>	f. 252
<i>Apostolorum symbolum</i>	f. 76. 77
<i>Apostolorum Typus</i>	f. 35

SS

## INDEX.

<i>Argumentis probata Christi Ascensio</i>	f.173.174
<i>Argumentis probata resurrectio</i>	f.167
<i>Argumentis probata mortuorum resurrectio</i>	297.298
<i>Argumentis probata spiritus. Deitas</i>	199.100
<i>Argumentis probatus partus virginalis</i>	f.134
<i>Aristoteles versatus cum Iudao.</i>	f.41
<i>Aristoteles unicum Deum agnoscit</i>	f.80
<i>Aristoteli non constat de Deo</i>	f.79
<i>Arij confessio subdola</i>	f.125
<i>Arij exilium</i>	ibidem
<i>Arij hæresis</i>	f.124
<i>Arij hæresis quos infecerit</i>	ibidem
<i>Arij miserabilis mors</i>	f.125
<i>Arriani mulierculas decipiunt</i>	f.126
<i>Arrogantia hæresis initium</i>	f.15
<i>Arrogantia Pseudoprophetarum</i>	f.210.211.212.214
<i>Arrogantia notati hæretici</i>	f.209.212.222
<i>Arspicibus ridicula deorum multitudo</i>	f.80
<i>Ascensio Christi</i>	f.170.
<i>Ascetarum error de Deo</i>	f.86
B	
<i>Baptismatis unctio</i>	f.117
<i>Baptismi Christi &amp; Ioannis differentia</i>	293
<i>Barbari fideles traditioni credunt</i>	24
<i>Barbari non barbari</i>	ibidem
<i>Barbari qui dicantur</i>	40
<i>Basilica mira Sibyllæ</i>	33
<i>Besza blasphemus</i>	157.158
<i>Blasphemia Calvinistarum</i>	147
C	
<i>Cæcitas intrinseca</i>	8

## INDEX.

<i>Charitas perfectio legis</i>	2
<i>Christiani sunt Christophori</i>	271
<i>Christi certamen in cruce</i>	154
<i>Christi contumelia per Sibyllam notata</i>	142.143.145
<i>Christi descensus ad inferos</i>	149.150
<i>Christi effigies à rege persarum desiderata</i>	251
<i>Christi esse multipliciter dicitur</i>	237
<i>Christi manibus cornua</i>	146
<i>Christi nomen commune Regi &amp; Sacerdoti</i>	116
<i>Christi nomina ex prophetis</i>	f.113.114
<i>Christi Sacerdotium trinum</i>	120
<i>Christus nomen officij</i>	116
<i>Christus caput Ecclesiæ</i>	223
<i>Christus catulus leonis</i>	165.166
<i>Christus cur ascendit</i>	174
<i>Christus cur nomen elegit</i>	144
<i>Christus cur passus</i>	139
<i>Christus Deus ex Sibylla</i>	123
<i>Christus est alicubi dupliciter</i>	161
<i>Christus fidei fundamentum</i>	1
<i>Christus inter mortuos liber</i>	155
<i>Christus iudex &amp; non iudex</i>	181
<i>Christus lapis, Leo, Ovis,</i>	112
<i>Christus lux</i>	19.22
<i>Christus mediator</i>	194
<i>Christus notis hieroglyphicis notus</i>	27
<i>Christus non ociosus in triduo</i>	153
<i>Christus quomodo ascendit</i>	172.173
<i>Christus quomodo de spiritu sancto.</i>	133
<i>Christus quomodo derelictus in morte</i>	148
<i>Christus quomodo in corde terre</i>	156

I N D E X.

<i>Christus quomodo in inferno predicavit</i>	160
<i>Christus quomodo indicaturus</i>	156
<i>Christus quomodo passus</i>	139.142.142
<i>Christus quomodo stet &amp; sedeat à dextris Dei</i>	177
<i>Christus quos dolores soluerit</i>	159
<i>Christus Rex ab aeterno</i>	118.178
<i>Christus sacerdos ordinis Melchisedech</i>	119.120
<i>Christus securus in morte</i>	148
<i>Christus veram habet animam</i>	141
<i>Christus unde dicitur</i>	116.117
<i>cæli nomine Angeli intelliguntur</i>	100
<i>cæli plures</i>	172
<i>Cognitionis modus triplex</i>	11
<i>Concilia quatuor principalia</i>	259
<i>Conciliij locum quem teneat imperator</i>	ibidem
<i>Concilium Apostolorum</i>	258
<i>Concilium Calcedonense</i>	262
<i>Concilium Constantinopolitanum</i>	261
<i>Concilium Ephesinum</i>	ibidem
<i>Concilium Nicenum</i>	256
<i>Communio sanctorum</i>	270.274.283
<i>Communio sancti in Eucharistia</i>	272.273.274
<i>Communio Ecclesie militantis</i>	275
<i>Confessio Nabugodonosor</i>	188
<i>Confessio extrema Antiochi</i>	ibidem
<i>Confessio extrema Iuliani Apostate</i>	ibidem
<i>Conscientie reatus</i>	187
<i>Constantinopolis nova Roma</i>	271.262
<i>Corpus Christi ab Angelis adoratum</i>	179
<i>Corpus Christi compositum</i>	179.180
<i>Corpus compositum</i>	299

I N D E X.

<i>Corpus obtundit mentis aciem</i>	87
<i>Corpus omne finitum</i>	ibidem
<i>Creatio Philosophis cognita</i>	42
<i>Creationem agnovit Aratus</i>	79
<i>Creationem agnovit Homerus</i>	ibidem
<i>Creationem agnovit Ovidius</i>	78
<i>Creationem fatetur Sophocles</i>	ibidem
<i>Creationem solo Dei verbo factam ex Sibyllis</i>	99
<i>Creationis demonstratio philosophica</i>	84
<i>Creationis tria genera</i>	97
<i>Creati sunt in cælo Angeli</i>	100
<i>Creatores duos ponunt Luciabelliani</i>	99
<i>Creatura omnis mutabilis</i>	04
<i>Credere ad solos Christianos spectat.</i>	77.78
<i>Credere quid?</i>	77
<i>Credo Christianis vox propria</i>	3.12
<i>Credo vox terrens Demones</i>	3
<i>Crucem Christus cur elegit</i>	144
<i>Crucis signo Tyrannus victus</i>	119
<i>Crucis signum à Gentibus vendicatum</i>	27
<i>Crucis signum signum celebratiss.</i>	144
<i>Crux stultitia mundo</i>	13
<i>Crux signum Tau.</i>	144

D

<i>Democritus in Ægypto degit 80.annis</i>	41
<i>Democritus oculos sibi eruit</i>	7
<i>Demon à Deo in mundo torquetur</i>	101
<i>Demon non est creatus in periculo</i>	111
<i>Demon nocet quantum Deus permittit</i>	102
<i>Demonis de Angeli natura testimonium</i>	101
<i>Demonis peccatum superbia</i>	103
<i>Demon Socratis</i>	101

## INDEX.

<i>Demonum testimonium de Deo</i>	<i>ibidem</i>
<i>Descensus Dei quid?</i>	130
<i>Descensum Christi ad inferos testantur Hebræi</i>	155
<i>Descensum Christi ad inferos prædixit Sibylla</i>	161
<i>Descensus Christi ad inferna tria</i>	149.150.152
<i>Descensus Christi figuræ</i>	156
<i>Dei cognitio hominem destinguit à brutis</i>	1
<i>Dei incorporei philosophica demonstratio</i>	87
<i>Dei incorporeitas eius sapientiam probat</i>	<i>ibidem</i>
<i>Dei maiestas</i>	90
<i>Dei nomen quam religiosum Iudeis</i>	82
<i>Dei nomina</i>	81.82.83
<i>Dei potentiam mensurantes</i>	94.95
<i>Dei potentie demonstratio philosophica</i>	92
<i>Dei visibilis lepida confutatio</i>	85
<i>Dei unius philosophica demonstratio</i>	93
<i>Dei unius, scripture testimonia</i>	90
<i>De Deo Opinio Ciceronis</i>	86
<i>De Deo Opinio Epicuri</i>	85.86
<i>Deo membra quomodo scriptura tribuit</i>	86
<i>Deo nemo resistere potest</i>	92
<i>Deos qui duos profuerunt</i>	108
<i>Deus immutabilis Platonis</i>	107
<i>Deus inuisibilis</i>	85
<i>Deus in se habitans</i>	89
<i>Deus malis adest</i>	88
<i>Deus mali causa non est Platonis</i>	107
<i>Deus omnipotens</i>	91
<i>Deus philosophis ingenitus</i>	42
<i>Deus quomodo alicubi</i>	88
<i>Deus Quomodo comprehendendus</i>	83
<i>Deus quomodo in rebus</i>	88
<i>Deus quid sit Apollo describit</i>	78

## INDEX.

<i>Deus quid sit ex Musæo Odrisio</i>	78.80
<i>Deus quid sit ex Thalete</i>	79
<i>Deus quid non scrutandum</i>	79.85
<i>Deus ubique</i>	79
<i>Deus virtus animalis Spensippo</i>	85
<i>Deus unus &amp; dii plures Antistheni</i>	<i>ibidem</i>
<i>Deus unus &amp; trinus Hebræis &amp; chaldeis</i>	98
<i>Deus primum ens</i>	11
<i>Deus sibi soli notus</i>	13
<i>Deus sibi testis</i>	<i>ibidem</i>
<i>Deus sola opinione Ethaicis natus</i>	2
<i>Deus reuelatur in Christo philosophis</i>	<i>ibidem</i>
<i>Deus visus patribus quomodo</i>	25.26
<i>Deorum contemplatio summa erat sapientia</i>	2
<i>Deus unus ex Sibylla</i>	90
<i>Deus solus non solitarius</i>	91
<i>Deus spiritus viuificans</i>	201
<i>Dij multi à poetis inuenti</i>	80
<i>Dij 3000. apud Græcos</i>	42
<i>Dextra patris quid</i>	176
<i>Dextra patris quomodo astat &amp; asideat Christus</i>	177
<i>Disciplina Ecclesiæ ad primos Episcopos referenda</i>	275
<i>Discipline principia non disputanda</i>	68
<i>Donec &amp; quousque tempus non semper dicunt</i>	195

## E

<i>Ecclesia audienda</i>	215.216.218
<i>Ecclesiæ nomen unde</i>	216.217
<i>Ecclesiæ quot modis</i>	216
<i>Ecclesiæ quæ</i>	217
<i>Per Ecclesiam Christus loquitur</i>	218.219
<i>Ecclesiæ cum spiritu sancto</i>	219
<i>Ecclesiæ autoritas super sacris libris</i>	220.221

## INDEX.

<i>Ecclesie est interpretari scripturas</i>	221
<i>Ecclesie nota</i>	222.229.225.244.249. & 263
<i>Ecclesie caput substitutum à Christo</i>	229.231.252
<i>Ecclesia una &amp; Apostolica</i>	222
<i>Ecclesia Christi sponsa</i>	ibidem
<i>Ecclesia aduersatur qui eam relinquit</i>	214
<i>Ecclesia ab Adamo peccante</i>	225
<i>Ecclesia numquam desit</i>	225.226
<i>Ecclesie progressus firmus</i>	227
<i>Ecclesia triumphans</i>	227
<i>Ecclesia Christi &amp; Mosis eadem</i>	227.228
<i>In Ecclesia esse dicitur duobus modis</i>	228
<i>Ecclesie consuetudo non interrogare sacra mysteria</i>	19
<i>Ecclesie fundamentum</i>	2
<i>Ecclesie fundamentum Christus quomodo</i>	233
<i>Ecclesie unitas ad Petrum redacta</i>	235
<i>Ecclesie epitheta</i>	ibidem
<i>Ecclesia sancta quomodo</i>	235.236.244
<i>In Ecclesia sunt peccatores</i>	236
<i>Ecclesia peccatum non approbat</i>	239
<i>In Ecclesia qui non sunt</i>	241.242
<i>In Ecclesia boni &amp; mali</i>	240.241.242.243
<i>Ecclesia non accusanda</i>	244
<i>Ecclesiam extra non est salus</i>	247
<i>Ecclesia non diuiditur</i>	248
<i>Ecclesiasticorum vitia semper notarunt heretici</i>	243
<i>Ecclesia Christi est Catholica</i>	249.250
<i>Ecclesie hereticorum sunt angulares</i>	250
<i>Ecclesie universalitas ex loco, tempore, &amp; doctrina</i>	253
<i>Ecclesia visibilis</i>	254
<i>Ecclesia Romana cunctis prelatata</i>	260.261.267
<i>Ecclesie hereticorum à suis authoribus denominatur</i>	263

## INDEX.

<i>Ecclesia doctrina ad primos Episcopos referenda</i>	265
<i>Ecclesia cur Apostolica dicta</i>	268
<i>Episcopus voluntarius ob ses</i>	138
<i>Ad Episcopos est referenda doctrina</i>	265
<i>Epistolam misit Rex Edessa ad Iesum</i>	251
<i>Esse Christi dicitur duobus modis</i>	237
<i>Esse in spiritu</i>	238
<i>Esse in carne</i>	239
<i>Essentia Dei nullum nomen proprium</i>	82
<i>Ethnici scriptis Sibyllarum vincuntur</i>	34
<i>Ethnicorum sacerdotibus Christus notus</i>	27
<i>Ethnicis Christus quomodo notus</i>	2
<i>Ethnicis scriptoribus Moses antiquior</i>	27
<i>Ethnicis quis sapiens</i>	2
<i>Ethnicis interdicta imagines</i>	42
<i>Ethnicis vnus Deus creditus</i>	78
<i>Euangelij Ioannis commendatio</i>	38
<i>Euangelium Ioh. repertum in fundamento templi Hierosolymitani</i>	ibidem
<i>Euangelij stylus simplex minus suspiciosus</i>	39
<i>Euangelium imperio potentius</i>	39
<i>Euangelia ab hereticis supposita</i>	47
<i>Euangelium predicatum inferis</i>	162
<i>Euangelistarum typus</i>	36
<i>Eucharistia sanctorum communio</i>	270
<i>In Eucharistia unio nostra est corporalis</i>	272
<i>In Eucharistia dupliciter unimur</i>	272.273.274

## F

<i>Fabulose alterata verbi Dei generatio</i>	123
<i>Fabulose alterata Luciferi superbia</i>	171
<i>Fabulose alteratus Christi descensus ad inferna</i>	154

I N D E X.

<i>Fideles non peccant quomodo</i>	f. 239
<i>Fidei fundamentum Christus</i>	f. 1
<i>Fide omnia consistunt</i>	f. 2
<i>Fides mentis oculus</i>	ibid.
<i>Fides Ecclesie fundamentum</i>	ibid.
<i>Fidei innititur Oratio</i>	ibid. & 16.
<i>Fides credit</i>	f. 2
<i>Fide eluduntur Sophismata</i>	ibid.
<i>Fidei Patrum Efficacia</i>	f. 3. 16
<i>Fide Regna victa</i>	ibid.
<i>Fidem qui non habet est Indicatus</i>	f. 4
<i>Fides quid?</i>	f. 4
<i>Fidei variis acceptio</i>	f. 5
<i>Fides actionis principium &amp; electionis fundamentum</i>	f. 5
<i>Fidei definitio</i>	ibid. & 6.
<i>Fidei scientie &amp; opinionis differentia.</i>	f. 9
<i>Fides Abrahæ</i>	f. 8
<i>In fide non est hæsitandum</i>	ibid.
<i>Fides syllogismo non nititur</i>	ibid.
<i>Fides syllogistica infidelis</i>	f. 9.
<i>In fide hæsitantium punitio</i>	ibid.
<i>Fides explicatior ex subortis hæresibus</i>	f. 77
<i>Fide intelligitur situs elementorum</i>	f. 9. 20
<i>Fides non scientia sed confidentia est</i>	f. 12
<i>Fides cum ignorantia</i>	ibid.
<i>Fidei simplicitas victrix eloquentie</i>	f. 14
<i>Fidei comes vita puritas</i>	f. 16. 17
<i>Fides Dei donum</i>	f. 18
<i>Fidei Obiectum</i>	f. 19.
<i>Ad fidem nemo cogitur</i>	f. 20. 21
<i>Fidem misericordia præcedit</i>	f. 20
<i>Fidei qualis debetur auditus</i>	f. 21

I N D E X.

<i>Fides noui &amp; vet. testam. eadem</i>	f. 25.
<i>Fides sublata traditione tollitur</i>	f. 66
<i>Figura, Vide Typus</i>	
<i>Fæcunditas possibilior virgini quam sterilitas</i>	f. 134
<i>Fily Dei eterna patri obedientia</i>	f. 193
<i>Fily Dei generatio fabulose retorta</i>	f. 193. 194
<i>Filius Dei quare dicitur verbum</i>	f. 22
<i>Filius Dei quo patri subiicitur</i>	f. 193. 194

G

<i>Gentiles, vide Ethnici</i>	
<i>Gratia fidem præcedit</i>	f. 20
<i>Gratiam spiritus sancti</i>	
<i>Plato virtutem appellat</i>	f. 103

H

<i>Hæresis Arij</i>	f. 266. 270
<i>Hæresis Anabaptistarum</i>	f. 266
<i>Hæresis Antropomorphitarum</i>	f. 86
<i>Hæresis Apollinarium</i>	f. 130
<i>Hæresis Apostolicorum</i>	f. 270
<i>Hæresis Ascetarum</i>	f. 86
<i>Hæresis Basilidis Bonosianorum &amp; Gnosticorum</i>	f. 172
<i>Hæresis Basti &amp; Florini</i>	f. 108
<i>Hæresis Arij</i>	f. 124
<i>Hæreses Cerdonis quo tempore</i>	f. 266
<i>Hæresis de regno Christi aeterno</i>	f. 193
<i>Hæresis Heluidianorum</i>	f. 195
<i>Hæresis Nouatianorum</i>	f. 236
<i>Hæresis Catharorum</i>	f. 236. & 266
<i>Hæresis Donatistarum</i>	f. 250
<i>Hæresis Manichæorum</i>	f. 108. 126. 266. 270
<i>Hæresis Marcionis</i>	f. 108
<i>Hæresis Simonis Magi</i>	ibid.

I N D E X.

<i>Hæresis Photini</i>	f. 128
<i>Hæresis Luciabellianorum</i>	99
<i>Hæresis Macedonij</i>	261
<i>Hæresis Nestorij</i>	ibid.
<i>Hæresis Euthicis &amp; Dioscori</i>	362
<i>Hæresis Marcionis quo tempore</i>	266
<i>Hæresis Manandri quo tempore</i>	ibid.
<i>Hæresis Berengarij</i>	ibidem.
<i>Hæresis Suenfeldii &amp; Munceri</i>	ibid.
<i>Hæresis Pelagii</i>	ibidem
<i>Hæresis Vigilantii</i>	ibid.
<i>Hæresis Valdensium</i>	ibid.
<i>Hæreticorum Carpocraticorum arrogantia</i>	270
<i>Hæretici Cerdonis inconstantia</i>	266
<i>Hæretici sacramentales sunt Arriani</i>	272
<i>Hæretici Adamiani</i>	250
<i>Hæretici hierarchæ argumentum</i>	126
<i>Hæretici Arriani mulierculas alliciunt</i>	ibid.
<i>Hæretici Thaboritæ</i>	250
<i>Hæretici Phryges cum sua Pepuzæ</i>	ibid.
<i>Hæretici Carpocratiani</i>	ibid.
<i>Hæretici Orebitæ</i>	ibid.
<i>Hæretici obiiciunt Ecclesiam interiisse</i>	226
<i>Hæretici summum pontificem improbant</i>	229. 230
<i>Hæretici secum dissentiunt</i>	223
<i>Hæretici arrogantis sibi spiritum sanct. obiectio</i>	212
<i>Hæretici non habent rem sacramenti</i>	202
<i>Hæreticus primus Cain</i>	287
<i>Hæreticus semper interrogat</i>	10
<i>Hæreticus ex non intellecta scriptura</i>	15
<i>Hæresis ex arrogantia</i>	ibid.
<i>Hæreticæ doctrine descriptio</i>	44. 45

I N D E X.

<i>Hæretici addunt vel demunt scripturis sacris</i>	46.
47. 48. 46	
<i>Hæretici qui psalmos mulieribus canendos dederunt</i>	47
<i>Hæretici supponentes Evangelia</i>	ibid.
<i>Hermogenes Platonem sequutus</i>	97
<i>Hermogenes aduersus creationem</i>	ib.
<i>Hesiodus accinens cantico virg. Mariæ</i>	92. 93
<i>Hominis tres etates</i>	4
<i>Homo impeccabilis naturæ esset irrationalis</i>	109
<i>Homo quare nouissimè creatus</i>	103. 104
<i>Homo ad imaginem ex sibylla</i>	105
<i>Homo cur creatus</i>	III
<i>Homo cur de limo</i>	ibid.
<i>Homines nouissimi etiam morituri</i>	190
I	
<i>Idea omnium rerum unica</i>	23
<i>Iesus nomen tetragrammaton</i>	114
<i>Iesus Hebraicè saluator</i>	ibid.
<i>Iesus gratiæ medicus</i>	ibid.
<i>Ietro idem qui Merc. Trismegistus</i>	27
<i>Imagines Gentibus interdictæ</i>	42
<i>Imago Christi desideratiss. Regi Persidis</i>	251
<i>Imperator humilis in concilio Ecclesie</i>	259
<i>Imperator sedendi veniam in concilio petens.</i>	ibid.
<i>Imperator in Concilio auditor solum</i>	260
<i>Imperatores declarantes Romanum Episcopum summum esse</i>	272
<i>Inferni probatio</i>	252. 253
<i>Infernorum fabula</i>	254
<i>Iris fœderis signum</i>	25
<i>Iudex venturus Christus</i>	183
<i>Index tota Trinitas</i>	ibid.

I N D E X.

<i>Index &amp; non Index pater</i>	<i>ibid.</i>
<i>Index &amp; non Index Christus</i>	181
<i>Iudices Apostoli 186. Iudices electi Dei</i>	<i>ibid.</i>
<i>Iudices Regina Sabba &amp; Ninivite</i>	186
<i>Iudicium priuatum</i>	<i>ibid.</i>
<i>Iudicium Dei particulare</i>	187. 189
<i>Iudiciorum Dei exempla</i>	187. 188
<i>Iudicium Dei generale</i>	189
<i>Iudicium meditari quanti fructus</i>	195
<i>in Iudicio non resurgent impij</i>	302. 303
<i>Ius Gentium ortum ex perfidia</i>	26
<i>Iuuenis non interroget</i>	10
<i>Iuvene audiente non interrogante</i>	<i>ibid.</i>
L	
<i>Legis librorum distinctio</i>	28
<i>Legis veteris à 70. int. versio</i>	43
<i>Lex vetus Alexandro Magno grata</i>	44
<i>Lex vetus in figuris</i>	35
<i>Lex quasi puerorum nutrix</i>	<i>ibid.</i>
<i>Lex non dubitanda</i>	10
<i>Liberum arbitrium sublatum tollit meritum</i>	110
<i>Liber exaratus mundus iste</i>	24. 25
<i>Libri muti legis veteris amiss.</i>	73
<i>Libri sacri ex traditione</i>	67. 73
<i>Libri Mosis antiquiores Ethnicis</i>	27
<i>Librorum Mosis nomine explicata</i>	28
<i>Libri veteris legis perdit restituti ab Esdra</i>	208
<i>Libri Sibyllini non vnius Sibylle</i>	32
<i>Libri Sibyllini à Tarquinio empti</i>	<i>ibid.</i>
<i>Libros suos seruari precipit Paulus</i>	73
<i>Linguae tres Theologo necessariae</i>	52. 53
<i>Litera Græcorum Hebrae Etymologia</i>	27

I N D E X.

M

<i>Malum nihil est</i>	88. 109
<i>Malum Deus non vult</i>	92
<i>Malum non est à Deo</i>	109
<i>Malum quid sit</i>	<i>ibid.</i>
<i>ex Malo Deus potentior noscitur &amp; Optimus</i>	110
<i>Materia Deo non coeterna</i>	96. 97.
<i>Mercurius Trismegistus sacer Mosis</i>	27
<i>Meritum non sine libero arbitrio</i>	110
<i>Misericordia fidem precedit</i>	20
<i>Mysteria Cathecumenis non reuelanda</i>	10
<i>Mysteria sacra in silentio verenda</i>	10
<i>Mysteriorum Christianorum Iudaicis antiquiora</i>	120
<i>Mysteriorum emulatur Diabolus</i>	49
<i>Mysterium sub nomine virginis Hebraeo</i>	136
<i>Mors Arrij</i>	125
<i>Mors Antiochi</i>	188
<i>Mors Nicanoris</i>	188
<i>Mors Herodis</i>	188
<i>Mors Iuliani Apostatae</i>	188
<i>Mors nouissimorum hominum non diuturna</i>	190
<i>Mortui precibus viuorum adiuti</i>	276. 277. 278
<i>Mortui sentiunt beneficia viuentium</i>	277. 278
<i>pro Mortuis oblatio Misse</i>	278
<i>Mortui meruerunt à viuentibus iuari</i>	278
<i>Mortuis auxilium unde</i>	278. & 279
<i>Martyrum 40. corporum inuentio</i>	264
<i>Martyrum memoria</i>	289
<i>Moses Philosophis ac poetis antiquior</i>	27
<i>Mundus quasi liber exaratus</i>	24. 25
<i>Mundus non est aternus</i>	86
<i>Mundus non annihilabitur</i>	98



INDEX.

<i>Mundi conflagratio</i>	191
<i>Mundi conflagrationem Ovidius novit</i>	192
<i>Murmuratores puniti</i>	28.210
<i>Mutius manum in ignem proiecit</i>	139
N	
<i>Nomen Dei quam religiosum Iudeis</i>	82
<i>Nomen proprium non habet essentia Dei</i>	82
<i>Nomina Dei</i>	81.82.83
<i>Nomen officij Christus</i>	116
<i>Nomina Christi ex Prophetis</i>	113.114
<i>Nomē cuiusquā nō mutavit Deus sine mysterio</i>	232.234
<i>Nomen Apostoli Petri cur mutatum</i>	ibid.
<i>Nota Ecclesie</i>	222.229.235.244.249.263
<i>Notis Hieroglyphicis Christus cognitus</i>	27
<i>Numa Pompilius imagines prohibet</i>	42
<i>Numa Iudaismi imitator</i>	42.43
<i>Numa arrogat sibi Nymphę colloquium</i>	214
O	
<i>Oculis orbatus aptior Philosophię</i>	7
<i>Oculus mentis fides</i>	2
<i>Oracula Sibyllę paucis legenda</i>	33
<i>Oraculo Gentilium probata Hebręorum religio</i>	42
<i>Oraculum in aqua</i>	33
<i>Orandum in spe &amp; charitate</i>	2
<i>Orandum pro quibus</i>	282
<i>Oratio innititur fidei</i>	2.10
<i>Ordo Ecclesie qualis esse debet</i>	258
P	
<i>Paradisus terrestris alteratus à philosophis</i>	42
<i>Paradisus Adamianorum</i>	250
<i>Passio Christi acerbissima</i>	141.142
<i>Paulus Atheniensibus nugator</i>	13
PAULUS	

INDEX.

<i>Paulus libros suos servari iubet</i>	73
<i>Peccatorum extrema memoria</i>	185
<i>Peccatum quid?</i>	108.109
<i>Peccatum non probat Ecclesia</i>	239
<i>Peccatum ad mortem</i>	ibid. & 281
<i>Peccatum in spiritum sanctum</i>	282
<i>Peccatorum remissio</i>	289.292
<i>Peccatum originale</i>	290.291
<i>Peccatum delere</i>	292
<i>Petrus summus pontifex</i>	232
<i>Petro omnes subiecti</i>	232
<i>Petrus fundamentum Ecclesie</i>	232.233.234
<i>Philosophi edocti à Iudeis</i>	41
<i>Philosophis creatio nota</i>	42
<i>Philosophi unum credentes Deum</i>	78.79.80
<i>Philosophus Astra contemplans in puteum lapsus</i>	84
<i>Philosophorum secta</i>	215
<i>Philosophi idem sacerdotes</i>	2
<i>Philosophis Athenien. ignotus Deus in Christo reve-</i>	ibidem
<i>latus</i>	ibidem
<i>Philosophie aptior, orbatus oculis</i>	7
<i>Philosophi patres hæreticorum</i>	13
<i>Philosophus insignis fidei sermone victus</i>	14
<i>Philosophia sibi contraria</i>	14
<i>Philosophi docti ex peregrinatione</i>	40
<i>Philosophus circumcissus</i>	41
<i>Phœnix seipsam concremat</i>	298
<i>Plato ab Hebræis edoctus</i>	41
<i>Plato quid dicat de Sibyllis</i>	33
<i>Plato Moses Græcus</i>	41
<i>Plato deum definire prohibet</i>	79
<i>Plato deceptus in libris Mosis</i>	86

INDEX.

Platoni Deus mali non est author.	107
Platoni Deus immutabilis	ibidem
Platoni nota resurrectio	303
Pœsis non spernenda	Pœnitentia tres dies 162
Pœtæ tradiderunt Deorum multitudinem	54
Pontificis summi authoritas	80
Pontificis summi onus distributum	255
Pontifici Romano concilia submissa	ibidem
Pontifex Rom. summis ab imperatorib. declaratus	260
Pontificatus summi probatio	261
Primum ens vix intelligibile	231.232
Prophetiæ de Christi passione	11
Prophetiæ de nomine Iesu	142.143.146
Prophetiæ de sacerdotio Christi	113.114
Prophetiæ de regno Christi	121
Prophetiæ de divinitate Christi	ibidem
Prophetiæ mediatoris Christi	122.123.125
Prophetiæ unctionis Christi	119
Prophetiæ partus virginæ	116.117
Prophetiæ descensus Christi de cœlis	130.132
Prophetiæ descensus Christi in Ægyptum	130
Prophetiæ passionis Christi corrupta	133
Prophetiæ de Christi descensu ad inferos	145
Prophe. de Resurrectione Christi	163. & 164.165.166
Prophetiæ de Ascensione Christi	155
Prophetiæ de sessione Christi ad dexterã pa.	170
Prophetiæ de futuro iudicio	176.177.178
Prophetiæ de mundi conflagratione	18.184.185
Prophetiæ de generali Resurrectione	192
Prophetiæ spiritus in primitiua Ecclesia	301.302
Pseudoprophetæ mendaces	36
Pseudoprophetæ punitio	206
	210.211

INDEX.

Pseudoprophetæ Achab decipiunt	211
Pythagoras circumcissus.	41
Pythagoras ab Hebræis edoctus	ibidem
Pythagoras unum credit Deum	79
R	
Rabinorum testimonia de Christo	155
Reges sacrifici quomodo	257
Reges ante etatem	178
Regis temeritas punita	257
Regis nulla in concilium authoritas	261
Reges non prosunt Ecclesiæ	257
Rex pseudoprophetæ congregans	ibidem
Rex sacerdote inferior	121
Regnum Christi ab aeterno	178
Regnum Christi aeternum	192.193
Reliquiæ Sibyllæ reseruantur	33
Remissio peccatorum	289.292
Resurrectio Christi	162.163.164.165.166
Resurrectio Christi prædicta à Sibylla	165
Resurrectio Christi à patriarchis præuisa	ibidem
Resurrectionem suam Christus confirmat	167
Resurrectionis figura	168
Resurrectio oppugnata	295
Resurrectio nota Platoni	300
Roma noua	303
Roma vetus	ibidem
S	
Sabbatum Iudeorum quid figuret	35.b.
Sacerdos malus vere cõsecrat	243
Sacerdotes Regi obsistetes	256
Sacerdotes uncti	116.
Sacerdotis est Regem instituere	256
Sacerdotium Christi trinum	120
Sacerdotium Christi visum Zachariæ	121

INDEX.

<i>Sacrificium Aaronicum</i>	121
<i>Sacrificium Melchisechicum</i>	<i>ibidem</i>
<i>Sacrificium Christi secundum Melchis.</i>	121
<i>Sacrificium Christi prae dictum ab Heli.</i>	<i>ibidem</i>
<i>Sanctorum honor in Deum redundat</i>	96
<i>Sancti quomodo honorentur</i>	<i>ibidem</i>
<i>Sanctorum communio</i>	270.274
<i>Sanctorum communio in Eucharistia</i>	270
<i>Sanctorum memoria</i>	289
<i>Sancti sciunt necessitates nostras</i>	284
<i>Sancti nos iuvant</i>	288
<i>Sacramenti Rem non habent haeretici</i>	202
<i>Sacramentum extra Ecclesiam potest haberi</i>	247
<i>Sapientia philosophis ignota</i>	11
<i>Sapiendum quomodo</i> 50 <i>Scriptura ex traditione</i> 67.93	27
<i>Scriptura prima Moysi tribuitur</i>	55.56.57.58.59.60
<i>Script. sacra plena Amphibologiis</i>	56
<i>Scriptura sacra quare difficilis</i>	66
<i>Scriptura sublat a fides non tollitur</i>	50
<i>Scripturae sacrae difficultas</i>	52
<i>Scripturae energiam diminuit versio</i>	60
<i>Scripturae sacrae multa supressa a 70. interpretibus</i>	60.61.62
<i>Scripturae sacrae interpretatio non petenda ab haeticis</i>	26
<i>Scripturae necessitas ex hominum infidelitate</i>	<i>ibidem</i>
<i>Scripturae quadam veteri lege antiquiores</i>	26.27
<i>Scripturae rerum effigiem habentes</i>	10
<i>Senex a quo sit docendus</i> 10 <i>Senex nemo apud Gra.</i> 41	292
<i>Sententia seu opiniones philosophorum de corpore ho-</i> <i>minis</i>	148.149
<i>Sepultura Christi honorifica</i>	31
<i>Sibyllae Erithraeae tempora</i> 31 <i>Sibyllae decem</i>	32

INDEX.

<i>Sibyllini libri non unius Sibyllae</i>	32
<i>Sibyllini nominis Ethimologia</i>	<i>ibidem</i>
<i>Sibyllini a Tarquinio empti</i>	<i>ibidem</i>
<i>Sibyllarum oracula non omnibus legenda</i>	33
<i>Sibyllae primae sedes petrae</i>	<i>ibidem</i>
<i>Sibyllae mortuae vaticinans</i>	<i>ibidem</i>
<i>Sibyllae Basilica mirabilis</i>	<i>ibidem</i>
<i>Sibyllae vaticinium in aqua</i>	<i>ibidem</i>
<i>Sibyllae vaticinij sui nesciae</i>	<i>ibidem</i>
<i>Sibyllae reliquiae reseruatae</i>	<i>ibidem</i>
<i>Sibyllinae carmina deprauata</i>	<i>ibidem</i>
<i>Sibyllae spiritus furor</i>	34
<i>Sibyllae locus solitarius</i>	<i>ibidem</i>
<i>Sibyllinis scriptis conuincuntur Gentiles</i>	<i>ibidem</i>
<i>Sibyllae praesagij immemores</i>	33
<i>Sibyllae creationem rerum verbo Dei tribuit</i>	99
<i>Sibyllae vaticinium de filio Dei</i>	123
<i>Sibyllae vaticinium de saluatione Angelica</i>	<i>ibidem</i>
<i>Sibyllae praesagium de Christi contumelios filio</i>	142.143.145
<i>Sibyllae praesagium de futura resurrect.</i>	303
<i>Sibyllae praesagium de Christi resurrectione</i>	165
<i>Sibyllae praesagium de Christi descensu ad inferos</i>	161
<i>Sibyllae vaticinium de futuro iudicio</i>	184. 191
<i>Sibyllae vaticinium conflagratione</i>	192
<i>Simulachra Aegypti prolapsa</i>	133.181
<i>Simonidis de Deo opinio</i>	83
<i>Socrates Damone usus</i>	101
<i>Socrates scrutari deitatem prohibet</i>	79.85
<i>Socrates unum credit Deum</i>	79

I N D E X.

<i>Solis retrogressio visa Babiloniis sub Ezec. Rege Iuda</i>	43
<i>Spiritus Dei quomodo ferebatur super aquas</i>	201
<i>Spiritus Dei dona varia quæ</i>	201.202
<i>Spiritus adoptionis</i>	202
<i>Spiritus S. à patre &amp; filio</i>	202.203
<i>Spiritus S. coæternus patri &amp; filio</i>	204
<i>Spiritus vertiginis Diabolus</i>	206
<i>Spiritus malus multiplex</i>	ibidem
<i>Spiritus S. locutus per prophetas</i>	206.207.208
<i>Spiritus S. restituti libri legis</i>	208
<i>Spiritus S. cur homines relinquit</i>	208.209
<i>Spiritus S. manus &amp; digitus Dei</i>	196
<i>Spiritus varia acceptio</i>	197
<i>Spūs cur dictus Sanct.</i>	198
<i>De Spiritu S. quid sentit Philo iud.</i>	ibidem
<i>Spiritus S. an deserat peccantem</i>	238
<i>In spiritu esse quid est</i>	ibidem
<i>Successio in Ecclesia perseverans</i>	265
<i>Successio hæreticorum nulla</i>	265.266
<i>Successio Romanorum episcoporum</i>	267.268
<i>Superbia humiliatio</i>	103
<i>Symbolū unde dicitur</i>	73
<i>Symbolū quid apud veteres</i>	75.76
<i>Symboli necessitas</i>	76
<i>Symbolum fidei fundamentum</i>	ibidem
<i>Symbo. articuli singuli singulis Apostolis</i>	ibidem
<i>symbolum Apostolorum cur sic dictum</i>	77
<i>symbolum Athanasij &amp; Nicenum ad quid</i>	ibidem
<i>symbolum Nicenum publicatū à 318 Episcopis</i>	ibidem
<i>Symbolum non omne continet articulos fidei</i>	150
<i>Sinagoga quid</i>	216

T

<i>Testamenti noui &amp; veteris differentia</i>	35
<i>Testamenti noui &amp; veteris fides eadem</i>	ibidem
<i>Testamenti noui librorum numerus</i>	36.37.38

I N D E X.

<i>Testamenti noui Miserum prædictum</i>	137
<i>Testamentum unde dicitur nouum</i>	35
<i>Terra pro hominibus sumpta</i>	103
<i>Terra pro sanctis iudicaturis sumpta</i>	186
<i>Thales Deum describens</i>	79
<i>Thales astra specularans in puteum cadit</i>	84
<i>Theologo tres lingue necessaria</i>	52.53
<i>Theologo non spernenda poësis</i>	54
<i>Theologo necessaria veteres historie</i>	53.54
<i>Theologo necessaria philosophia</i>	54.55
<i>Theologo necessaria æquiocationis discretio</i>	55.56
<i>Traditioni innitendum</i>	74
<i>Traditioni credendum aut moriendum</i>	48
<i>Traditio in lege naturali seruata</i>	25.69
<i>Traditione lex constat</i>	62.63.64
<i>Traditionem qualiter improbent hæretici</i>	64
<i>ad Traditionem remissi hæretici</i>	65.66
<i>Traditionem commendant Apostoli</i>	65
<i>Traditione sublata tollitur fides</i>	66
<i>Traditioni credunt Barbari fideles</i>	74
<i>Traditio supplet quæ in scripturis implicite habentur</i>	74
<i>Triumphus Romanis Mos laudabilis</i>	102
<i>Triumphus Christi de Diabolo</i>	138
<i>Trinitatis mysterium notum Iudæis &amp; Chaldæis</i>	98
<i>Trinitas tota iudicabit</i>	183
<i>Trinitatis personæ se inuicem glorificant</i>	204.205
<i>Typus euangelistarum</i>	37
<i>Typus Apostolorū</i>	ibidem
<i>Typus scrutantium Deum</i>	86
<i>Typus unctionis Christi</i>	116.117.118
<i>Typus Regni &amp; Sacerdotij Christi</i>	120.121
<i>Typus filij Dei</i>	123
<i>Typus mediatoris Christi</i>	129
<i>Typus partus virginæ</i>	137

I N D E X.

<i>Typus virginitatis Mariæ</i>	136	<i>descensus Christi de cælis</i>	132
		<i>incarnationis Christi</i>	123.132
		<i>passionis Christi</i>	141
		<i>Triumphantis Christi de Diabolo</i>	138
		<i>crucis</i>	144
		<i>Messia</i>	113
		<i>Christi crucifixi</i>	145
		<i>sepulture Christi</i>	156
		<i>descensus Christi ad inferos</i>	166
		<i>Resurrectionis Christi</i>	168
<i>Typus ascensionis Christi</i>			170
<i>Typus sedentis ad dexteram Patris</i>			175
<i>Typus Christi venturi iudicis</i>			182
<i>Typus iudicij futuri ibid.</i>		<i>Typus hæreticorū</i>	211.215
<i>Typus Ecclesiæ Christi</i>			223
<i>Typus Ecclesiæ malignantium</i>			ibidem
<i>Typus salutis non habendæ extra Ecclesiam</i>			247
<i>Typus summi pontificis</i>			256
<i>Typus Regis auctoritatem Ecclesiæ usurpantis</i>			258
<i>Typus Resurrectionis generalis</i>			301
V			
<i>Verbo Dei victus insignis Sophista</i>			21
<i>Verbo Dei omnia creata</i>			99
<i>Verbum diuinum Philosophis notum</i>			23
<i>Verbum Dei quoruplex</i>			21
<i>Verbum in homine ab eius conditione</i>			24
<i>Virgo Maria prophetissa</i>			137
<i>Virgo quo vocabulo Hebræis exprimitur</i>			136
<i>Visionum multa genera</i>			29.30.31.32
<i>Vna Ecclesia, vide Ecclesia</i>			
<i>Vnus Deus vide Deus</i>			
<i>Vis resurrectionis insita homini</i>			307
<i>Vita æternæ lætitiæ quanta</i>			10.11.12
<i>Vis quadam Resurrectionis in Apibus Muscis &amp; Phœnice.</i>			928.



Et meliora ut mare et } 279  
flumina se hēnt }  
Prinps. regnat a ligno deus: iudei }  
iudei abstulerūt xpm a ligno. } 118.

mqoll

l. de

ps. m

MA

Q

10